J. C. Mattes' Collection

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/deverbodeiinscri00laur

DE
VERBO DEI
IN SCRIPTURIS
PROPHETICIS ET A-
POSTOLICIS COM-
prehenſo.

Contrà

ROBERTUM BELLARMINUM
Jeſuitam Cardinalem, aliosq; adver-
ſarios veritatis modeſta aſ-
ſertio,

Colloquio Ratisbonenſi, An. M. DCI.
& defendendæ fidei

D. MARTINI CHEMNICII,
in examinandis erroribus Pontificiis,
circà hunc Articulum, ac-
commodata:

Opera & Studio

LAURENTII LÆLII,
Eccleſ. Onoldsbacenſ. Paſtoris.

ONOLTZBACHI,
Impenſis & typis Pauli Bohemi,
ANNO M. DCVI.
Cum Grat. & Privil. Illuſtriſſ. Princip.
Marchion. Brand.

BS600.A2
.L13
1606



PACIFIC LUTHERAN
THEOLOGICAL SEMINARY
THE LIBRARY

Illuſtriſſimis Celſiſſimisque Principibus ac Dominis

DOMINO

CHRISTIA-NO,

DOMINO

JOACHIMO-ERNESTO,

FRATRIBUS GERMANIS, MARCHIONIBUS BRANDENBURgenſib. Boruſſiæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, Sileſiorum Croſnę & Carnoviæ &ç. Ducibus, Burggraviis Norimbergenſibus, Principibus Rugiæ &ç. Principibus ac Dominis ſuis Clementiſſimis,

Gratiam DEI, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & amorem Spiritus Sancti, AMEN.

ILLUSTRISSIMI *Principes, Domini Clementiſſimi: Inter monita & præcepta, quæ D. Apo-*

(⁎) 2 *ſtolus*

7461

ſtolus Paulus Timotheo ſuo, aliiſque piјs, & fidelibus Eccleſiæ Doctoribus præſcribit, id non poſtremum, ſed primum & præcipuum eſt, ex Pſalmis Davidicis petitum: ut in Scripturæ lectionē & meditationem, aſſiduo & perpetuo nixu inſiſtant. 1. Tim. 3. & 4. 2. Tim. 3. Pſal. 1. 119. Hoc igitur ut ex officiј lege mihi obſervãdũ fuit, ita non ingratum fore duxi Eccleſiæ, ſi has meas qualeſcunq; operas de iſto Fidei noſtræ Articulo, cum ipſa cõmunicarem: Quo in inſtituto me cõfirmavit Conſiliũ & arbitrium Præclarorum quorundam Virorum, ac commodum imprimis Cariſſimorum meorum diſcipulorũ, quibus ante paucos menſes docendo præfui, in illuſtri Gymnaſio Heilsbronnenſi, quod Celſ. Celſ. V V. publico & magnifico ſumtu, cum æterna nominis ſui gloria, in cõmunem Patriæ uſum, alant & fovent: Quia enim ſatis avido & animo & calamo, inter alias, hanc quoque partem lectionum mearum exceperunt: Correctione adhibita, onere porrò deſcribendi, & erroribus, qui inter manus facilimè

cilimè accidunt, hoc modo eos levare volui.

Veſtræ V. Celſ. Celſ. auguſtiſſimo nomini, Clementiſſimi Principes, hoc, quidquid eſt, inſcribere debui, ut & fidelitatis, in officio iſto Scholaſtico præſtitæ, & demiſſæ obedientiæ humilimam ſignificationem proferrem & aperirem: Summa animi ſubjectione petens, ut Sereno id vultu aſpiciatis, & me porrò gratiæ veſtræ Clementiſſimo favore non dedignemini. Hoc ipſo enim Celſ. Celſ. V V. imperio me, meaq́ ſtudia, & operas obedientiſſimè ſubjicio, dico & conſecro, nihil gratius exiſtimans, quàm Patribus Patriæ, in timore DOMINI, *ſervire.*

DEUM *Patrem Domini noſtri* JESU CHRISTI *ardentiſſimis precibus oro & obſecro, ut Celſ. Celſ. V V. cum univerſa auguſtiſſima domo* BRANDEBURGICA, *umbrâ alarum ſuarum, & gremio gratiæ ſuæ, paternè & amanter foveat, imperij curſum placidum & tranquillum, ad Eccleſiæ ſuæ, his poſtremis temporibus infelicis mundi, miſerè afflictæ, ſalutem con-*

cedat, atque in ſeros uſque poſteritatis annos vitam, omnibus animæ & corporis bonis auctam, provehat, ad æternam nominis ſui divini gloriam. Amen.

Onoltzbachij, Anno M. DCVI. 11. Septembris, qui dies An. M. D. XXV. Sereniſſimo Principi ac Electori JOHANNI GEORGIO, *Parenti Celſ. Celſ. VV. Sanctæ memoriæ, natalis fuit.*

Celſ. Celſ. VV.

obedientiſſimus

Laurentius Lælius.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI *Salutem.*

BEATUS Apoſtolus Paulus, Optime Lector, deſcripturus, *1. Cor. 4. 2. Cor. 4. 6. 11. Rom. 8.* apoſtolicæ ſuæ functionis, curſum, conditionem & fortunam, qua in hoc mũdo ipſe, cum reliquis Apoſtolis Collegis ſuis, uſus ſit: Vix quidquam aliud commemorare, & in litteras referre voluit, quàm fœda convitia, indignas calumnias, objecta mendacia, infinita odia, lunatosq́; plagarũ nodos: quos ferre & pati, præter meritum, coactus fuerit: Ipſe nihil aliud contrà machinatus, quàm ut animam tolerantia firmaret, & innocentiæ ac integritatis teſtimonium exemplo doceret, ac demonſtraret: Probè gnarus, pios & cordatos homines, ex ipſo maledictorum genere conjecturos, quæ inſania Spiritus Adverſarios ſuos agitaret, & quod mero obtrectandi ſtudio ducerentur; *Nam firmiſſimo* adverſus convicia præſidio nititur, quem conſcientia rectè factorũ erigit, dictorum conſtantia defendit, & vitæ innocentia tutum ac ſecurum reddit: Cum interim malitia maximam veneni ſui partem ipſa ebibat.

Quod ſi ſtatum Eccleſiæ, noſtri ſeculi, cum Apoſtolica illa conferas, ſummam æqualitatem ſortis, ac conditionis ſimilitudinem reperies: Et ne longè abeamus, ecce tibi *Roberti Bellarmini*, & Complicum ipſius libros ac ſcripta, quę magno numero in lucem emiſerunt, & quotidiè emittunt; in quibus vix tot paragraphos numerare potes, quot Noſtris mendacia, ſacrilegia, vanitates, errores, contradictiones, &, neſcio quæ facinora, cruce & infamia digna, objiciunt. *Quid Piſtorius, quid Frater Naß, quid Müllerus quidam, quid Hanſonius, Vetterus, & quid miſer quidam Sartinator*, aliiq; fecerint dies ipſe loquitur. *Bellarminus* illis nihil, vel modeſtio, vel melior eſt; Nam quos ſcripſit, prolixos diſputationum tomos, iſtis floſculis conviciorum planè tumidos reddidit.

Jam verò haud difficile erat, par pari referre, & quidem accurata atque elimata dictorum conſtantia, verùm ſatius duximus & magis honeſtum, ac conveniens cauſſæ noſtræ, quæ ipſius Veritatis celeſtis cauſſa eſt, ne redderemus malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed ut malum bono cōpenſaremus. *1. Pet. 3. ver. 9. Roman. 12. verſ. 21.* Quod ſi ergò libet Pōtificiis *Jeſuitis*, non niſi ore criminationib. tumido deli-

delitigare, fruantur ſane hiſce deliciis ſuis; & proinde non indigne ferant, ſi Spiritus ille ater, quo ducuntur, coloribus ſuis depingatur à cordatis & piis Chriſtianis, atq; à viris Theologis, dignis modis excipiatur. Nam qui quæ vult dicit, ea quæ non vult audire cogitur. Unum te monendum hoc loco duxi, optime Lector, hoc nempè ingenium eſſe *Jeſuitis*; ut Negent quę in clariſſimo ſole verſantur, & ad quæ reſpondere neſciunt, mendacii inſimulent: Tantum ut hac probroſa accuſatione, ſuos à Veritatis indagatione diligentiori deterreant, & odium illis ac faſtidium inſtillent, quaſi ab iis, qui Pontificiæ idolomaniæ & apoſtaſiæ ſeſe opponunt, nihil præter infamiam exſpectandum ſit. Hunc igitur *Jeſuitarum* morem accuratè noſſe debemus, & certo nobis perſuaſum habere: quo majori conviciorum examine in Nos involant, eo majori cauſſam ipſorum in diſcrimine verſari, ac fidem nullo modo ipſis habendam. Exemplo nobis eſto unicum, *Cap.3. libr.4. Bellarmini de verbo Dei non ſcripto, pag. 256. in quo undecim Chemnicij* mendacia numerat, *& adhuc tria, pag. 255. adjicit*, adeoq; numero quatuordecim facit: ſed ea fide, ut & conſcientiam omnem *Jeſuita* perdidiſſe, & adverſa fronte verita-

 ti bel-

ti bellum indixiſſe videatur. Omnia enim *Chemnicij* dicta, apertiſſimis Pontificiorum teſtimoniis doceri poſſunt.

I. Exſtare dicit *Bellarminus, pag. 68. 69. Exam. Concil. Triden.* edit. *A. M. D. L X V I.* Ita autem habent verba *Chemnicij.* Sed hæc eſt quæſtio: An DEUS de Doctrina Chriſti & Apoſtolorum ita conſtituerit, ut non cõſignetur literis, ſed ſine Scriptis viva tantum voce per manus tradatur. Pontificii quidem dicunt, DEUM per Jeremiam & Paulum hoc affirmare. Hic ſubjicit *Bellarminus:* Mendacium eſt: Nullus enim Catholicorum docuit unquam, DEUM conſtituiſſe, ut Nov. Teſtamentum non ſcriberetur, vel proferat *Chemnicius* auctorem, qui hoc dixerit.

Gravis accuſatio, ſed qua *Chemnicium* facilè liberare, & *Jeſuitam* criminis objecti convincere poſſumus. Profero ergò auctorem *Andradium in Orthodox. explic. Lib. 2. pag, 26. fac. b.* Cùm verò DEI Filius (*ait*) humanam naturam induit, doctorisque hominum munere fungi, humanas mẽtes, terrenis rebus immerſas, ad celeſtes evocare, ab inani explicatione ad divinam & ſempiternam erigere, atque divina myſteria, quæ craſſis occultata & circumfuſa tenebris latebant, patefacere voluit, lapi-

deis tabulis, ſimul cum carnali ſenſu, REJECTIS, in hominum mentibus intimíſque præcordiis legem exaravit, NON CALAMO, aut atramento, ſed Spiritu ſuo divino: ID QUOD EST FOEDUS illud NOVUM, quod cum filiis Iſraël ferire pollicetur DEUS apud JEREMIAM. *Cap.31. Vetere*, quod cum gente Iſraëlitica ex Ægypti ergaſtulo divina bonitate educta icerat, *antiquato & rejecto*. Poſt dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corda eorũ ſcribam eam. Hactenus *Andradius*, qui in ſequentibus multo craſſior eſt.

Quid verò intereſt inter duas iſtas enunciationes? Fœdus novum id eſt, ut non ſcribatur Calamo, aut atramento doctrina Euangelii. Et DEUS conſtituit ut non ſcriberetur doctrina Euangelii. *Item:* Rejecto & antiquato eo, quod ſcriptũ fuit, DEUS Spiritu ſuo divino velut digito Euangelium in hominum animis depinxit. *Et:* DEUS conſtituit, ut non ſcriberetur doctrina Chriſti.

Et certè aliud ex allegatione dicti JEREMIÆ, ſi Status Cõtroverſiæ legitimè ponẽdus ſit, Colligi nequit, ut *Chemnic.* apertiſſimè ibi docet, & *Andrad. in* defenſion. ſua, *p.226. lib.2.* non contradicit. Produco verò & alterũ teſtẽ: qui eſt *Lindanus. C.10. Panoplia*,

plia, p.13. in idem Jeremiæ dictũ, *lib.1.* ita cõmentans: Prophetarũ itaq; oracula cõſulamus, Cujus NAM MODI verbum DEI Euangelicum olim futurũ, tot retrò elapſis ſeculis pręſignârint. Verbum DEI Euangelicũ, quod, Divo Paulo ad Hebræos Commentatore, eſt fœdus novum, NON in tabula lapidea, Moſaicæ legis modo, non in arido Bethulæ libello, non in vili Papyro, ſed in VIVIS hominum cordib. deſcriptum iri.

Sed quid, *Bellarmine*, id adeò obſtinate negare audes, cujus tu ipſe propriis verbis convinci potes. Inſpice, quæ ſcripſiſti, *pag.306.307. libr.4. De verbo DEI non Script. Cap.12.* Ubi planè Gnoſticus factus es, & quæ ad perfectionẽ faciunt, inter pauciſſimos ſecretiſſimè tradenda & docenda fuiſſe aſſeris: ita enim explicas mandatum iſtud, *Pauli 2.Timoth.2.verſ.2.* & dicis: Verum ſenſum Scripturarum PENDERE ex Traditione Eccleſiæ NON-SCRIPTA. Quid autem verus ſenſus aliud eſt, quàm ipſa DOCTRINA CHRISTI. Ergò DOCTRINA CHRISTI PENDET ex Traditione Eccleſiæ NON-SCRIPTA. Ac proinde: Vel DEUS conſtituit, ut Doctrina CHRISTI non ſcriberetur, ſive NON-SCRIPTA eſſet: Vel Scripturæ SENSUS ex Traditione NON-SCRIPTA,

non

non DEPENDET. Denique cum ais, Euangeliſtas non habuiſſe mandatum ſcribẽdi, *Chemnicium* à crimine abſolvis, quo te implicas. Nam quidquid in Divinis absq; mandato Dei fit, contra eius mandatum eſt, *Matth.15. Eſa.29. Rom.14.*

II. Mendacium exſtare dicit, *pag:185.189.* ejusdẽ examinis, ubi ait *Chemnicius*: Apoſtolos habuiſſe mandatũ, ut ſcriberent. Sed DEUM atq; homines *Jeſuita* apertiſſimè ludificatur. Utiq; mandati teſtimonia luculenta exſtant, *2.Pet.1.v.21.* Non voluntate humana. Ergò voluntate divina: Voluntas autẽ divina decretum & mandatũ eſt. Deindè acti à Deo Apoſtoli & Prophetæ ſcripſerunt, Ergò expreſſo mandato eius. Nihil enim intereſt, ſive verbo, ſive facto, & interno juſſu mandatũ conſtet. Et in Apocalypſi hoc mandatum ſæpiſſimè Johanni inculcatur. Id quod ne *Jeſuita* quidem negare audet: Quod autem ea, quæ Johannes ex mandato Dei ſcripſit, nihil agere dicit, de doctrina Euangelii, & præceptis morum, impietatis vox eſt, manifeſtiſſimis Apocalypſeos dictis damnata, quibus præcipui Articuli fidei proponuntur & illuſtrantur: Ut Articulus de Perſona & merito Chriſti, de Cruce & calamitatibus, de Statu animarum poſt mortem, de Fine mundi,

de

de perſecutione & Conſervatione Eccle-ſiæ, de Angelis bonis & malis, de Invocatione,, ultimo judicio, de Vita æterna &c. 2. Quin & Johannes juſſus eſt ſcribere, *Apoc.2.ver.3.& Cap.21.verſ.15.* Non viſiones tantum, ſed dicta & Viſa. Produco porrò mandati illius ſatis gravem, & Pontificiis non ingratum teſtem Auguſtinum *lib.1.* de Conſenſu Euangeliſtarum. *cap.35.col.395. Tom.4.* Quidquid Chriſtus de ſuis dictis ac factis nos legere voluit, SCRIBENDUM diſcipulis ſuis, tanquam ſuis manibus IMPERAVIT. *Item. Irenæ.lib.3.cap.1.*

Reliqua undecim mẽdacia numerat, hoc modo: ex *pag. Chemnicij 420.* vel *199.200.*

I. De verbis Conſecrationis Pontificiæ, quę, Confeſſione Innocẽtii, plura ſunt, quã DOMINUS in Euangelio dixit: & tamen illa ex Apoſtolica traditione haberi vult. Hic ſubjicit *Chemnicius:* Sed Scriptores Pontificii annotarunt, à quibus Romanis Pontificibus verba illa ſint adjecta: Et idcircò mendacii accuſatur à *Ieſuita*, quia nemo inveniri poſſit, qui in verbis Conſecrationis aliquid addiderit.

Reſpond. Chemnicium de Criminatione *Ieſuitæ* Gloſſa ipſa vindicat; quæ ſtatuit, multa ab Eccleſia obſervari, quæ non ſint tradita ab Apoſtolis: Ergò cum nec CHRI-

STUS,

STUS, nec Apoſtolus aliquis auctor illius augmenti, in verbis Cõſecrationis, dici poſſit, tandem ad Superſtitioſum aliquem Sacrificulum neceſſariò recurrendum eſt. Is eſt Scholaſticus quidam nomine, primus Cõpilator Canonis. *Chemnicius ex Gregorio & Innocentio, pag. 301. part. 2.* de Miſſis &c.

II. Mendacium. Totum Canonẽ Miſſæ cum reliqua Theatrica pompa eſſe ex Apoſtolica traditione, ſi quis vel dubitare ſe oſtenderit, anathemate percellitur. Verba ſunt *Chemnicij*: Sed quo ore & qua fronte ea negat *Ieſuita?* Accipe ergò probationem ab ipſo *Chemnicio, pag. 300. 2. partis* de Canone miſſæ. Circius *Polonus* dicit, omnes expoſitiones Canonis eſſe ineptas, non enim quærendam eſſe interpretationem Canonis, ſed quia myſterium ſit à CHRISTO & Apoſtolis traditum, ideò non intelligendum, ſed adorandum eſſe. Sed & alterum tibi teſtem ECCIUM, *in Enchirid. libr. 17.* de Sacrificio Miſſæ: Quomodo à Columnis Eccleſiæ inſtituta ſit Miſſæ actio CEREMONIOSA *(ut ita loquar)* ex Sancto Dionyſio Apoſtolorum diſcipulo liquet. Ordo miſſæ vel Orationum, quibus Deo oblata Sacrificia conſecrantur, primò à Sancto Petro eſt cõſtitutus, cujus celebrationem uno eodemq; modo univerſus per-

agit

agit orbis. Et ſexta Synodo ſic habetur. *Iacobus Frater* Domini ſecundum carnē, cui primum credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & *Baſilius* Cæſarienſis Epiſcopus, cujus claritas per totum orbē refulſit in Scripturis, addiderunt nobis miſſæ celebrationem.

At quid opus verbis, tu *Bellarmine*, ipſe convicium tuum, & tollis & ſorbes: dicis enim, *Cap. 9.* de verbo Dei non ſcripto, *libr. 4. pag. 292.* Illa omnia quæ Eccleſia fide tenet, tradita ſunt ab Apoſtolis, aut Prophetis, aut Scripto, aut verbo.

III. Quod *Alexander* ſtatuerit aquam vino eſſe admiſcendam in celebratione Euchariſtiæ, & aquam ac ſalem benedictum inſtituerit. Negat hoc *Ieſuita*, quia *Alexander Epiſt. 1.* ſe hoc à Patribus accepiſſe, dicit.

Reſpond. At *Chemnicio* fidem faciunt Platina in vita Alexandri iſtius. Et Petrus de Natalibus. *libr. 4. Cap. 118.* Hic præcepit ut aqua vino miſceretur. Conſtituit etiam aquam exorcizari, cum ſale diebus Dominicis benedici &c. Faſciculus temporum. *Sigebertus. Bergomas. libr. 8.* idem teſtantur & *Damaſus, & Martyrologium.* Epiſtola autem illa Alexandri doctiſſimis quibusq; adulterina & falſa videtur. Sed en tibi præterea fidem *Ieſuitæ*, nam in Epiſtola iſta

Alexan-

Alexander aquæ & Salis benedicendi inſtitutum ſibi expreſsè arrogat: his verbis: Aquam Sale conſperſam populis benedicimus, quod & omnibus *Sacerdotibus faciendum eſſe Mandamus. Clemens* autem & *Baſilius* non de aqua luſtrali, ſed de aqua Baptiſmatis agunt.

IV. Quod *Theleſphorus* jejunium quadrageſimale inſtituerit. *Reſpond.* Si jejunium quadrageſimale eſt 7. hebdomadum jejunium, ut fert conſuetudo loquendi inter Pontificios, rectè ejus auctor *Teleſphorus* à *Chemnitio* dicitur: Fatente ipſo *Bellarmino*, hoc loco, & teſtibus *Platina*, ac *Petro* de Natalibus. *libr. 2. Cap. 46. Hieronymus* non ait jejunium quadrageſimæ ab Apoſtolis inſtitutum eſſe, ſed ſe juxtà Traditionem Apoſtolicam, ſcil. de jejunio Chriſti, ſemel in anno, tempore ſibi congruo, jejunare. *Hieronymus* autem *Teleſphoro* poſterior fuit plus minus 400. An. *Deinde* opus, quod antiquitus liberum fuerat, & adiaphoron ac privati arbitrii, teſte *Irena. inf. pag. 153. Teleſphorus* mandato impoſuit, & publicum fecit. Ergò & hoc pactò auctor eſt obſervandi jejunii quadrageſimalis.

V. *Hyginus Chriſma* inſtituit & dedicationem templorum. *Reſpon.* De *Hygino* af-

firmatur hoc *Diſtinct. 1. de Conſecrat. Cap.* Omnes Baſilicæ cum Miſſa debent ſemper conſecrari, & Eccleſiæ deſtructæ: Ubi autem plures ſunt quàm neceſſe ſit, aut Majoris magnitudinis, quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus reſtaurari poſſint: Epiſcopi providentia modus inveniatur, qualiter conſiſtere poſſit. *Item Cap.* Eccleſiæ vel altaria, quæ ambigua ſunt &c. Et qualiter ergò David &c. *& libr. 2. in Decretis Ivonis.*

VI. *Calixtus* jejunia quatuor temporum inſtituit. *Reſpon.* Iterum ſibi ipſi reſpondet *Bellarminus:* Fatetur enim *Calixtum* unum jejunium ad tria adjeciſſe Ergò quatuor temporum jejunium inſtituit. 2. *Chemnitio* præterea adſtipulantur *Platina* in vita Caliſti: & Petrus de Natalibus, *libr. 9. Cap. 62.* qui & diſtributionem temporis, & ipſa initia jejunii trium & quatuor temporum ei tribuunt.

VII. *Sylveſter* confirmationem puerorum invenit, *Chrisma* Epiſcopis attribuit. *Reſpon.* Autores fuerunt *Chemnitio* dicti iſtius. *Damaſus* in Pontificali. *Platina* in vita Caliſti: Petrus de Natalibus, *lib. 2. Cap. 12.* & alii: ſuum ergò convicium *Jeſuita* ſibi imputet.

VIII. *Felix* altarium conſecrationem

inſti-

inſtituit. *Reſpond.* Iterum pro *Chemnitio Platina*, qui ait in vita ejus: Templa denuo conſecrari debere, ſi de conſecratione templi ignoratũ fuerit. Quod autẽ de templis dicitur, pari modo de altaribus ut rebus ad templa pertinentibus intelligendum eſt: *Diſtinct. 1.* de conſecrat. *Cap.* Solennitates: cujus Capituli titulus hic eſt: Singulis annis dedicationum Solennitates celebrantur, & conſecratur etiam Eccleſia de cujus conſecratione dubitatur. Verba autem Textus hæc ſunt: Solennitates dedicationum Eccleſiarum & Sacerdotum per SINGULOS ſunt celebrandæ. De Eccleſiarum cõſecrationibus quotiẽs dubitatur: ut nec certa Scriptura, nec teſtes exiſtant, à quibus conſecratio ſciatur: absq; ulla dubitatione ſcitote eas conſecrandas, nec talis trepidatio facit iterationem: quoniam non monſtratur eſſe iteratum; quod nec ſcitur eſſe factum. Unde patet quod duplex ſit conſecratio templorum, & rerum ad templum pertinentium. Initialis nempè, & anniverſaria: illius autor eſt *Sylveſter*: hujus *Felix*.

Deinde modo aliquis ex Pontificibus ſit auctor conſecrationis illius, verum ergò dixit *Chemnitius*, & inſtituto ſano conve-

niens, falſo pro Apoſtolica traditione eam à Pontificiis jactari.

IX. *Felix IV.* inſtituit ut infirmi ante obitum inungantur. *Reſp.* Solemne veritatis teſtimonium *Chemnitio* perhibent, Petrus de Natalib.*libr.6.Cap.155.* Faſciculus temporum. Illa autem quæ ex *Marco & Jacobi Epiſtol. Cap.5.* adducit, nihil ad rem faciunt. Toto enim celo differunt unctio Apoſtolica ad curandos & ſanandos ægrotos, *Marc.6. Jacob.5.* & Pontificia Felicis. Nec unctioni etiã cujus *Innocentius I.* meminit, cum hac Felicis quidquam cõmune eſt: illa enim fuit imitatio tantum Apoſtolicæ unctionis, ad excitandam fidem, & preces infirmorum pro recuperanda valetudine: hæc verò Viaticum mortis ad ſalutem neceſſarium.

Porrò cauſſæ Chemnitij nihil intereſt, ſivé *Innocentius*, ſivé *Felix* ſit auctor unctionis, modo conſtet, Apoſtolos ejus auctores non eſſe, quod Pontificii volunt. Qui proprius eſt controverſiæ ſtatus.

X. *Syricius* memoriam & invocationem Sanctorum Miſſæ addidit. *Reſpond.* A partibus *Chemnitij* eſt *Durandus* in Rationali divinorum,*lib.4.3.part.Canonis.pag.63.fac.b.Colum.1.* Syricius Papa addidit hæc verba: Cõmunicantes & memoriam vene-

venerantes. *Item*. Eccleſia poſt tẽpus beati *Sylveſtri* cepit memoriam Sanctorũ confeſſorũ venerari. *Cyrillus Hieroſolymitanus*, teſte hiſtoria, *Syricio* non fuit antiquior: Sed coætaneus, ut & *Baſilius* vix paucos annos prior ipſo fuit: Liturgia autẽ *Baſilij*, cujus teſtimonio utitur *Ieſuita*, longe alia eſt, à forma precum Canonis, & præthereà planè adulterina, *Chemnit. 2. part. Exam. pag.304.* 2. Verum notandum etiam eſt, artificium Dialecticæ *Ieſuiticæ*, qua ex genere ſtatim ſpeciem colligunt & concludunt, vel ex diverſis eadem faciunt. Nam etſi Veteres aliquam precum mentionem faciunt: Nondum tamen edocuit *Ieſuita* de ſuis illos preculis, & hac forma, atque ordine loqui, qui in Canone Miſſæ inſtitutus eſt. Toto autem celo diſcrepare veterum inſtituta à Pontificio Canone, qualis nunc eſt, *Chemnitius* ex hiſtoria & exemplis primitivæ Eccleſiæ docuit, *2. part. Exam. pag.301.* de Canone Miſſæ.

XI. *Pelagius* memorias mortuorum anniverſarias Miſſæ adjecit. *Reſpon.* Vindex *Chemnitij Platina* in vita *Sixti primi*, ubi ait: Mortuorum autem commemorationem *Pelagius* invenit. Et *Gelaſius Diſtinct.1.* de Conſecratione Cap. Viſum prçtereà nobis eſt &ç. cujus Titulus: In omni-

bus miſſarum ſolemnibus pro defunctis oratio fiat.

Quod ad *Tertullianum* attinet, ejus oblationib. cum Canone Pontificio, nihil quidquam commune eſt: Nec ad præſentem cauſſam quidquam faciunt. Hic enim non eſt quæſtio, an pro inſtituto ejus temporis Veteres oblationes quaſdam, in gratam recordationem ſuorum piè defunctorum, item Natalium dierum, & Nuptiarum, annuatim fecerint, & in uſum pauperum, ac Eccleſiæ contulerint, ac diſtribuerint: Sed quæſtio eſt de memoriis mortuorũ Miſſæ inſertis, quòd *Pelagio* juxta *Platinã & Gratianum, ex Concilio Cabilonenſi, à Chemnitio* veriſſimè tribuitur. *Nugas ergò Ieſuita agit.*

XII. *Ieſuitæ* hanc faciunt differentiam inter Traditiones Apoſtolorum Scriptas, & inter eas, quas ipſi ſub Apoſtolorum nomine confingunt. Scriptas dicunt eſſe arbitrarias. Confictas dicunt obligare ſub periculo ſalutis. *Reſp.* Huc ades *Bellarmine*, quoniã adeò obliviosſus es, ut tibi in memoriam revocemus, quod dixiſti, *lib. 4. Cap. 12.* de verbo Dei non ſcripto. Scripturæ finem proprium non eſſe, ut eſſet regula, ſed ut eſſet commonitorium quoddam utile. Si non Regula eſt, ſed cõmonitorium tantũ utile; Non ergò NECESSARIA OMNINO, ſed ARBITRARIA

erant

erant, quæcunq; Apoſtoli in Scriptura tradideiũt. Quia tu non Neceſſitatis & Legis, ſed Utilitatis & Admonitionis tantum ratione eam commendas. Deinde omnẽ neceſſitatem & interpretationem Scripturæ à Traditionibus ſuſpendis.

Tertio ſtatus controverſiæ inter *Chemnitium & Ieſuitas Colonienſes* attendẽdus eſt. *Chemnitius* communionem ſub utraq; ſpecie ex inſtitutione & mandato CHRISTI, ac Traditione Apoſtoli Pauli ſcripta ad omnes pertinere contendit.

At Jeſuitæ, *Andradius*, *Bellarminus*, *& Pontificij* omnes volunt: *Non obligari* Laicos ad uſum calicis in Sacramento al[illegible]ris: Contrà Communionem ſub una ſpecie laudabiliter, *& tanquam legem* obſervandam eſſe. *Concil. Tridentin.* Nunc ſi concludendum eſt, quid aliud ſequetur: Quam *Ieſuitas* in loco de Cena docere, traditiones Apoſtolorum Scriptas, non neceſſarias eſſe, Pontificiorũ verò non Scriptas eſſe neceſſarias. Veriſſimè autẽ *Chemnitius* iſtam criminationẽ à ſe repulit, *pag. 196. 2. part. Exam. Concil. Trident. de Cõmun.* ſub utraq; ſpecie, ubi ait: Falſum eſt, quod quidam fingunt, Paulum ibi nudam tantum hiſtoriam inſtitutionis Cenæ Dominicæ, & quidem hiſtoricè tantum recitare: cùm totus Contextus tantum non clamitet, id-

 eò

eò Paulum repetiiſſe& adduxiſſe verba inſtitutionis, ut ex illa norma & Regula errores & abuſus, qui in Eccleſiam Corinthiacam, circa adminiſtrationem, & uſum Sacramenti hujus irrepſerant, corrigeret; atque veram rationem in adminiſtratione, & uſu Cenæ Dominicæ, ex fonte& fundamento inſtitutionis ipſius monſtraret &c.

Hæc præmittere volui, Lector optime, ut in ipſo limine, candoris & conſcientiæ *Ieſuiticæ*, exemplum haberes, ne ipſorum conviciis, atteſtationibus, inficiationibus, quidquam movere: Nam quod ex Cretenſibus reliquum fuit in mundo, id omne in *Ieſuitas* natura, & pater Jeſuitarum exoneravit, *Tit. 1.*

De reliquis ſuo loco: Sicut & contradictiones, ſingulatim percenſere brevitatis ſtudio nolumus, præſertim, quia in ipſa tractatione loci, ſparſim de iis aliquid dictum eſt.

Unum Colophonis loco adjicimus, univerſæ pietatis, fidei Religionis, & reverentiæ *Ieſuiticæ*, qua Scripturam Sacrã hoc hominum genus colit, & proſequitur, argumentum: quod exſtat *libr. 4.* De verbo Dei, non ſcripto, *Cap. 4. pag. 264.* his verbis: Neceſſe eſt noſſe exſtare libros ali quos verè Divinos; *quod certè* NULLO

MODO

MODO ex Scripturis haberi poteſt. Nam etiamſi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe divinos, *tamen NON CERTO id credam*, niſi prius credidero, SCRIPTURAM, quæ hoc dicit eſſe divinam. *Nam etiam in ALCORANO MAHUMETI paſſim legimus*, ipſum Alcoranum de Celo à DEO miſſum, *& tamen ei non credimus.* Itaq; hoc dogma tàm neceſſarium, *quod ſcilicet aliqua ſit Scriptura divina, non poteſt ſufficienter haberi ex ſola Scriptura.* Proindè cum fides nitatur verbo Dei, niſi habeamus verbum Dei non ſcriptum, *nulla in nobis erit fides.*

Ecce verò, optime Lector, an non univerſam iniquitatis abyſſum hîc detectam, & in apertam lucem productam adſpicis? Dubitas ne amplius, *Ieſuitas* Scripturam, omni autoritate & fide dejectam, ac penitus exſtirpatam capere? Non ſatis fuit blaſphemiarũ, quòd hactenus, fabulis Æſopi, naſo cereo, regulæ plumbeæ, comparata: Fons & origo hæreſeon, aſylum hæreticorum, materia litis, littera muta & mortua dicta fuit Scriptura: Nunc blaſphemiæ in furorem etiam erumpunt.

Viſi ſunt olim *Ieſuitæ* aliquid remiſiſſe, & dedolaſſe quodam modo craſſiſſima veterum Papiſtarũ, & incredibilia abſurda. Ac

Bellarminus quidem, *lib. 1.* De verbo Dei, *Cap. 2. pag. 2. 3. 4. 5. 6. &c.* his elogiis, planè Lutheranis, Scripturam exornavit.

1. Exemplo Chriſti ex Scripturis divina dogmata confirmanda.

2. Cõtroverſias in populo Dei, *mandato Moyſis ex lege Domini dijudicandas.*

3. Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, *nihil notius nihil certius eſſe: ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit; qui illis fidem habendam neget.* Notiſſimas enim eſſe, teſtis eſt orbis Chriſtianus, Teſtis veritas vaticiniorum: Teſtis incredibilis, *& divina planè conſpiratio*, atq; Concordia virorum Propheticorum & Apoſtolicorum, longiſſimis intervallis diſſitorũ, ut non tam ipſi Scriptores diverſi, quam unius Scriptoris, diverſi calami fuiſſe videãtur. Teſtis Deus ipſe defenſione ſua & conſervatione admirãda hujus libri. Teſtis ipſa Scriptura, collatione eventuũ & prædictionum: teſtis infinitus numerus miraculorũ.

4. Sacra Scriptura regula *credendi certiſſima & notiſſima eſt*, & ſanus profectò non eſt, qui ea neglecta, Spiritus interni, *ſæpè fallacis, & ſemper incerti judicio ſeſe committit.*

Si dicta iſta intuearis, videbitur ſane *Jeſuitæ* in Scripturam, & pietas & reveren-

tia

tia quantivis facienda? At ſi oculos convertas in collationem iſtam cum Alcorano Mahometi, animus ad ejus conſpectum non poterit, non cohorreſcere. Etſi verò immanius & indignius à *Ieſuita* fieri nil potuit, quàm quod teſtimonium Scripturæ de majeſtate, ac autoritate ſua divina, eodem loco habet cum blaſphemiis Alcorani: Non tamē arbitrabimur, hoc ſine ſingulari Dei nutu & providentia ita accidiſſe: Non enim ignotum nobis eſt, quanta calliditate errores ſuos alias occultare & palliare, quibus verborum involucris, quo pietatis & devotionis geſtu, in externa vita uti conſueverint: quibus nonnunquam hominum oculos, atq; animos occupant; Verum omnia ad hypocriſin compoſita eſſe, ex unica iſta *Bellarmini* confeſſione, quá *Papæ*, & univerſi Ordinis *Ieſuitici* nomine edidit, ſatis ſuperq; deprehendimus.

Dicat ſanè: Scripturâ nihil certius eſt & notius. At non credit, quod dicit: quia clarè profitetur; ſe id non crediturum, niſi aliis argumentis, aliunde quàm ex Scriptura petitis, hoc oſtendatur.

Recenſeat argumēta Scripturæ interna, à vaticiniis & eorū eventu: à majeſtate, à puritate doctrinæ & ſermonis, à conſervatione, à miraculis: Nulla tamē in ipſo fides eſt:

Quia

Quia ſi non habet Verbum non ſcriptum, quod Scripturæ fidem faciet, nullam Scriptura apud ipſum fidem meretur.

Fateatur: Scripturam eſſe divinam: Negat tamen hoc ULLO MODO ex Scripturis haberi poſſe: NULLO MODO (*aut*) hoc ex Scripturis haberi poteſt.

Referat teſtimonia Scripturę, quib. affirmatur, libros Prophetarum & Apoſtolorú eſſe divinos, non tamē pluris ea facit, quàm *Alcorani Turcici teſtimonia, quæ paſſim in ipſo leguntur*, quod à Deo de Celo ſit miſſus.

Hæc ergò eſt Synopſis univerſæ Theologiæ *Ieſuiticæ*, quàm diligentiſſimè meminiſſe debes, quotieſcunq; cum iſtiuſmodi hominibus tibi res eſt. Nam ſi eam ex animo nunquam depones, nulla te vi, nulliſq; perſuaſionibus in caſſes idolomaniæ ſuæ pertrahere poterunt: Cùm, qui verè Chriſtianus eſt, nulla re magis offendatur, quàm ſi Scripturam ſacram cum Alcarano conferri audiat.

Provoco hîc ad tuam conſcientā, Chriſtiane Lector: Atq; oculis hiſce jam videre mihi videor lacrimas animi tui, quibus immanitatē vocis iſtius deploras. Quæſo num ad deſperationē & interitum animę immanius aliquid dici potuit, quàm hoc: *NULLO MODO haberi ex Scriptura poſſe, li-*

bros aliquos exſtare divinos: & Scripturæ dicenti, Se eſſe Divinam, tàm non eſſe credendum, quàm Alcarano Mahumeti, dicenti, ſe de Cœlo à Deo miſſum. Quid enim? Num certior non eſt origo Scripturæ divina, quam Alcorani?

Num alia non ſunt argumenta autoritatis Scripturæ, quam Alcorani? Num alia non eſt vis &, efficacia verbi Prophetici & Apoſtolici in Scripturis revelati, quam Alcorani? Deſiit ne eſſe potentia, & Virtus Dei ad ſalutem omni credenti Græco & Judæo? *Roman. 1. verſ. 16. 1. Corinth. 1. verſ. 18.* Omnem ne vigorem, vitam, & efficaciam perdidit? *Hebr 4. verſ. 12.* Apage.

Num credis Scripturæ non alia de cauſſa, quàm quia *tu ita tecum vis & ſtatuis, eam eſſe divinam?* Ad has enim anguſtias tandem redeundum tibi eſt, ſi *Ieſuitæ* aſſentiris: qui Scripturæ alia de cauſſa non credit, quàm quia ita vult & ſtatuit Eccleſia: Quilibet autem Chriſtianus eſt membrum Eccleſiæ: Quilibet ergò Chriſtianus ſibi ipſi eſt ratio, cauſſa, fundamentum & argumentum credendi.

Hæc ſcilicet ſunt firmamenta ac robora fidei Pontificiæ, quæ omnibus tentationibus, & periculis, omnibus afflictionibus, & ignitis Satanæ telis objicienda, & opponenda ſunt.

Eſt verò & illud non prætereundum: Quod ſi aliquando audias unum, atq; alterum dictum Scripturæ jactari à *Ieſuitis*, in quocunq; congreſſu, aut conflictu diſputationum: jea non niſi dicis cauſſa ab illis adduci: Meminiſſe enim debes: *Nullo modò ex Scriptura divinam autoritatem quærendam*, cum unius Eccleſiæ verbo non ſcripto, *hoc eſt*, hominum opinioni autoritas illa divina debeatur.

Nolo plura addere, optime Lector, qui piæ tuæ meditationi omnia permitto: ac verbis *Bellarmini*, ſuperius jam allatis contra *Bellarminum* concludo. *Quia Sacris Scripturis Propheticis & Apoſtolicis nihil eſt notius, nihil certius, ſtultiſſimus utiq; is eſt, qui illis fidem habendam negat*: Et ab omni pietate alieniſſimus, qui dictis & teſtimoniis Scripturarum in ſeipſis, majorem fidem non habet, quàm Alcorano Mahumeti: immò actum eſt de ejus cõverſione fide & ſalute, *qui ultra id, quo nihil* NOTIUS & CERTIUS *eſt, alia cognitionis, probationis & fidei ac firmitatis, ſeu certitudinis fundamenta quærit.*

Vale, optime Lector, in CHRISTO JESU DOMINO & Salvatore noſtro, & preces tuas pro ſalute Eccleſiæ, his afflictiſſimis poſtremi mundi temporibus, nobis-

rum conjunge. Quod ſi ex uſu tuo futu-
rum eſſe ſenſero, de voluntate, & judicio
Superiorum, alteram etiam Controver-
ſiam de Perſona CHRISTI, cum *Ieſuita*
adhunc ipſum modum jam decertatam,
& ad umbilicum perductam, haud
gravatim te cum com-
municabo.

PROLEGOMENA DE STUDIO THEOLOGIÆ.

QUANTUM HOMINI CHRIſtiano operæ in ſtudiũ Theologiæ collocandum ſit, ipſa non tantùm Doctrinæ præſtantia,ſed etiam ſumma,quę univerſum genus humanum urget,neceſſitas,perſpicuè oſtendit. Cùm enim ea ſit omnium noſtrûm conditio, ut adverſus ea, quib.nos occupatos &ob noxios ſentimus, calamitatum & errorum mala remediũ & liberationem naturâ deſideremus: Et verò unica Theologiæ ſcientia id præſtare poſſit. ſiquidem ea verbum veritatis tradit,& Eloquium,quod vivificat,quod illuminat, & intellectum dat parvulis; *Pſalm.119. verſ.50.130.160. &c.* apparet utique, ea nihil ſanctius & antiquius habendũ eſſe. Quòd ſi porrò ipſum Doctrinæ genus animi oculis paulò accuratius intueamur,plura inde argumẽta,pro urgendo,omnibusq; aliis anteponendo ſtudio Theologico emergent,quam vel ore proloqui, vel mentis cogitatione ſatis adſequi poterimus.

I. Argumentum, à Notatione.

Theologia verbum ſignificat ſeu ſermonem divinum. Quo nomine ut ab aliis ar-

tribus & ſcientiis, quaſcunq; humana mens ſequi & colere poteſt, diſcernitur, ita iis ſingulis univerſus præfertur. Siquidem ut ipſo Deo, ita verbo divino nihil dignius, nihil in tota rerum univerſitate excellentius eſſe poteſt.

II. Argumentum, à Subjecto.

Jam ſi Subjectum ipſum conſideremus, Deus eſt, cujus cognitio (in qua ſalus noſtra conſiſtit) unicè quæritur, ac de ejus eſſentia, perſonis, voluntate, & operibus diſſeritur.

III. Argumentum, ab Autore.

Is eſt non Homo, nec Angelus, nec ulla alia Creatura: Sed ipſum Deum ſolum Doctrina hæc autorem agnoſcit.

IV. Argumentum, ab Effectis, & à fine.

Nemo eſt, qui non vitam deſideret beatam, & ad eam quam primùm aſpirare & pertingere diſcupiat.

At eam non niſi per Verbum hoc ſuum, & per hanc doctrinam operatur DEUS.

Ergò tàm amanda, tàm magnifacienda omni homini, quàm ipſa Salus.

Taceo reliquos Effectus, quibus non minus commendatum eſt hoc ſtudium: Cõverſio, Fides, Spes, Charitas, & Liberatio à peccato, Pax conſcientiæ, Familiaritas cum Deo: & Renovatio ad imaginem ejus, &c.

Quin

Quin immò tanta eſt, & utilitas & neceſſitas doctrinæ hujus, ut ſi felices ac Deo gratas eſſe velimus omnes alias actiones & meditationes noſtras, eam quaſi facem præ ſe ferre, & inde velut ab anima & vitam & vigorem petere cogantur.

V. Argumentum, à Fine ultimo.

Qui eſt Laus & DEI Gloria.

VI. Argumentum, à Conſenſu omnium populorum ſaniorum.

Omnes homines, cujuſcunq; , ſive Religionis ſive Superſtitionis, hoc tamen unanimiter teſtatum faciunt, cultum DEI omnibus aliis vitæ negociis magis excolendum eſſe. Quia omnes populi & unaquæq; Gens naturæ quodã ductu hoc ſenſit, Deũ & quærendum, & modum etiam diligentiſſimè inveſtigandum, quo colendus ſit.

Omnium ergò ſanctiſſimus & digniſſimus eſt labor, qui in ſtudio Theologiæ excolendo impenditur.

Eſt autem quæſtio prima de Mediis ſeu Inſtrumentis, quibus ejus cognitio traditur: Nempe Verbo Dei, ſive libris Propheticis & Apoſtolicis. Quam quidem nobis hac vice diſcutiendam propoſuimus.

DE PRIMO LOCO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

PROPOSITIO I.

Nomen habet doctrina Chriſtiana ab Autore ſuo, qui eſt CHRISTUS DEI filius unigenitus.

EXPLICATIO.

THESIS iſta Quæſtionem tractat quid nominis, quæ in omni doctrina, juxta leges Methodi primum ſibi locum vendicat. Ac communiſſimum eſt hoc nomẽ, quo Fides & Doctrina noſtra à CHRISTO *autore, ſeu cauſſa efficiente, Chriſtiana nuncupatur; Eſtq́ utrumq́ vocabulum Græcum, à Verbo χρίομαι deductum, quod ungi ſignificat: memoraturq́ ejus prima origo à Luca in Actis* 11. cap. v. 26. *ubi ait: Antiochiæ diſcipulos à fide & profeſſione primùm Chriſtianos dictos eſſe.* A Formâ.

Eſt verò *& ea ratione verè Chriſtiana hæc Doctrina, quia non niſi ex ùnctione Spiritus ſancti diſcitur & creditur: Quò* pertinet *dictum* Johan. 1. Epiſt. 2. cap. verſ. 20. 27. *dicentis: Chriſtianos habere unctionem à Sancto, & noſſe omnia, unctione eos docente.*

Vocatur etiam *VERBUM DEI: Doctrina*

ctrina divina : Sermo D e i *: Itidem à cauſſa efficiente ſeu auctore, qui eſt* D e u s.

Ab excellentia *vocatur Doctrina cæleſtis, quia de cælo eſt delata.* Deuter. 4. verſ. 36.

A cauſſa inſtrumentali *doctrina Apoſtolica, Prophetica: Quia per Apoſtolos & Prophetas tradita eſt, teſte Petro*, 2. Petr. 1. cap. verſ. 19. & 21. *Paulo* Epheſ. 2.

Ab adjuncto, *Scriptura, Verbum ſcriptum*, Johan. 5. verſ. 35.

Ab Effectu, *Verbum ſalutis, Potentia ſalutis*, ad Roman. 1. 1. Corinth. 1.

PROPOSITIO II.

Eſtque Doctrina à D e o per Prophetas & Apoſtolos tradita, quâ de ipſius eſſentia, & voluntate, déque omnibus Articulis ad vitæ & fidei inſtructionem neceſſariis, erudimur.

EXPLICATIO.

Hac *definitione paucis verbis explicatur, quid de tota hac Doctrinâ ſentiendum ſit, atque his quatuor quæſtionibus abſolvitur.*

Prima, *eſt de Autore, quod is nemo alius ſit, niſi ſolus* D e u s.

Secunda, *de cauſſa inſtrumentali, quæ ſunt Prophetæ & Apoſtoli.*

Tertia, *de Subjecto, quod eſt* Deus.

Quarta, *de Effecto; Vita ſcilicet & fidei inſtructio ac ſalus æterna.*

De *his quatuor quæſtionibus breviter dicendum eſt.*

PRIMA.

CONFIRMATIO I. DE AUTORE DEO.

I. Argumentum.

E*X teſtimoniis Scripturæ manifeſtis, quibus Deus autor doctrinæ Evangelicæ perhibetur,* Hebr.1.verſ.1. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: Noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio &c.* Deuteronom.4.verſ.12. *Locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis.* Item verſ.36. *De cælo te fecit audire vocem ſuam.* Marc.1.verſ.1. & 2. *Ita orditur Evangeliſta librum ſuum: Initium Evangelij Jeſu Chriſti Filij Dei,* Act.1.verſ.12. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, quæ cepit Jeſus facere & docere.* Et cap.3.verſ.18. *Deus autem quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum &c. Hæc teſtimonia ut in integrum redigantur Syllogiſmum, ideò non eſt opus, quia theſi noſtræ ipſa litera reſpondent, cui ſine cunctatione ſimpliciter credendum eſt, Teſte Epiphanio,* lib.3. *de*

Audia-

Audianorum Schiſmate ſol. 347. qui vult, ἁπλῶς ἁπλῇ τῇ διανοίᾳ δεῖ προσιέναι καὶ πιςεύειν, ὅτι τὰ ὑπὸ θεοῦ εἰρημένα ἐστιν ἀληθῆ. Hoc eſt: DEO eiuſq; dictis ſimpliciter & abſolute credendum, quia non niſi veritas ſunt.

II. Argumentum ab enumeratione partium.

TOTA *doctrina Chriſtiana dividitur in Legem & Euangelium. At utraq; pars habet hoc teſtimonium, quod ſit à Deo, ſecundùm dicta jam allegata. Ergò ipſum totum à Deo eſt.*

III. A miraculis, quibus confirmata eſt.

HORUM *infinitus habetur numerus in Scripturis, quæ nec ulli creaturæ adſcribi: nec ab ulla alia vel Religione, vel Superſtitione in ſui confirmationem produci poſſunt. Et de his ipſe* DEUS *gloriatur,* Eſa. 43. ℣. 10. 13. cap. 45. verſ. 7. cap. 40. ver. 26. *Iiſdemq́; veritatis Cõfeſſionem nonnunquam ſuis hoſtibus extorſit: ut Pharaoni & veneficis ipſius,* Exod 8. verſ. 8. & 19. *Phariſeis teſte Nicodemo,* Johan. 3. verſ. 1. & 2.

IV. A modo promulgationis.

NEC *enim hujus aut illius arbitrio ac dubijs conjecturis conſtat, ſed partim in naturam ipſam inſitum, partim ſingulari ratione ita pa-*

tefactum eſt, ut multa millia hominũ Dei præſentiam in promulgatione ejus, & agnoverint & ſenſerint: Id quod ex Hiſtoria promulgata Legis abundè patet, Exod.19. & 20. verſ. 19. *Ergò à Deo eſt.*

V. A Vaticiniis & eorum Eventu.

Ea profectò non niſi Deo *adſcribi poſſunt: Teſte ipſo* Deo, *qui provocat ad experientiam univerſalem, & appellat teſtimonium conſcientiæ omnium eorum, qui alienam ſequuntur ſive opinionẽ ſive fidem*, Eſa.41.cap. verſ. 22.23.26. *Accedant & nuncient nobis, quæcunque futura ſunt: priora quæ fuerunt nunciate &c.*

VI. Ab operibus & effectis, quæ ex ejus agnitione vera ſequuntur.

In hac vita odium Diaboli: Mundi faſtidium: Amor Dei: *Fiducia in* Deum: *Vita inculpata: Odium peccatorum: Conſcientiæ tranquillitas: Vnde ita argumentari licet:*

Quicquid *hominem cum Deo conjungit, ac Conſcientiam ejus in rebus adverſis tutam & tranquillam reddit, ad vitam Deo gratam inſtigat: Hoc ipſum à Deo eſt.*

At doctrina Chriſtiana (probatio) *ut Teſtimoniis & Exemplis in ſacro Codice docetur*, Galat.3. Rom.8. *Exemplo Pauli*, 1.Timoth. 1. *Petri*, 2.Petr. 1. *Paralytici*, Matth.9. *Matthæi*, Matth. 9. Johan. 15. 1. Johan.3. *Ergò.*

VII. A

VII. A Propagatione & Conſervatione hujus Doctrinæ.

Quæ nec vi nec armis conſtat corporalibus, ſed Spiritualibus tantùm, dicente Paulo, 2. Corinth. 10. verſ. 5. *Ac quamvis diabolus ferro & igni, aſſeclas hujus doctrinæ inſectatur; Nunquam tamen efficere potuit, ut doctrina ſuis deſtitueretur & cultoribus & confeſſoribus.*

Argumentum tale.

Doctrinam rationi adverſam, totiq; mundo ingratam & inimicam, ſine armis & vi externa, ſolà prædicatione verbi hominum mentibus probare & inſerere, hoc non eſt niſi ſolius Dei opus.

At doctrina Euangelica &c. (probatio) *Quemadmodum hiſtoriæ ſacri Codicis teſtantur: Et Majorum noſtrorum ſecula probant: Lutheri &c. Ergò eſt ſolius Dei opus.*

Contra V. Argumentum.

Gentium ſuperſtitio Vaticiniis non caret. Ergò ſi firmum eſt argumentum quintum, Illa quoque vera erit & divina.

Reſp. Ad antecedens. *Non fuerunt vaticinia, ſed illuſiones & præſtigiæ diabolicæ.* (probatio) *Quarum vanitatem nonnunquā prodit ipſum ſermonis genus obſcurum & ambiguum, cujus ſenſum certum, niſi ex evētu, nemo adſe-*

qui potuit: *Qualia illa Delphici dæmonis.*

Cic. 2. Fin. CRÆSUS *Halym penetrans magnam pervertet opum vim.* Item:

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Et Sempidis: ἡ Λίβυσσα κρύψει βῶλος Ἀννίβαλ δέμας. hoc eſt: *Terra Lybica teget corpus Annibalis.*

SIN *verò quandoque verum prædixit diabolus per idola: plus tamen non potuit, quã vel ex naturalibus cauſſis, vel aliis conjecturis licuit. Quin etiam, quod tempore Chriſti, per lucem Evangelij omnia ejusmodi idolorum oracula cõticuerunt & everſa ſunt, et ipſa fraus eorum detecta eſt, ſecundùm Prophetiam Zachariæ* 13. ver. 1. & 2. *Quam ſui demolitionem, ſub tempore adventus* CHRISTI, *editis aliquando oraculis ipſa quoq; confeſſa ſunt, ut eſt apud Suidam in Auguſto.*

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub Orcum.
Aris ergò dehinc tacitus diſcedito noſtris.

II.

CONFIRMATIO SECUNDÆ, DE PROPHETIS & APOSTOLIS.

NON *parum autoritatis Religioni & Doctrinæ Chriſtianæ accedit, quod per Prophetas & Apoſtolos edita dicitur. Fue-*

runt

runt enim illi ejuſmodi donis & miraculis inſtructi, ut fidem & admirationem, peſſimis etiam & infenſiſſimis hoſtibus ſuis extorquerent. Simoni Mago Actor.8. verſ.13. *Vario hominum generi & nationi,* Act.2. verſ.7. 12.37. & 43. cap.3 verſ.10. cap.4. verſ.13.16. *Vel tamen hoc obſervandum eſt, ut Annam quidem & Caipham, Chriſti Iudices & condemnatores ſigna Apoſtolorum negare poſſe: Sed ſignum & veritatem agnoſcunt, quamvis tamen idem de Chriſto ferre nolunt. Cuſtodi carceris,* Act.16. verſ.26.27. *Diabolo qui in puella Pythoniſſa loquebatur,* Actor.16. verſ.16. & 17. *Quin & ipſo eodem miracula Moſis, quæ non niſi a Dei digito perfecta eſſe, ipſi etiam venefici Ægyptiaci fatentur,* Exod.8. verſ.19. *Inde nunc conſtanter concludimus:*

VERBUM *hoc, quod prædicârunt Apoſtoli, ipſius Dei fuiſſe, quia non niſi divinis miraculis confirmatum eſt.*

II. QUICQUID *docuerunt, hoc veritas fuit, & Dei verbum, nec in fidei profeſſione unquàm aberrârunt. Locuti n. ſunt non voluntate humana, ſed Spiritu ſancto inſpirati,* 2. Petr 1. verſ. 20. 21. *Ergò fallere aut falli non potuerunt: Niſi Spiritum ſanctum ipſum fallere aut falli potuiſſe dicas: quod ἀσεβὲς.*

Huc facit Act.3. ℣ſ.18. DEUS, *quæ prænuncia-*

nunciavit per os omnium Prophetarum, pati CHRISTUM *ſuum, ſic implevit. Quo dicto omnes Prophetæ uno quaſi faſce colliguntur, quorum Concio & Doctrina Deo ipſi adſcribitur.*

ERGÒ ſemper & omni ex parte vera ac divina dixêre. Adde dicta, Acto. 2. verſ. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David.* 2. Reg. 23. verſ. 1. 2. 3. *Spiritus* DOMINI *locutus eſt per me.* Actor. 20. verſ. 27. *ait Apoſtolus, ſe omne Conſilium Dei Epheſiis annunciaſſe.*

III. *VATICINIA edita à Prophetis & Apoſtolis hoc idem teſtantur. Siquidem cum hæc ipſius Dei propria ſit gloria: Et tamen per Apoſtolos & Prophetas ſingula univerſa edita: Manifeſtum eſt eos non niſi Dei adſlatu locutos eſſe.*

CONTRA.

PRIMA OBJECTIO.

QVICUNQUE obſervationem Legis Ceremonialis & Forenſis neceſſariam exiſtimat Chriſtiano, & ab iis, qui eam non obſervant, ſeſe ſubtrahit & ſegregat, ille à via veritatis aberrat.

AT Petrus Apoſtolus hoc fecit. Ergò à veritatis via aberravit. Probatio Minoris, Galat. 2. verſ. 13.

Reſp.

Reſp. I. Ad Majorem: *Error duplex eſt, facti & doctrinæ: vel, vitæ & fidei. Vterq́ error aut in ipſo fidei fundamento committitur, eóque protinus dejicit, aut in circumſtantiâ aliquâ.*

Ad Minorem. *Petri error licet gravis, facti tamen erat, non fidei, & in externis quibuſdam circumſtantiis admiſſus. Nihil ergò hoc ad autoritatem doctrinæ extenuandam.*

Deinde, *Non tam* Error *eſt, quam erratum ſeu peccatum. Id enim, ſimulationem metu extortam nominat Paulus*, Galat. 2. verſ.13. *Quamvis autem Apoſtoli ab omni errore in doctrina liberi fuerunt, utpote immediatè à Spiritu ſancto acti: A peccatis tamen immunes non fuerunt, Teſte Apoſtolo*, Roman. 7.

Fuiſſe *igitur hoc Petri factum, peccatum, non errorem, duo iſta probant. 1. Quia metu aliquid exterius commiſit, cum mentis ſententia longè alia eſſet, quam occultabat. Peccatum ergò, non error. Error enim mentis eſt falſa perſuaſio. Ergò Mentem error primò occupat, indeq́ originem habet.*

2. Quia ſimulavit: Peccatum ergò eſt: Non error. Quia Error *ſub veritatis ſpecie in Cor ipſum penetrat.*

II. OBJECTIO.

Actor.10. verſ. 14.& 29. *Petrus in ea fuit opinio-*

opinione, Judæo non licitum eſſe, ſeſe gentili aut alienigenæ conjungere, cumq; familiarius complecti, ſed tanquam immundum & communem devitandum eſſe. Hinc concluditur:

Quicunque ſentit, *Gentes ſine Circumciſione gratiæ Euangelij & meriti Chriſti participes eſſe non poſſe, ille graviſſimè errat, & articulumq; de juſtificatione planè evertit: imò totum Chriſtum amittit, adſerente Paulo,* Galat. 5. verſ. 2. 4.

At Petrus ita ſentit. *Ergò graviſſimè errat, & Articulum juſtificationis evertit.*

Reſp. Ad Majorem. *Concedendo ſimpliciter intellectam. Ad Minorem negando. Nec enim probari poteſt, Petrum hoc errore occupatum fuiſſe. Sed hæſitatio tantùm quædam fuit, An ſcilicet adeundæ eſſent Gentes incircumciſæ Judæo, An verò contra Gentibus Judæi adeundi: vel aliâ ratione Euangelij Concio ad ipſos deferenda. II. Hæc Petri dubitatio non doctrinam, ſed temporis potius circumſtantiam concernit. Quia nondum determinatum ipſis videbatur tempus, quando Gentes adeundæ eſſent. Juſſerat enim Chriſtus prius Euangelium annunciari Judæis, & poſtea Gentibus,* Luc. 24. verſ. 47. Actor. 1. verſ. 8. Actor. 13. verſ. 46. & 47.

III. OBJECTIO.

Actor. 21. verſ. 20. 21. 23. 24 & 26. *Paulus*

totum

votum facit cum Judæis, radit caput, & ſacrificium pro ſe offert. At hoc erat umbram corpori ſubſtituere, & id quod Chriſtus ſuſtulerat, reſtituere. Erravit ergò Paulus.

Reſp. Si Erravit: *Erravit, peccando, non falſa dogmata ſtatuendo. Peccatum enim commiſſum eſſe à Paulo, non Errorem, patet: Quia metu extortum: Quia diſſimulatio erat, bono fine ad parandos Judæos ſuſcepta.*

2. *Si univerſum iſtud negotium examinetur, ad regulam illam,* 1. Corinth. 9. verſ. 12. 22. *qua aſſerit ſe omnia ſuſtinere, & omnia omnibus factum eſſe: apparebit inde Paulum nec erratum, nec errorem admiſiſſe. Adiaphoron enim fuit, prout tunc Eccleſiæ ſtatus erat, circumcidi, caput tondere, votum facere, &c. In adiaphoris autem infirmitati fratrum multa condonanda ſunt. Hoc cum fecit Paulus, ſibi cum infirmis credentibus, & de fundamento Evangelij Chriſti rectè ſentientibus rem eſſe ratus, non peccavit neque erravit; ſed accommodo medio ad erudiendos ſeu lucrifaciendos infirmos uſus eſt: Cujus felicem ſucceſſum malitia improbrũ intervertit.*

CONFIRMATIO ET EXPLICATIO DE SUBJECTO,

Quod eſt Deus.

Dei

DE l appellatione totâ intelligimus Trinitatem, ipſumq́ adeò Filium Dei, Dominum & Salvatorem noſtrum JESUM CHRISTUM, *in una perſona* DEUM & *Hominem, qui nequaquam excludendus eſt. Neq; tamen hîc Subjectum imaginemur nobis materiale, qualia plerumq́ ſunt reliquarum Scientiarum & artium Philoſophiæ ſubjecta, de quibus ſua accidentia & principia demonſtrantur. Quamvis enim de* CHRISTO *ſecundùm carnem, ea ſuo modo dici poſſint: In ipſum tamen Deum nil quicquam eorum cadit aut convenit: utpote qui Eſſentiâ eſt ſimpliciſſimus, omni principio & fine carens. Sed ideò dicitur Subjectum, quia Baſis & fundamentum eſt univerſæ doctrinæ Theologicæ, à quo omnia ſunt, & ad quem omnia referuntur, quæcunq; in ea tractantur. Id quod præcipuum & ferè palmarium eſt argumentum inquirendi cujuſcunq; artis aut Scientiæ Subjectum, ſecundùm Philoſophorum communem ſententiam. Unde promtè argumentum ducere licet.*

Id quod Baſis *eſt, & fundamentum alicujus ſcientiæ, à quo oritur, & ad quod tandem omnium aliorum (in eadem ſcientia vel arte noſcendorum) tractatio & cognitio refertur: Id, inquam, Subjectum eſt iſtius Scientiæ.*

At Deus Baſis & *fundamentum eſt totius*

Theolo-

Theologiæ, ad quem omnis cognitio reliquorum in Theologia noſcendorum refertur; à quo eodem ortum ducit.

Ergò Subjectum eſt Theologiæ.

Aſſumtum ſeu Minor *probatur ex ipſa Theologiæ definitione, omnibus recepta & uſitata, quæ in libello noſtræ* Margaritæ *ita habet: Theologia eſt Doctrina de vero DEO, de veris Cultibus* D E I *&c. Et quamvis à quibuſdam verborũ numero paulò aliter definitur. Nempè: Theologia eſt Doctrina,* tradens rationem conſequendi vitam æternam. Ipſa tamen ratio conſequendi vitam æternam (*quæ finis locum obtinet*) *in vera & ſalvifica Dei notitia conſiſtit. Teſte Chriſto Johan. 17. verſ. 3.* 1. Joh. 5. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant* T E *ſolum* D E U M *verum, & quem miſiſti* J E S U M C H R I S T U M.

Ex quo dicto ſecundum argumentum petitur hoc modo:

Vita æterna *cõſiſtit unicè in ſalutari agnitione Dei & quem miſit* J E S U M C H R I T U M.

Ergò tota *Theologia in ſalutari Dei agnitione conſumitur.* Antecedens probatur.

Tota enim *Theologia in eo conſumitur, ut participes nos reddat vitæ æternæ,*

Huc faciunt *quoque dicta* Johan. 5. verſ.

39. *ubi Chriſtus ad Judæos ait: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis habere vitam æternam: Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me* Johan. 20. verſ. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Denique *id eſt Subjectum Theologiæ, cujus vera & fideli agnitione, omni plenitudine Dei implemur, ac tandem ad conſummatam perfectionem deducimur: Quod unam Deus per verbi prædicationem quærit.*

At verâ *& fideli agnitione Chriſti, qui eſt ipſe verus Deus ſeu Filius* DEI *vivi, hoc conſequimur. Ergò Chriſtus eſt ſubjectum.*

MINOR textu *Pauli conſtat ad* Epheſ. 3. verſ 14. 16. 17. 17. & 19. *Flecto genua &c. ut det vobis &c. ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo & ſublimitas & profundum. ſcire etiam ſupereminentē ſcientiæ Charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Quæ plenitudo conſummata erit in nobis in vita æterna.* 1. ad Corinth. 15. & 13.

CONFIRMATIO ET EXPLICATIO,

De Effecto.

FRU-

FRUCTUM *ac effectum multiplicem habet & confert fidelibus ſuis cultoribus Theologia, & idcircò omnibus alijs Scientiis, quæ operosâ tantùm contemplatione diſcentes fatigant, infinitis partibus ſuperior ac nobilior eſt. Præterquam enim quod Chriſtianum hominem (qui eam ex animo colit & ſectatur) omnibus virtutibus perfectum, ac verè* τετράγωνον: *Fidelem in ſecundis: Conſtantem in adverſis rebus reddit*, Rom. 15. verſ. 4. *& ad omne opus bonum inſtruit*, 2. Tim. 3. verſ. 19. Pſalm. 119. v. 91. *cum Deo nos conjungit, eumq́; quaſi familiarem reddit & domeſticum, ut habitet in nobis*, Johan. 14. verſ. 23. Epheſ. 3. verſ. 16. *Præterquam, inquam, quod hoc præſtat: Euangelium etiam ſeu Concio de* CHRISTO *potentia eſt divina, ad ſalutem omni credenti*. Rom. 1. verſ. 17. *& efficaciſſimum organon eſt, per quod Deus fidem, juſtitiam, & ſalutem in nobis operatur. Dicta Scripturæ ſunt manifeſta.*

DE SALUTE.

Roman. 1. verſ. 16. *Non erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti*. 1. Corinth. 1. verſ. 21. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*. Johan. 8. verſ. 51. *Amen, amen dico vobis &c. mortem non videbit in æternum*

num. 1. Timoth. 2. verſ. 4. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

DE FIDE.

Roman. 10. verſ. 17. *Fides ex auditu eſt: Auditus autem per verbum Dei.* Johan. 17. verſ. 20. *Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per Verbum eorum in me. Hîc expreßè fides* VERBO *& Concioni Apoſtolorum, ut cauſſæ inſtrumentali adſcribitur.* 2. Corinth. 10. verſ. 4. & 5. *Arma militiæ noſtræ &c. potentia Dei &c. in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Hoc obſequium ipſa imprimis eſt fides, qua Chriſti membra regniq; ipſius cives efficimur.* Galat. 3. verſ. 26. *Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu. Quam fidem Paulus, ſe per Concionem verbi plantare, teſtatur. Vtrumq; ſimul & fidem & vitam complectitur.* Johan. 20. verſ. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia* JESUS *eſt* CHRISTUS *Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

CONTRA.

Quæ hîc *Anabaptiſtæ, Swenckveldiani, Enthuſiaſtæ, aliiq; id genus homines objiciunt, ſuaq; inculcant ſomnia alio commodiori loco, in Doctrinâ nempè de Sacramentis & Mi-*

& Miniſterio Eccleſiæ, examinanda veniunt.

PROPOSITIO III.

DOCTRINA iſta Species habet, Verbum DEI Ἄγραφον & ἔγγραφον. Ἄγραφον eſt aut naturaliter notum, aut prædicatum: aut etiam bonâ conſequentia ex Scripto Dei verbo deductum.

EXPLICATIO.

USITATA eſt hæc diviſio verbi Dei in ſcriptum & nonſcriptum, quam etiam Autor noſter in tertia Quæſtione attingit, cum ait: Doctrinam Chriſtianam partim notam eſſe naturaliter, ex Creatione: Partim patefactam divinitùs, & ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſam: Vbi expreſſè duæ Species verbi divini inculcantur: Aliud, quod natura notum: Aliud, quod patefactum & Scriptis comprehenſum eſt. Neque verò ab ullis ea partitio in dubium vocata eſt. Quare explicatione potiùs terminorum tantum, quam operoſâ confirmatione opus eſt.

Adſcribitur *autem ea Autori* Dionyſio Areopagitæ, *& approbatur* à B. Baſilio in libro de fide. *Pontificij autem quia ad defenſionem traditionum ſuarum plurimum*

ipſis videtur facere, eumprimis eâ delectantur: Intelliguntq́ nomine Verbi ἀγρέφȣ traditiones, quæ hinc inde in Papatu pro diuinis & Apoſtolicis venditantur, ut ſunt Pontificis primatus: Conſecratio aquæ in Baptiſmo: Vnctio Chriſmatis: Sacramentum Confirmationis: Extremæ Vnctionis: Ordinis: Sacrificij Miſſæ: Canon Miſſæ: Oblatio: Aqua in Calice: Invocatio Sanctorum: Oratio pro defunctis: Peccatorum enumeratio: Neceſſitas ſatisfactionis: Cælibatus Clericorum: Paſchatis die Dominico celebratio: Jejunium Quadrageſimale. Quorum ferè ex Petro Soto Chemnicius in Examinis prima parte, fol. 176. Catalogum deſcripſit. *At qui, verbum ἄγραφον his Pontificiorum nugis nullo modo patrocinatur: Id quod ſuo loco, quando de Traditionibus ſermo erit, liquebit: Sed intelligendum eſt partim de naturali Dei Legisq́ noticiâ, partim de cultu Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum Concionibus, quas in adminiſtratione officij ſui vivâ voce ad auditores habuere: Partim etiam de ijs, quæ licet juxta literam expreſſam in ſcripturis ſacris non leguntur, ſenſu tamen ijſdem reſpondent, indeq́ deducta ſunt.*

PRO-

PROPOSITIO IV.

TRES iſtæ Species ἀγράφου, pro diverſo reſpectu, cùm à ſe invicem, tùm à Scripto DEI verbo differunt & non differunt.

EXPLICATIO.

DIFFERUNT: *Naturale quidem à reliquis non ſcripti verbi ſpeciebus, ſicut & à ſcripto tripliciter. Origine: Forma, & Effectu. Origine & Forma, quia non demùm per prædicationem aut revelationem, ſed à naturâ, vel in proprio cujuslibet corde & conſcientia, vel in operibus Creationis adſpectabilibus, dictante, per ſe ipſum innotuit: Unde & Naturale dicitur. Effectu porrò diſſident: Quia id quod naturâ notum eſt, non tantum nil quicquam ad ſalutem conſequendam facit, verumetiã ſi verbo Dei revelato deſtituatur, iræ potiùs & judicij divini teſtis eſt, qui inexcuſabiles nos reddit* (ἀναπολογήτους) *& velut ipſa Lex ſcripta nos magis magisq; accuſat.* Roman.1. verſ. 20. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles &c.* Rom.2.verſ.15. *Naturaliter, quæ Legis ſunt, faciunt ejusmodi legem non habentes &c. teſtimonium in illis reddente con-*

ſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium &c. Vnde porrò patet, conſenſus eius cum Verbo ſcripto, quia Legis pars ſeu veſtigium quoddam eſt, ex Creatione poſt lapſum in naturâ reliquum. Patet etiam verba illa Margaritæ *in tertia reſponſione non* ἁπλῶς, *ſed* κατά τι, καὶ μέρος *de altera tantum ſpecie verbi revelati, nempè de Euangelio accipienda eſſe, cum ait: Per hanc ſolam; ſcilicet doctrinam Euangelicam, quæ naturaliter nota non eſt, ſed patefacta divinitus & Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſa) D*EUS *efficax eſt in hominibus, & credentibus confert vitam ac ſalutem æternam. Vocatio n. eſt ipſiſſima gratiæ Concio, in Euangelio comprehenſa, qua Deus ad inſtructam & paratam illam menſam nuptiarũ filij ſui nos vocat, Civesq́; Regni ſui efficit.*

Altera Species *non ſcripti verbi pertinet, in veteri Teſtamento quidem, ad tempus illud Patriarcharum ante Moſen, antequam Sacer Codex exſtitit: In Novo autem Teſtamento ad annos illos Apoſtolicæ expeditionis pertinet, antequam Concio Apoſtolorum literis cõſignari cepta fuit. Quod Verbum* ἄγραφον *cum* ἐγγράφῳ *plane idem eſt, req́; ipsâ nil quicquam differt: Sed tantùm ſecundùm accidens, ſeu ratione temporis, eò quod primò quidem voce prædicatum, poſteà autem in li-*

teras

teras relatum eſt. Idem ergò verbum diverſo duntaxat reſpectu modò ἄγραφον, *modò* ἔνγγραφον *dicitur: Quamvis hujus generis nunc quidem amplius non ſit* ἄγραφον, *ut liquet.*

Tertia Species ἀγράφȣ eorum eſt, *quæ ipſa quoq; ſcripta ſunt. ſed* ἄγραφα *dicuntur, quia* τὸ γράμμα, καὶ λέξις ἄγραφός *eſt: Quales ſunt pleriq; termini Theologici, quorum in Scholis ad explicandos Fidei Articulos, neceſſarius eſt & inevitabilis uſus.* Exempli gratia: *Vox Trinitatis: Eſſentiæ: Perſonæ: Liberi arbitrij: Infantes eſſe baptiſandos. Fœminas eſſe admittendas ad Sacram Cœnam &c.*

DEMONSTRATIO

Diviſionis & terminorum ejuſdem ex Scriptura.

PRIMA Species ἀγράφȣ, *verbum Naturæ.*

Duplex *eſſe verbum naturæ è propoſitionis explicatione liquet. Primum innatum, & ex Creatione reliquũ, quod in ipſum cor hominis natura inſculpſit,* Rom. 1. verſ. 19. τὸ γνωστὸν τȣ͂ Θεοῦ *manifeſtum eſt in illis.* Rom. 2. verſ. 14. & 15. *Gentes, quæ legẽ non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt ejusmodi legem*

non habentes ipſi ſibi ſunt Lex, qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ipſorum, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum.

Alterum eſt *adſcitum & quaſi conſectaneum illius, quod ex contemplatione ſeu conſideratione mundi innoteſcit: De quo loquitur idem Paulus locis allegatis*, Rom. 1. verſ. 20. *Inviſibilia ipſius, ſcilicet Dei, à Creatura mũdi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: Sempiterna quoq; ejus virtus & Divinitas. Hic Paulus ſæpiùs diſtinguit inter Legem non ſcriptam & ſcriptam. Ergò eſt aliquod verbum non ſcriptum, naturâ notum.*

A Philoſophis *& Sapientibus hujus mundi idem eſt decantatum verbum, quoties de principijs nobiſcum natis diſputarunt. Inde Termini Philoſophici* κοιναὶ ἔννοιαι, *Communes notiones:* πρῶτα φύσεως *principia naturæ,* πρῶται ἀρχαὶ, *prima principia:* πρῶται ἐπιβολαὶ, *primi animi conceptus, ſeu primæ animi intentiones:* προλήψεις *præſumtio ſeu anticipata mentis opinio (præjudicium) quæ nullam adverſam admittit inſtructionem ſeu perſuaſionem:* ἀξιώματα, *indubia pronunciata, ſeu Maximæ.*

ANTITHESIS.

De qualitate *& effectu notitiæ naturalis, de quo*

de quo in declaratione Theſeos: quod ſcilicet ad ſalutem conſequendum nil conferat, contra Franc. Puccium & ſimiles Fanaticos, infra in tractatione Theſeos: Verbum ſcriptum eſſe normam fidei & medium ſalutis unicum.

II. Species ἀγράφου, non ſcripti.

Teſtimonia ſunt, Luc. 1. ver. 1. 2. 3. 4. *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt Sermonis: Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optimè Theophile, ut cognoſcas eorum, verborum de quibus eruditus es, veritatem.*

Johan. 20. verſ. 30. 31. *Multa quidem & alia ſigna fecit* JESUS *in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia* JESUS *eſt* CHRISTUS *Filius Dei &c. Hîc Johannes expreſſam τῶν ἀγράφων facit mentionem: Imò ait, ſingularem à ſe & reliquis Apoſtolis delectum habitum, & quantum pro Eccleſiæ neceſſitate ac ſalute ſatis erat, quædam in literas relata, quædam verò μὴ γεγραμμένα relicta eſſe: Ejusdem tamen generis, qualitatis, & effecti. Apparet ergò inde,*

de, Euangeliſtas in exarandis libris Novi Teſtamenti ſingulari judicio, Conciones, acta & geſta, tàm Chriſti, quàm Apoſtolorum, fuſiùs, preſſiùs, latiùs, ſtrictiùs conſignaſſe: Ita tamen ut perfectioni & plenitudini Doctrinæ ſalvificæ nihil quicquam decederet, ſed ut pleniſſimè & abſolutiſſimè omnia, ad ſalutis adeptionem & Chriſti agnitionem facientia, continerent.

Idem teſtatur Johan. 21. cap. verſ. 24. 25. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc &c. Sunt autem & alia multa, quæ fecit* JESUS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Actor. 1. verſ. 1. 2. 3. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere &c. Ejusmodi dicta in Veteri Teſtamento plura extant, quæ lectio Bibliorum quotidiana monſtrat.*

III. Species ἈΓΡΆΦΟΥ.

EAM *confirmat Paulus illuſtri cumprimis teſtimonio,* Rom. 12. verſ. 6. *Cum præcipit, ut Prophetia (interpretatio) ratione ſeu Analogia fidei conformetur. Quo præcepto clarè diſtinguit inter ipſam normam fidei, quæ eſt verbum Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptum, & inter Prophetiam ſeu interpretationem*

nem, quæ fidei Analoga eſſe debet, quamvis diſertè & ſecundùm literam in Scripturis non ſit expreſſa. Sicut ergò quæ Analoga ſunt, & ſimilia non ſunt idem planè: ſed ſatis eſt, ſi in præcipuis & neceſſariis partibus, unde ſimilia ſeu Analoga dicuntur, ſibi mutuo reſpondeant: Ita eodem modo de fide illa ſeu Regula interpretationis, & interpretatione ſeu Prophetia ipſa ſentiendum ac judicandum eſt. Illa eſt verbum Dei ſcriptum: Hæc verò verbum quidem Dei, non tamen ſcriptum, ſed ἀνάλογον *ſcripto, unde deſumtum eſt. Eſſe autem fidei Regulam, non aliud, quàm ipſum ſcriptum Dei Verbum, varijs ijsq; firmiſſimis demonſtrationibus ſuo poſteà loco oſtendetur.*

PROPOSITIO. V.

PORRÒ partes ſunt duæ: Lex & Euangelium: Quæ multiplici ratione inter ſeſe differunt: *1.* Forma patefactionis, *2.* Promiſſionibus. *3.* Officio & Effectis.

EXPLICATIO.

DUAS Quæſtiones Margaritæ, *quartã & quintam, unâ hac Theſi, ob unitatem materiæ complexi ſumus, quas breviſſimè percurremus. Eſt autem 1. uſus vocabulorum Legis & Euangelij duplex:* γενικὸς, *generalis,* & εἰδικὸς *& ſpecialis: Illo pro ſe invicem*

vicem promiſcuè & pro tota Chriſtiana do-ctrina uſurpantur : *in* Pſalm. 119. *Sæpiſſime, &* Matth. 4. Marc. 16. &c.

In Specie *autem Lex ſanctionem ſignificat præceptorum Domini, quæ vitæ & ſacrorum peragendorum Regulam complectuntur: Vt ſunt Lex Moralis: Forenſis: & Ceremonialis.*

Euangelium autem *Concionem ſignificat gratiæ: De qua ſignificationis varietate plura in Loco de Euangelio.*

Diſtinctio *ergò hæc inter Legem & Euan-lium propriè ſic dictum inſtituitur, quà u-triuſq; conditiones & proprietates diſcrepan-tes examinantur.*

I. Petitur *à formâ patefactionis, & ferè Originem ſpectat, & principia, ex quibus una quæq; Doctrina ortum ducit; Ac ideò cauſ-ſalis etiam, dicenda erit.*

II. A promiſſionibus, *quæ cum ipſam formam Doctrinæ utriuſque ob oculos ponat, εἰδικωτάτην διαφορὰν, ſpecificam differen-tiam conſtituit.*

III. Ab officiis *& effectis proprijs; Quæ tamen legis reſpectu duplicia ſunt, & vel ἁπλῶς καὶ κυρίως ei conveniunt: vel κατά τι καὶ ἑπομένως. Nam Lex per ſe ſancta & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum,* Rom. 7. verſ. 13. 1. Timoth. 1. verſ. 8. *quæ à Deo primitùs data, ut Regula eſſet totius vi-*

tæ o-

ta omniumq́ actionum noſtrarum quæ Deo ad plenam & perfectam obedientiam tùm anima tùm corpore obligaremur. Atque hoc proprium & primum erat Legis officium in Paradyſo, ut ex lege ibi latâ ſatis ſuperq́ conſtat: & latius explicatur Deuter. 6. verſ. 5. 6. 17. *Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, &c. & fac quod placitum eſt & bonum in conſpectu Domini, ut benè ſit tibi.* Eccleſ. cap. 15. verſ. 14. & 15. *DEUS ab initio conſtituit hominem &c. adjecit mandata & præcepta ſua: Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.* Actor. 7. verſ. 39. Pſalm. 119. verſ. 1. *Beati immaculati, qui ambulant in Lege Domini. Quo officio adhuc hodiè apud Renatos ex parte perfungitur, quemadmodum ex dictis iſtis patet,* & Formula Concordiæ cap. 6. *de uſu Legis tertio ex* Pſalm. 1. & 119. *docet.*

Ἐπιμένως *hoc Legi competit, quod mõſtrat & accuſat peccatum, & conſcientias terret: Et hoc tantùm* Autor Margaritæ noſtræ *certis de cauſſis attingere voluit: Quia enim Lex per carnem infirmata eſt adeò, ut per eam nemo hominum coram Deo juſtus eſſe poſſit,* Rom. 8. verſ. 3. Galat. 2. verſ. 16. *Ideò etiam nihil aliud poteſt, quam accuſare & damnare. Atq; ita porrò nobis (ſi naturam, ſi dicta & facta noſtra reſpicias) è Regula in*

Accuſa-

Accuſationem & damnationem penitus eſt converſa, Roman.7.verſ.10. *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Unde hoc ferè tantùm Legis officium, in autoribus urgetur. Poſſunt autem (ſi rem ipſam advertas) tot differentiæ inter Legem & Euangelium ab officio & effectis utriusq; Doctrinæ conſpicui, quot ſunt uſus Legis. Ac cum tres ſint, ut patet ex* Formula Concordiæ cap.6. *triplex inde differentia emergit. Nunc ergò ad Confirmationem Theſeos.*

CONFIRMATIO DIVISIONIS.

EA ferè *ipsâ litera Sacræ ſcripturæ expreſſa eſt adeò, ut longè petitis rationibus opus non ſit.*

I. Luc. 24. verſ. 47. *Oportebat &c. & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes. Hic Chriſtus coram Apoſtolis ſuis, univerſum negotium prædicandi verbi Dei & propagandæ doctrinæ Chriſtianæ, dividit in Concionem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. At Concio pœnitentiæ eſt ipſa Lex: Ex ea enim agnitio eſt peccati, hoc eſt, pœnitentia de peccato*, Rom 3. verſ. 20. *Ex Euangelio autem juſtitia per fidem in* CHRISTUM, Rom. 3. verſ.21.

verſ.22. Galat.3. verſ.2.& 3. *Ergò tota Chriſtiana doctrina in Lege & Euangelio conſiſtit.*

II. Matth.16.verſ.19. & 18. Joh.20. verſ. 22. *Dabo tibi claves regni celorum, & quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in celis: Et quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in celis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt. Hinc inferimus.*

Quot ſunt partes *miniſterij ſeu officij Eccleſiaſtici, in tractandis peccatoribus: Tot, & eadem, ſunt ipſius doctrinæ Chriſtianæ partes:* (probatio) *Quia officium miniſtrorum à Doctrina planè dependet:*

At duæ tantùm *ſunt partes &c. Clavis ligans & ſolvens, retentio & remiſſio peccatorum: Legis & Euangelij: Mortis & vitæ: Iræ & gratiæ Concio. Ergò &c.*

III. Marc.1.verſ.15. *Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei, Pœnitemini, & credite Euangelio. Hinc ita argumentamur.*

Quot ſunt partes *Doctrinæ Converſionis ad Chriſtum, qua regnum Dei aditur, tot ſunt partes, & eadem, doctrinæ Chriſtianæ.*

At duæ ſunt partes: *Pœnitentiæ Concio & Fidei. Ergò &c.*

IV. Ab officio ejus, *qui jam Chriſtianus eſt: id omne eſt: Charitas & Fides: Illa Legis, Hæc*

Euangelij Concione traditur & urgetur. Jam ſ

Quot ſunt partes *officij Chriſtiani hominis, tot ſunt capita Doctrinæ Chriſtianæ, quibus ea traduntur.*

At tantùm *ſunt duæ partes: Charitas, quæ Lege, fides, quæ Euãgelio docetur & traditur.*

Ergò *duo tantùm illa ſunt, & non plura doctrinæ Chriſtianæ capita.*

Porrò quod ad *Confirmationem triplicis diſcriminis inter Legem & Euangelium attinet, ea partim ex data explicatione ſatis manifeſta eſt: partim in loco de Lege & Euangelio, ubi propria hujus materiæ ſedes eſt, rectius explicatur.*

PROPOSITIO. VI.

Quicquid autem de duabus iſtis Doctrinæ ſeu verbi divini partibus, ad pietatis inſtitutionem & Salutis conſecutionem, ſcitu neceſſarium eſt, id omne univerſum in ſcripto Dei verbo ſacroque Bibliorum Codice continetur.

EXPLICATIO.

Hactenùs *de doctrina Chriſtiana ſeu verbo Dei ſcripto & non ſcripto in genere egimus, & quid de ejus veritate, certitudine, autoritate, effectu & partibus tenendum ſit, argumentis & demonſtrationibus, à*

cauſſis

cauſſis & effectis petitis, breviter, dilucidè tamen, oſtendimus. Sequitur nunc tractatio ſpecialior & magis propria, de ſcripto nimirum Dei verbo, ſeu ſacra ſcriptura: *Quam Eccleſia Dei ſeorſim, in fide & vita ſua ducem & Magiſtram ſequitur: Quaq; ſeſe à reliquis hominum cœtibus & cultibus ſegregat. Complectitur autem propoſitio iſta caput cauſſa, in quo cardo rei & tota Eccleſiarum noſtrarum, circà ſingulos & univerſos fidei articulos, Confeſſio conſiſtit: Præſertim quod ad controverſiam, quæ eſt inter nos & Pontificios, attinet. Si enim hoc obtineatur, quod ſcriptus Codex ſacrorum Bibliorum, Veteris & Novi Teſtamenti, complectatur id univerſum, quod de doctrina Legis & Evangelij ſciendum, de mandato & voluntate Dei tenendum, inq; vita & fide obſervandum & credendum eſt: nihil eſt præterea, quod nos in Eccleſiis noſtris urgeamus & deſideremus: Sed ut à noſtra parte res ſalva eſt, ita ex adverſa, totus ſimul Romaniſmus, ſeu Papiſmus, everſus corruit. Quare non tantùm fundamenta propoſitionis, quibus nititur, diligenter inquirenda, ſed & omnes circumſtantiæ, partes, & conditiones, quæ cum ea concurrunt & incidunt, accuratè examinandæ erunt, ut quò illuſtrior noſtra evadat Confeſſio, eò & turpior & ignominioſior adverſariis elabendi occaſio ſit reliqua.*

Certum eſt autem, *univerſum negocium Chriſtianæ profeſſionis, ſeu militiæ in his duabus conſiſtere partibus: una, ut vitam in hoc mundo piè tranſigamus: Altera, ut ſalutem æternam conſequamur. Ad quas, omnem inſtitutionem & Doctrinam omnem, unicè referendam eſſe, non ſolum ipſis Pontificijs, ſed & omnibus quarumcunq; opinionum & ſuperſtitionum Sectis, cùm in Chriſtiano, tùm univerſo Gentium ſaniorum orbe, ſumma aſſenſione probatur.*

Eſt verò inter nos *& Pontificios hoc quoq; extra controverſiam, nihil omninò in Eccleſia, de officio Chriſtiani hominis doceri aut tradi poſſe, quod non ad duo illa Doctrinæ capita, Legem nimirùm & Euangelium, redigi poſſit, aut debeat. Nihil, inquam, tàm exiguũ eſt, tamq; minutum, quod præter illa duo excogitari poſſit: Sed aut ex alterutro eorum petitum, ſi veritati conſentaneũ eſt, aut alterutri adverſum ſi à veritate alienum eſt: Et idcircò in quemcunq; eventum ſeu caſum, norma examinis ſeu Judicij, indidem eſt accipienda.*

Quare ſi demonſtraverimus: *id in ſacra Scriptura contineri univerſum, quod de Doctrina Legis & Euangelij homini Chriſtiano ſcitu eſt neceſſarium (ut Theſis noſtra habet) cauſſa jam erit evicta, totumq; Chaos Pontificiarum Traditionum diſſipatum & in fumos*

reda-

redactum: Atq; ut hoc eò felicius fiat, & Lux veritatis omnibus, noctem in oculis non circũferentibus, ſplendidiſſimè pateſcat: Rem omnem in diſtincta Quæſtionum capita conferemus, de quibus ſingulatim ſumus dicturi.

PRIMA Quæſtio *erit de nomine Canonis, quod huic verbo tribuitur.*

SECUNDA, de ipſo ſacro *Codice, & Libris ejus, Num omnes ſint fidei, generis, & dignitatis ejuſdem: Vbi Catalogus librorum recenſendus erit, quo promtius de ſingulis judicium fieri poſſit.*

TERTIA, inſtituet *Collationem editionum ac Linguarum, Latinæ, cum Græca & Hebræa, ac docebit, Quæ alijs omnibus, tanquam αὐτόπιςος, anteferenda ſit.*

QUARTA, autoritatem, *quam à* DEO *ſcriptum hoc Verbum habet, demonſtrabit.*

QUINTA, unde nobis *de autoritate ejus conſtet, docebit.*

SEXTA, de perſpicuitate *& obſcuritate S. Scripturæ,*

SEPTIMA, de ſenſu *& interpretatione ejuſdem aget.*

OCTAVA, quæ erit *de perfectione ſeu plenitudine Scripturarum, examen inſtituet Traditionum Pontificiarum, omniumq; additamentorum, quæ aliunde exſculpta, Sacro Dei verbo huic aſſuuntur.*

PROPOSITIO. VII.

ID verbum ſcriptum, alio nomine Canonicum & θεόπνευστον, dicitur.

EXPLICATIO.

VVLGATUM eſt, *omnibusq́ Scholis Theologicis conſuetum, Canonis nomẽ, quod ſcripto Dei verbo tribuitur: Atq́ ferè ab operis Mechanicis, per Metaphoram, ad negotium fidei, ſeu Religionis tranſlatum & adhibitum eſt. Pertinet autem vox Canonis propriè & primò ad* σταθμικὴν *ſeu ponderum officinam: Significat enim Canon linguam ſeu examen libræ ſeu ſtylum, qui jugi recti index, & æquationis ponderum argumentum eſt. Poſteà in alijs etiam, præcipuè fabrilibus artibus, uſitatum fieri cepit: Quibus ferè ſingulis, ſeu Norma, ſeu Regula & amuſſis operarum ſuarum Canon dicta fuit: Eiq́ Hebræum,* Cav, Eſa. 28. ℣. 17. *reſpondet. Vnde* Varinus citante Chemnicio in Exam. Concil. Tridentini. *Canona definit* μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν, καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *hoc eſt, Canon menſura eſt certa minimeq́ fallax, quæ nec additionem, nec detractionem ullam patitur. Polycleti pictoris Canon in proverbium, quo opus omnibus numeris abſolutum, & exquiſitiſſimè fabricatum, deſcribimus, abijt, de quo* Plin. lib.

34. na-

34. *naturalis hiſtoriæ* cap. 8. *Inde non infrequens ejus uſus apud Philoſophos, qui artem ſuam in præcepta & regulas contulêre, quas Canonas dixêre. Quâ ſignificatione exſtat apud* Ariſtot. lib. 2. de Repub. cap. 10. *&* Ethic. lib. 3. cap. 4. *Vtitur etiam verbo* κανονίζειν. Ethic. lib. 2. cap. 3. *quod ipſi eſt velut ad Regulam ſeu normam aliquid componere & dirigere.*

Etſi verò *ex Comparatione locorum apud Philoſophos, judicatu haud difficile eſſet, quâ ſignificatione & quo fine, ad forum Theologicum, vox iſta tranſlata fuerit: Varius tamen abuſus Pontificiorum, rei per ſe manifeſtæ, non parùm obſcuritatis adfert & offundit.*

Canon enim *Pontificijs non tantùm eſt ipſum Dei verbum ſcriptum, ſed varijs præterea rebus id nominis adſignant: Exempli cauſſa eſt Canon Sacrificij Miſſæ: Eſt Canon beatorum Manium ſeu Sanctorum (ſive fictorum ſive verorum) qui veræ fidei & Conſtantiæ Exemplum, piæ poſteritati reliquiſſe putantur: Eſt etiam Canon Sacrificulorum ſeu Clericorum, qui ad Sacrum (ſi tamē eſt) ordinem admiſſi ſunt: Finguntur Canones Apoſtolorum: Sunt Canones Conciliorum infiniti, qui & fidei & vitæ Chriſtianæ Regulam ſeu normam continere putantur: Ita & Canonicorum varium eſt genus: Eſt Canonicorum*

rum genus in delubris Divorum hinc inde cultus ſuos exercentium : Eſt mulierculaꝛum Canonicarum longa caterva, quarum univerſa Sanctitas opinione & decreto Pontificis nititur & conſumitur : Sunt Horæ Canonicæ. Ex hac ſignificationis, ſeu uſus varietate (quâ Pontificiorum improbæ libidini ſubjectæ ſunt voculæ iſtæ) difficultas non exiguâ, ſed quæ dubitandi rationes graviſſimas in ſe habet, oritur. Videmus enim & manifeſtè deprehendimus, omnes iſtos Pontificiorum Canones, merum eſſe eorum ludibrium, quorum voluntate ſtant & cadunt, Atque idcircò non immeritò quæri poteſt, quomodo illis dicatur ſcriptura Canonica, & quæ ſit apud illos vocis iſtius ſignificatio.

Videtur *autem ipſis omninò Scriptura non alio modo dici Canonica, quam Sancti aut Clerici aut Horæ eorum, adeoq; merè eſſe παθητικὸν ῥῆμα : Unde tàm frequentia, quàm blaſphema eorum dicta : Scripturam ab Eccleſia habere* Autoritatem Canonicam. *Item*: Eccleſiæ Autoritas, Scripturis Canonicam impertita eſt Autoritatem: *Horrendum item :* Si autoritate Eccleſiæ deſtituatur Scriptura, non plus per ſe valere, quàm Æſopi Fabulas. Bellarminus *titulo Canonis eam planè ſpoliat : De verbo*

Dei

Dei non ſcripto libr. 4. cap. 12. fol. mihi 317. *dicens: Scripturæ finem proprium & præcipuum non fuiſſe, ut eſſet* Regula, *ſed ut eſſet* Commonitorium quoddam utile &c. *Habemus ergò quâ cauſſâ, & quo modo Scriptura Pontificiis ſeu Canon, ſeu Canonica dicatur: Non quod propriè talis ſit, & tanquàm Regula, fidei & vitæ Chriſtianorum præſit: ſed quia à Pontificia Synagoga pro tali agnita, & in ordinem rectum, ex arbitrio & judicio Pontificis, redacta ſit.*

Contrà nos: *Scripturam Eccleſiæ, vel Pontificiæ, vel univerſæ, hanc gratiam minimè debere: Verùm, quòd Canon & Canonica dicitur, id ipſi jure ſuo, & propter Deũ unicè deberi, contendimus. Affirmamus eam dici* & eſſe Canonicam, nõ ideò, quia ab Eccleſia tails habetur: Sed quia à Deo nobis unica Regula vitæ & fidei cõmendata, & præſcripta eſt, quâ ipsâ ratione θεόπνευςος, *dicitur. Sicut ergò eſt manet θεόπνευςος, etſi nulla Eccleſiæ approbatio acceſſerit: ita Canon, hoc eſt, Regula ſeu norma cultus Divini, ab ipſo Deo tradita, manſiſſet, etiamſi Eccleſiæ ſuffragium nunquam acceſiſſet: Siquidem ſuum Eccleſia potius nomen & Fidem perdidiſſet, ſi huic Canoni ſeſe non ſubmiſiſſet.*

Secundò, *Canon hic non ſignificat nudum tantùm Catalogum ſeu Indicem Librorum in*

volumine Bibliorum comprehenſorum; ſed ipſam propriè Regulam ſignificat, quâ dogmata Eccleſiæ conformanda, ac veritas eorundem exploranda eſt.

Tertiò, Canonicum *non id propriè eſt, quod in Catalogo Librorum ſacrorm comprehenditur; ſed quod Canonem ſeu Regulam Doctrinæ complectitur. Quare, quòd Scriptura ſeu Libri aliquot in Scriptura comprehenſi Canon & Canonici habentur, id univerſum à Deo eſt præcipuè.* Deindè *ab Autoribus, qui huic Doctrinæ ſuæ, divinis teſtimonijs & miraculis, fidem & autoritatem publicam conciliârunt: De quo ſuprà in ſecunda Propoſitione, confirmatione partis ſecundæ. Quicquid autem ſuffragio ſuo poteſt Eccleſia, id teſtificando præſtat, & qualem jam à Deo per Apoſtolos & Prophetas accepit Doctrinam, hanc in Cathedris ſuis proponit & cõmendat, eaq́ cõmendatione, nec meliorem nec digniorem reddit. Porrò, ut Eccleſia ab ore Apoſtolorum, Apoſtoli ab inſpiratione divina vel Dei ore dependẽt: ita Eccleſia poſterior priorem in voto ſeu teſtimonio ſemper ſequitur. Et ut, quod omnium* primum eſt, id veriſſimum eſt: *ita primitivæ Eccleſiæ teſtimonium, poſteriori ſemper eſt anteferendum.*

Confirmatio.

I. Pſalm. 19. verſ. 5. *In omnem terram exi-*

vit

... LUTHERAN
THEOLOGICAL SEMINARY
THE LIBRARY

vit ſonus eorum: Et in omnes ſines orbis terræ verba eorum: Vbi in vulgatâ verſione eſt Sonus, ibi in Hebræo eſt Cav, *quod ſignificat Canonem ſeu lingulam in Trutinâ, juxta quam æquilibrium conſtituitur: De quo in explicatione.*

Jam verò nemo eſt, *qui neſciat, iſtum Pſalmi verſum de Doctrina Prophetica & Apoſtolica accipiendum eſſe: Allegante Paulo* Rom.10.ver.18. *Qui hoc dicto utitur adverſus incredulos Euangelio obedientiam denegantes, qui ſuo arbitratu vivere, & juſtitiam ac Salutem, ſeſe hoc modo conſequi poſſe opinantur. His opponit Scripturam, quæ de concione Euangelij & fidei in Chriſtum, clara edidit vaticinia, eosq; omnes, à dono veræ fidei, gratiâ juſtitiæ & ſalutis, jam dudum excluſit, qui ab hoc verbo alieni ſunt, atq; id neq; audiunt, neq; obediunt; Indeq; clariſſimè demōſtrat hanc ſolam eſſe & unicam viam à Deo revelatam, quâ ad ſalutem ſit perveniendum, nec quicquam valere, niſi quod à Deo ipſo profectum & conſtitutum ſit. Vnde eſt in* tertio verſu: *Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.*

Animadvertimus ergò *hanc appellationē, ne ab ullo quidem homine; multò minùs à Romana Ecclesia, ſed ab ipſo Deo, in veteri ſtatim*

Teſta-

Teſtamento doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ adſignatam eſſe: Itaq; concludimus hoc nomen jure ipſo, uniceq; propter Deum, *Scripturæ deberi.*

II. Deus cùm ab initio *revelati verbi ſcripti, & renovati Cultus ſui, per Moſen, tùm aliquoties per Prophetas id ipſum* pacti, ſtatuti, Teſtimonii, præcepti, & Legis nomine appellavit, *ſecundum quam nobis in hac vita & vivendum & credendũ ſit.* Deut. 4. verſ. 1. *Nunc Iſraël audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te.* verſ. 2. *Cuſtodite mandata* Domini Dei *veſtri, quæ ego præcipio vobis.* verſ. 8. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, juſtaq; judicia & univerſam Legem, quam ego proponam hodiè &c.* Deut. 8. verſ. 1. *Omne mandatum, quod ego præcipio tibi, cave diligenter ut facias. Item* cap. 12. verſ. 1. *Hæc ſunt præcepta atque judicia &c.* Pſalm. 19. verſ. 8. *Lex* Domini *immaculata convertens animas.* Pſal. 119. verſ. 1. & 6. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiẽdas juſtificationes tuas, hoc eſt, ad cuſtodienda mandata tua, quæ ſunt juſtitiæ norma.*

Atqui Canonis vox, aſſignata eidem verbo, idem planè ſignificat: Ergò à Deo appellationem iſtam jure ipſo obtinet.

DE

II.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS CANONIS.

EAm nobis *declarat Paulus* Galat. 6. verſ. 16. *Quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei: Vbi de doctrinâ ſua, his ipſis ad Galatas literis declaratâ, loquitur, quam argumento, gratuitæ juſtificationis per* Christum, *credentibus collatæ, tãquam τεκμηρίῳ quodam certiſſimo, ab alijs omnibus ἑτεροδιδασκαλίαις diſcernit.* Primùm *ergò eſt, quod inde colligimus, Scripturam non à Concilio demum, ſed ab ipſis Apoſtolis Canonem fidei, & vitæ Chriſtianæ, nuncupatam & conſtitutam eſſe.* Secundùm *Canonem ſignificare Regulam ſeu normam, quæ & credendorum & faciendorum rationem, Chriſtianis præſcribat. Verba enim Apoſtoli manifeſta ſunt, qui pacem, hoc eſt, gratiam & tranquillitatem conſcientiæ & miſericordiam ijs precatur, qui hanc Regulam ſequuntur ac obſervant. Cùm verò id nominis huic Epiſtolæ ſuæ, quæ eſt pars ſcripti verbi attribuat: Sequitur, eâ ipsâ ſignificatione, univerſam Scripturam Canonem dici & agnoſci debere.*

Eodem ſenſu *utitur hoc vocabulo* Philip. 3. verſ. 16. 17. *dicens: Verum tamen ad quod perve-*

pervenimus, ut idem ſapiamus, in eâdem permaneamus Regula. *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis* formam noſtram. *Vbi ſimiliter de Doctrina ſua loquitur, quam Philippenſibus tradiderat; & quod notabile eſt, eàm non tantum præcipuorum capitum Religionis Chriſtianæ, quæ fidei fundamentum cōcernunt, ſed ἀδιαφόρων ſeu rituum etiam normam cōſtituit, quam in omnē eventum nobis ante oculos ponere, ac juxtà eandem nos gerere debemus. Quare ut in re plana cōcludamus breviſſimè; cuilibet manifeſtum eſſe poteſt, & Canonis nomen, Scripturæ à* Deo *per Apoſtolos aſſignatum, jure deberi, & per illud, eodem autore, nobis tanquam Regulam vitæ & fidei cōmendari, indeq́; libros ejus Canonicos propriè dici. Ejus generis etiam eſt dictum,* 2. Tim. 1. verſ. 13. & 3. verſ. 14. *Quicquid ergò hac in parte Eccleſia præſtat, nihil tamen aliud agere, vel poteſt, vel debet, quàm quod veritati à Deo proditæ, teſtimonium perhibet, orbique Chriſtiano, quod accepit, longè lateq́; denunciat. Sin aliud egerit, falſum dicit teſtimonium, neque Eccleſiæ Dei nomine eſt ampliùs digna.*

PROPOSITIO VIII.

Augustino tamen aliquando Canonicum & θεόπνευστον, propriè ſic dictum, differunt.

EX-

EXPLICATIO.

Θεόπνευστον *interpretatur Petrus,* 2. Petr. 1. verſ. 21. *non voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Paulus* 2. Timoth. 3. verſ. 16. & 17. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Juſtitia, ut perfectus ſit Dei homo, ad omne opus bonum inſtructus.*

Eſt ergò Θεόπνευστον *id verbum, quod nō humanâ inventione & judicio, ſed immediatè ab ipſo Deo profectum, & per Prophetas atq; Apoſtolos proditum eſt, eo fine ut regula eſſet & norma, juxta quam omnis Doctrina & inſtitutio in divinis dirigenda, quæſtiones examinandæ & decidendæ, & ultimus perfectionis Chriſtianæ gradus, attingendus eſſet: Itaq; eodem ſenſu, eademq; de cauſſa, Canonicum Dei verbum dictum.*

Atq; hæc ſola *ea eſt Doctrina, per & propter quam Chriſtiani* θεοδίδακτοι *dicuntur: Cum aliena omnia, quæ non ex hoc fonte fluūt, carnali Sapientiæ adſcribantur. Hanc verò majeſtatem proprietatemq; ſignificationis vocis,* Canonici, *non adeò accuratè obſervavit Auguſtinus, ſed ea, præter morem Scripturæ, & conſuetudinem antiquiorum, latiùs aliquantò*

quantò & generaliùs eſt uſus. Eſt enim ipſi Canonicum omne id, quod propter commendationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quamcunque in Eccleſia autoritatem obtinuit, publicique juris factum eſt, licet de origine eius, nùm verè Propheticum vel Apoſtolicum ſit, non omninò conſtet, Et idcirco, ad dogmata Fidei conſtituenda, teſtimonium eius, non tantùm invalidum, ſed & ipſum ſobriè accipiendum ſit. Indè ergò accidit, quod Pater iſte ſive Doctor Eccleſiaſticus, non eoſdem cum reliquis libros, in Canone recenſcat: id quod ſuo loco patebit.

Confirmatio.

Ea de re teſtimonia Auguſtini clariſſima in medio ſunt.

Primum Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap 8. *Vbi diſtinguit inter Canonicũ & alia Scripta, quæ periculoſis mendacijs & phantaſmatis eludũt, & contrà ſanam intelligentiam aliquid præjudicant, quæ quia manifeſta impietate laborant, ſola ipſi Apocrypha ſunt & dicuntur: reliqua omnia Canonica: Eaque ipſa tamen non eiuſdem autoritatis & dignitatis: ſicut verba ipſius habent, quæ audire ſatiùs eſt. Ita ergò, inquit: Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſijs Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiũt.*

In eis

In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq; accipiũt, eis quas pauciores minorisq; autoritatis Eccleſiæ tenent. In quibus verbis duo iſta meridianâ luce clariora *obſervanda veniunt.*

1. Canonicum *non diſtingui à libris obſcuræ dubiæq; originis; piæq; admonitionis cauſſa, & ad morum inſtructionem in Eccleſia publicè receptis & lectis. Quem in modum* Euſebius de Epiſt. Jacob. & Judæ *loquitur* libr 2.Hiſtor.Eccleſ.cap. 22. *quas ait, in plurimis Eccleſiis* δεδημοσιευμένας; *hoc eſt, publicè lectas ſeu publicatas. Sed opponitur Canonicum manifeſte falſis tantum & impijs Scriptis. Atqui ſecundum communem Patrum ſententiam, non id ſtatim Canonicum eſt, quod fabuloſum non eſt, ſed plura omninò ſunt non Canonica ſeu Apocrypha, quàm falſa & fabuloſa. De quo exſtat locus illuſtris apud* Euſeb. Hiſtor.Eccleſ. lib.3.capite 25. *quo triplex librorum diſcrimen ſtatuitur.* Primi *ſunt ij, quos poſt ſe reliquiſſe Apoſtolos omnibus conſtat. Alij quibus contradictum eſt.* Poſtremi, *qui ſunt omninò adulterini, atq; adeò à pia Apoſtolorum ſententia & Orthodoxa opinione penitùs alieni. Idẽ teſtatur* Hieronymus, *qui inter Apocrypha nominatim numerat, quæ Auguſtino Canonica ſunt.*

2. Canonicos Auguſtini *libros non omnes in confirmandis fidei dogmatis æqualis eſſe autoritatis & dignitatis, ſed alios aliis in autoritate præponendos & præferendos eſſe. Atqui verè Canonici talem diſparitatem, nec patiuntur, nec admittunt: ſed ſunt omnes ejuſdem generis, ſinguliq; eodem pietatis affectu recipiendi. Ergò &c.*

II. Teſtimonium Auguſtini *exſtat in* 2. libr. *contrà Gaudentii Epiſtolam* cap. 23. *ubi ait: Librum Maccabæorum non eſſe inter eos, quos Chriſtus teſtes ſuos eſſe voluit* (Luc. 24.) *& tamen iſte liber Auguſtino Canonicus eſt. Atqui Chriſtus ibi divinas veteri Teſtamenti Scripturas univerſas ſuos eſſe Teſtes voluit: Sicut & nec ullus eſt veteris Teſtamenti Liber genuinus, qui Chriſto Teſtimonium non perhibeat. Ergò aliquis Auguſtini liber Canonicus, γνήσιος & genuinus non eſt.*

III. Facit etiam huc præcipuè *quod ibidem ait Auguſtinus, hunc librum non inutiliter in Eccleſia receptum, ſi* Sobriè *legatur & audiatur: Id quod* Chemnicius rectiſſimè *& conſtantiſſimè urget. Quod enim* Sobriè *legendum eſt & audiendum, illud absq; vitio & errore periculoſo non eſt: At vitium aliquod & errorem tribuere Libro verè Canonico ſeu θεοπνεύστῳ, non tantum abſurdũ, ſed & extremè impium eſt. Teſte eodem Au-*

guſtino Tom. 7. libr. 2. *de Baptiſmo contrà Donatiſtas* cap. 3. fol. 392. *ubi de Scriptura Canonica ait: Omninò dubitari & diſceptari non poſſe, utrum verũ vel rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Concludimus ergò aliquem librum, Auguſtino Canonicum dictum, verè & ſimpliciter talem non eſſe.*

IV. Libro 17. *de Civitate Dei* cap. 20. Tom. 5. *ait, Libros Sapientiæ & Eccleſiaſtici maximè Occidẽtalem Eccleſiam in autoritatem recepiſſe, qui tamen adverſus Contradictores, tantâ firmitate non producantur, quantâ ij, qui in Canone ſunt Judæorum. Sequitur ergò Orientali Eccleſiæ iſtos libros in ea autoritate non fuiſſe, nec eâdem fide cum reliquis libris verè Canonicis dignos eſſe.*

V. Locus & ultimus eſt libr. 1. de Prædeſtinatione *Sanctorum*, cap 14. *qui, quia à* Chemnicio *in Examine Concilij Tridentini*, parte 1. fol. 122. *capite de Canonica Scriptura enucleatè tractatur, à nobis ſtudio prætermittitur.*

PROPOSITIO IX.

JAM verò Libri, qui in ſacro Bibliorum volumine cõprehenduntur, nec Canonici omnes ſunt, nec ejuſdem fidei & autoritatis omnes æſtimandi.

EXPLICATIO.

BIBLIORUM ſacro *volumine quid deſignemus, nemini obſcurum eſt. Quamvis enim nomen iſtud naturâ ſuâ & origine commune ſit, uſus tamen apud Chriſtianos obtinuit, ut κατ' ἐξοχὴν huic libro, in quo Capita fidei & Doctrinæ eorum continentur, tanquam proprium attribuatur. Cùm autẽ dicimus, Libros qui in volumine iſto continentur, nec Canonicos omnes eſſe, nec ejuſdẽ autoritatis & fidei, per libros, intelligimus diſtincta & diverſa Scripta, quorum quodlibet peculiari ſua* ἐπιγραφῇ *ſeu inſcriptione agnoſcitur: ut Libri* Moſis, Samuelis, Eſaiæ, Matthæi, Pauli ad Romanos, ad Galatas, Sapientiæ, Syracidis, Baruch, *Libri quatuor* Eſræ &c. *Hos dicimus nec Canonicos omnes eſſe, hoc eſt, ad Regulam fidei non pertinere, & idcircò nec eâdem in dignitate ac veneratione habendos.*

CONFIRMATIO.

TAM certa eſt Theſis *iſta, ut à nemine unquam in dubiũ vocata fuerit, ne à Pontificijs quidem, qui tamen omnia minima maxima conquirunt, & tanquam divinum exoſculantur, quicquid vel leviſſimo prætextu ad palliandos errores facere ipſis videtur.* Eſræ *libros* γνησίους, *non niſi duos Concilium Tridenti-*

num agnoſcit, Seſſione quarta, in Decreto de Scripturis Canonicis. Alij autem Hæretici, ut Ebionitæ, Cerinthiani, Marcionitæ, Manichæi, Valentiniani, Swenckfeldiani, & propudium illud ac portentum hominis, Sebaſtianus Francus, *tàm iniqui ſunt, & impij Ariſtarchi, ut non tantum libros aliquos, non partem aliquam, ſed integram etiam Scripturam divinam eſſe negent & abjurent.*

Sed adverſus hos *jam ſuperius in Quarta & ſexta Theſi fundamēta quædam jacta ſunt, & in ſequentibus exquiſitiùs tractabuntur.*

Sunt autem tria *præcipua argumēta, quibus iſta librorum Biblicorum diſſimilitudo evidentiſſimè demonſtratur.* Primum *eſt* dogmatum: Secundum Styli ſeu ſermonis *& dicendi generis diſcrepantia.* Tertium Hiſtoria Eccleſiæ, *& Teſtomium ejus de libris iſtis. Quæ ordine poſtea, in Catalogo librorum excutiemus & illuſtrabimus.*

PROPOSITIO X.

IDEÒ propter diſſimilitudinem iſtam omnes & ſinguli in Canonicos & Apocryphos communiſſimè rectiſſimeq; dividuntur: Ad quam diviſionem reliquę hujus generis omnes referri poſſunt Ut diviſio in Canonicos, Eccleſiaſticos, & Apocryphos. In Teſtamē-

tarios & Apocryphos: In Certos, incertos, & falſos ſeu adulterinos.

PROPOSITIO XI.

Suntque Apocryphi propriè libri dubii, quorum ad tradenda fidei dogmata & confirmanda ea, quæ in diſceptatione verſantur, idonea non eſt habita autoritas.

EXPLICATIO.

De ſignificatione *& definitione Canonicorum jam eſt dictum: Sequitur ut ad illuſtrationem iſtarum propoſitionum, de Apocryphorum nomine, & definitione, deq; affinibus terminis aliquid dicamus.*

Eſt autem nomen *à verbo* ἀποκρύπτειν, *quod occultare abſcondere, celare, Græcis propriè ſignificat: Cujus nominis deſignationem accommodam dedit* Auguſtinus *libro de Civitate Dei* 15 cap. 23. Tom. 5. fol. 852. *his verbis: Omittamus earum Scripturarũ fabulas, quæ Apocryphæ nominantur, eò quòd earum occulta* origo non claruit Patribus, *à quibus usq; ad nos autoritas veracium Scripturarum, certiſſimâ & notiſſimâ ſucceſſione pervenit &c. Non enim fruſtrà non ſunt in eo Canone Scripturarum, qui ſervabatur in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentià Sacerdotum.*

Cur.

Cur autem hoc? *Niſi, quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille (loquitur autem de ſcriptis Enoch) ſcripſiſſet, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per ſeriem Succeſſionis* reperirentur, ritè ſervaſſe. *Ejuſdem generis deſcriptio exſtat libro XI. contra Fauſtum Manichæum*, cap. 2. Tom. 6. fol. 247. *Appellantur Apocryphi, non quod habendi ſint in aliqua autoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati de neſcio* quo ſecreto, *neſcio quorum præſumtione, prolati ſunt. Non eſt autem* Auguſtini *ſententia, quod omnia ea ſcripta ſint pro Apocryphis habenda, de quorum Origine non conſtat, quâ ratione multi libri eſſent abjiciendi, quos ipſe in Canone poſuit. Sed ſui ſemper ſimilis manet, & obſcuritati originis, aliud inſuper ſignum addit noſcendorum Apocryphorum:* Nempè Fabulas & Errores: *ut tum initio allegati Loci*, ex libr. 15. *de Civitate Dei, tum ex ſequentibus patet, cùm ait: In his Apocryphis etſi invenitur aliqua Veritas, tamen propter multa falſa nulla eſt Canonica Autoritas: Unde ſecundum Auguſtinum hæc Apocryphi erit conſtituenda* Definitio: quod præter occultam originem multa inſuper fabuloſa & erronea in ſe habet.

Nos autem *generalius nomen iſtud accipimus*

mus,ut ex Theſi patet, quæ non tantum falſos & adulterinos Libros, verumetiam eos, qui piam quidem & non inutilem Eccleſiæ doctrinam continent, ſed Majeſtatem illam celeſtẽ non aſſequũtur, Apocryphis annumerat: Qua ſignificatione utitur Hieronymus, *juxta cujus ſententiam & mentẽ nos Diviſionem hanc accipimus, reliquasq; ad eandem redigi poſſe affirmamus. Exſtat autem* Hieronymi *teſtimonium manifeſtum in prologo Galeato, ubi poſt conſtitutum Catalogum librorum (qui ſunt, in Canone) θεοπνεύστων, alia ſcripta omnia à Canone removet, & inter Apocrypha rejicit.* Definit autem Apocrypha, quæ Eccleſia legit ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorum *dogmatum confirmandam: præfatione in libros Salomonis.*

Eadem Diviſione, *eodemq; ſenſu uſi ſunt, Athanaſius in Synopſi: Concilium Laodicæum, Canone 59.*

Altera Diviſio eſt Cypriani, *in expoſitione Symboli Apoſtolici, quæ* Ruffino *adſcribitur: Vbi Canone librorum conſtituto, hanc Diviſionem ſubnectit, dicens: Aliquas partes ſeu Libros Bibliorum, Patres intrà Canonem concluſiſſe, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt. Alios verò eſſe non Canonicos, qui Eccleſiaſtici à Majoribus appel-*

lati

lati ſunt, quod eos legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras Scripturas Apocryphas eſſe, ait, quas in Eccleſiis ijdem Majores legi voluerunt. Concludit autem Diviſionem iſtam Epiphonemate elegantiſſimo, & ad rem apprimè neceſſariò ac utili, his verbis: Hæc nobis à Patribus tradita opportunum viſum eſt, hoc in loco deſignare, ad inſtructionem eorum qui prima fidei Elementa ſuſcipiunt, ut ſciant, ex quibus ſibi fontibus verbi DEI haurienda ſint pocula. *Quâ clauſula rem omnem complectitur, quamobrem ſcilicet, & quo fine, hæc diſtributio librorum inſtituta, & quem uſum in Eccleſia obtineat: Vt nempè limpidi fontes verbi divini ab alijs inde deductis rivulis diſcernantur, & conſtet ex illis ſolis fidei fundamenta petenda eſſe. Manifeſtum ergò eſt, quid* Cypriano *ſit Canonicum, quid Eccleſiaſticum, & quid tandem Apocryphum.*

Reliquæ Diviſiones *exſtant apud* Euſeb. lib.3. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.3. & 19. *Et* lib.4. cap.25. *Ac priori in loco tripartita illa Diviſio (in Certos, approbatos, germanos, veros, notos, ſeu Catholicos: Et incertos, qui in dubium vocantur, ac planè falſos ſeu adulterinos &c.) exſtat, cum accuratis determinationibus ſingulorum membrorum. Huic reſpondet*

Diviſio Epiphanij in libro de menſuris & ponderibus, fol. 412. *in Certos, qui in diſpoſitione Teſtamenti comprehendũtur.* ἐν ταῖς βίβλοις καὶ ἐνδιαθέτοις : *Et qui in numerum certorum non ſunt recepti. Item* lib. 1. Tom. 1. *in Hæreſi Epicureorum, quæ eſt* 8 fol. 6. *libros alios divinos & à Deo datos appellat, alios ambiguos, alios Apocryphos: ac quamvis ambiguos utiles eſſe fatetur, eoſdem tamen in numerum librorum certorum ac verè divinorũ receptos communi antiquitatis ſuffragio negat. Nunc Collatione harum Diviſionum inſtitutâ, manifeſtum faciemus, hos Patres omnes idem velle & ſentire.*

Confirmatio.

Ac ita concludimus:

I. A Definitione.

Quæcunq; definitionem *eandem habent, & nominibus diſcrepant, ea Polyonyma ſeu Synonyma ſunt, hoc eſt, nomine tantum variant, re ipſa autem conveniunt, ac idem ſunt.*

At quidam *liber Canonicus* Auguſtini, *omnes Eccleſiaſtici Cypriani, incerti & dubij Euſebij, ambigui Epiphanij, cum Apocryphis Hieronymi, ſimiliq; modo certi, divini, & Teſtamentarij, cum Canonicis Hieronymi, eandem penitus definitionem habent: Vt in explicatio-*

plicatione Theſium, maximè antecedentium, videre eſt.

Ergò ii ipſi *libri Polyonymi tantum ſunt, re ipsà autem iidem ſunt.*

II. A fine & officio.

QUICQUID ab *autoritate fidei facienda, articulis & dogmatibus Chriſtianæ Religionis, removetur & excluditur, illud re ipsà Canonicum ſeu θεόπνευστον non eſt, ſed Apocryphum eſt.*

Ad quidam libri Auguſtini *Canonici, ut patet locis ſupra allegatis* libr. 17. *de Civitate Dei* cap. 20. libr. 2 *contra Gaudentij Epiſtolam* cap. 23. *Omnes Eccleſiaſtici Cypriani &c. ab autoritate fidei facienda articulis & dogmatibus Chriſtianæ Religionis removentur & ſecluduntur, ut patet ex definitione.*

Ergò omnes *illi libri re ipsà Canonici non ſunt, ſed Apocryphi ſunt.*

III. Ab Origine obſcura.

DE quorum *librorum origine certò non conſtat, An verè Prophetici ſint, & Apoſtolici, atque ab iiſdem ſcripti, ij Canonici non ſunt, ſed Apocryphi.*

Atqui de Origine *quorundam librorum Canonicorum* Auguſtini, *omnium Eccleſiaſticorum Cypriani &c. certò non conſtat, An verè Prophetici ſint, & à Prophetis ſcripti. Quia ſerie Succeſſionis ritè ſervantium & profe-*

proferentium eiuſmodi libros, deſtituuntur. Ergò *Canonici non ſunt, ſed Apocryphi.*

PROPOSITIO XII.

IN enumeratione autem librorum utriuſq; generis, ad diviſionem illam totius Scripturæ in Vetus & Novum Teſtamentum reſpiciendum eſt.

EXPLICATIO.

TESTAMENTI VOX, *cùm apud Autores, tum in ſacris Literis varium obtinet uſum. Eſt enim modò generaliter idem quod fœdus ſeu pactum, quod inter partes aliquot diſſidentes erigitur ſeu pangitur: Quo ſenſu accipitur,* Pſalm.44.verſ.18. *Non iniquè egimus in Teſtamento tuo, & non receſſit retrò Cor noſtrum, nec declinavit pes noſter à via tua. Quibus verbis ad pactum ſeu fœdus Legis juxta quod Eccleſiæ veteris Teſtamenti & vivendum & credendum fuit, reſpicitur,* Exod.24.& Geneſ.17.

Poſteà Teſtamentum *ſingularis illa diſpoſitio dicitur ſeu pactum, quod à morituris inter poſteros ſancitur, morte Teſtatoris confirmandum,* ad Hebr.9.verſ.16. Gal.3.verſ.15.

Tertiò, cùm *pro ipſa Doctrina, tùm pro libro, quo Conditiones fœderis iſtiusmodi continentur, accipitur: Quam ſignificationem hîc obtinet, ubi integrum volumen certorum librorum*

librorum deſignat, quorum aliqui Veteris Teſtamenti ideò nuncupantur, quia Doctrinam de Sacramentis & fœdere Eccleſiæ Veteris ſeu Judaicæ complectuntur. Aliqui Novi Teſtamenti, quia de abrogata Veteri ac conſtituta nova forma fœderis docent. Quo modo hac appellatione uſus eſt Paulus 2. Corinth. 3. ℣ſ. 14. *cùm ait: Judæis velamen in lectione Veteris Teſtamenti manet non revelatum. Cujus imitatione poſteà Autoribus Eccleſiaſticis iſta partitio frequentata eſt.*

PROPOSITIO. XIII.

LIBRI Veteris Teſtamenti dividuntur in Moſen, Pſalmos & Prophetas: Novi, in hiſtoriã, Epiſtolas, & Apocalypſin.

EXPLICATIO ET PROBATIO.

VETERIS Teſtamenti *diviſio iſta ipſius Chriſti eſt,* Luc. 24. ver. 44. *Et propriè ad Canonicos libros pertinet, quibus (ſiquidem adhuc in conſideratione univerſi corporis Biblici verſamur) Apocryphi juxta ſimilitudinem tractationis ſeu Materiæ ſuo ordine & loco ſubjungi poſſunt.*

Huic Diviſioni Chriſti *reſpondet illa B. Hieronymi in prologo Galeato: in Legem, Prophetas, & ἁγιόγραφα. Quam ferè Exemplaria Bibliorum Hebræorum ſequuntur. Witebergen-*

tebergenſia autē in 4. Tomos diſtributa ſunt: Primus *Legem, cui appendicis loco Subjuncti ſunt libri, Canticum Canticorum, Ruth. Hieremiæ lamentationes, Eccleſiaſtes & Eſther.* Secundus *Prophetas priores:* Tertius *poſteriores:* Quartus *Hagiographa complectitur.*

Legis nomine *quinq; libri Moſis intelliguntur. Alter ordo, nempè Prophetarum, omnes Libros cùm Hiſtoricos, tùm in ſpecie ſic dictos Prophetas complectitur: exceptis libris, Paralipomenon & Hiſtoriæ Jobi, Eſdræ, Eſther, Danielis: Iſtos enim Pſalmis ſeu Hagiographis annumerant. Hagiographi dicti vel quod à Sanctis ſcripti, & explicationis loco ferè ex prioribus ceu floſculi quidam, quaſi decerpti & excerpti ſunt, vel potiùs quia ſacros cultus divini hymnos ac præcepta vitæ piè ſanctéq; inſtituendæ cōplectuntur: Vt ſunt Pſalmi Davidici, Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, quibus, etſi non Canonici, utiliſſimi tamen libri, Eccleſiaſticus ſcilicet & Sapientia, cum Tobia & Judith, adjungendi.*

In diſtributione *Novi Teſtamenti, non minùs expedita eſt ratio:* Primo *enim membro, Hiſtoriarum ſcilicet, inſunt quatuor Euangelia, κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, & Acta Apoſtolorum.* Secundum *continet Epiſtolas, tùm Pauli, tùm reliquorum Apoſtolorum.* Tertium

tium *unicum librum habet, nempè Apocalypſin, qui aliquibus Prophetia dicitur, quoniam per imagines quaſdam Hieroglyphicas futurorum eventus ibidem Johanni demonſtrantur. Quemadmodum enim B.* Lutherus *rectiſſimè monet in prolegomenis, triplex eſt Prophetiarum differentia. 1. Sine figuris, verbis expreſſis rem denunciat. 2. Vtruq; conſtat, & imagines, viſiones, ſomniaq; ſua fatidica interpretatur. 3. Solis peragitur Viſionibus, interpretatione omiſſa, quæ eventui ipſi reſervata eſt: Cui ordini Apocalypſin annumerant.*

PROPOSITIO XIV.

Libri ergò Canonici veteris Teſtamenti ſunt hi: Quinq; libri Moſis, videlicet, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion, Libri Legis propriè ſic dicti. *Secundus* ordo Prophetarum octo: Joſua, Judicum cum Ruth, Samuelis duo, Regum duo (*Et dicuntur quatuor priores Prophetæ*) Eſaias, Hieremias cum Lamentationibus: Ezechiel: Duodecim Prophetę Minores, qui pro uno libro numerantur (*Et dicũtur quatuor poſteriores Prophetæ*) ut:

1. Oſeas.	5. Jonas.	9. Sophonias.
2. Joël.	6. Micheas.	10. Aggæus.
3. Amos.	7. Nahum.	11. Zacharias,
4. Abdias.	8. Habacuc,	12. Malachias.

Tertiò

Tertiò Hagiographa novem: Job, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Daniel, Paralipomenon duo. Eſdras & Nehemias, Eſther. Hi ſunt libri numero viginti duo.

EXPLICATIO.

Termini diviſionis *iſtius tripartitæ jam explicati ſunt: Hic autem de ratione numeri aliquid dicendum, Cur viginti duo vel etiam plures ab aliquibus Canonici Veteris Teſtamenti numerentur. Hebræi communiter XXII. numerant, juxta numerum literarum linguæ ſuæ, quarum ſunt 22. Nec ulla alia ratio illius numerationis apparet.*

Alii XXIV. numerant, *ſeorſim collocatis libello Ruth, & Lamentationum Hieremiæ: juxta numerum 24. Seniorum Apocalypſeos* 4 & 5. cap. *quos Libris Veteris Teſtamenti comparârunt: Autore* Hieronymo *in Prologo Galeato. Hunc numerum obſervavit* B. Lutherus *in Biblijs Germanicis.*

Auguſtinus numerat XLIV. *eò quòd Libros, qui duabus conſtant partibus, binos facit, & inſuper Canonicos uſitato more cum reliquis Patribus non definit, unde numerus ipſi ſit auctior, ut ſuperiùs dictum.*

Catalogus autem *librorum Canonicorum, quem ſanxit Tridentinum Concilium, poſteà ſingulatim examinandus erit.*

PRO-

PROPOSITIO. XV.

Libri Novi Teſtamenti ὁμολογουμένως omniumq; Eccleſiarum Confeſſione, Canonici ſunt hi: *I.* Quinq; libri Hiſtorici: 1 Euangelium Matthæi. 2. Euangelium Marci. 3. Euangelium Lucæ. 4. Euangelium Johannis. 5. Acta Apoſtolorum. *II.* Epiſtolæ XV. Pauli XIII. 1. Ad Romanos una. 2. Ad Corinthios duæ. 3. Ad Galatas una. 4. Ad Epheſios una. 5. Ad Philippenſes una. 6. Ad Coloſſenſes una. 7. Ad Theſſalonicenſes duæ. 8. Ad Timotheum duæ 9. Ad Titum una. 10. Ad Philemonem una. 11. Petri prior. 12. Johannis Canonica prior.

PROBATIONIS IN MEMBRA SUA DISTRIBUTIO &c.

IN probatione Theſeon *iſtarum tria nobis ſemper propoſita eſſe debent, tanquam limites totius tractationis futuræ: Tres videlicet cauſſæ, quæ in conſtituendo libro ſeu dogmate Canonico neceſſariò concurrunt.* 1. *Eſt cauſſa efficiens univerſalis,* Deus. 2. *Prophetæ & Apoſtoli inſtrumentalis.* 3. *Finis, ideò ſcilicet dictum, traditum & ſcriptum eſſe dogma ſeu librum quendam, ut is Norma &*

 Regu-

Regula eſſet, à Deo *Eccleſiæ ſuæ præſcripta. Harum cauſſarum ſi una deſit, manifeſtum eſt, nullam inde Regulam, vel credendorum, vel faciendorum, exſtrui poſſe. Agemus autem nunc tantum de cauſſa Efficiente & inſtrumentali. Finis tractationem ad quartæ & quintæ, ceterarumq́ Quæſtionum explicationem differentes.*

Ut ergò *in eruendis pernoſcendisq́ cauſſis iſtis certi ſimus, iterum ad quatuor iſta tanquam explorata, minimeq́ fallacia* τεκμήρια *nobis advertendũ, & ad deducendam rei evidentiam omnia argumenta eò dirigenda erũt.* 1. *Ad ipſum Genus Doctrinæ, quod in libris iſtis continetur, atq; ejuſmodi eſt, ut neminem, niſi* Deum *ipſum, autorem habere poſſit.* 2. *Ad propria ipſius Spiritus ſancti teſtimonia libris iſtis perhibita.* 3. *Ad Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ teſtimonia.* 4. *Ad proprij Cordis ſeu mentis ſuffragium, quod huic verbo Spiritus ſanctus in fidelibus ſuis perhibet.*

I.

DE GENERE DOCTRINÆ.

PROPOSITIO XVI.

Hi ſunt libri, in quibus purum Dei verbum continetur, quiq; præter Deum per Prophetas & Apoſtolos ſuos loquentem, ad alium autorem referri non poſſunt.

EX-

EXPLICATIO.

Superiùs Theſi ſecunda, *in Definitione Doctrinæ Chriſtianæ, veritatem ejus in genere demonſtravimus: Hic in ſpecie de libris, quibus Doctrina iſta continetur agendum eſt: Quia autem poſteriùs iſtud à priori penitùs dependet, patet inde, probatâ & ſtabilita illâ, nos in præſenti negotio maximo & præcipuo labore jam eſſe perfunctos. Stante enim Doctrinæ Chriſtianæ veritate certitudineq́ꝫ, eadem quoq́ꝫ libris iſtis ſalva ſit & ſancta neceſſum eſt: Siquidem nihil aliud ſonant, tradunt, aut continent, quàm Doctrinam iſtam, quæ tantis tamq́ꝫ invictis argumentis, & immotis divinæ Majeſtatis fundamentis innititur.*

PROBATIO.

Repetendi ergò *ij Syllogiſmi omnes, qui in Confirmatione veritatis Doctrinæ Chriſtianæ propoſiti. Suprà* fol. 6. 7. 8. & 9. *Ex teſtimonijs Scripturæ manifeſtis: Ex diſtributione partium, miraculis: Hiſtorijs promulgationis & circumſtantijs ſeu modo earundem: Et vaticinijs quidem hæc perſpicua & illuſtria ſingularium Eventuum exempla adjungantur, ut* 1. Reg. cap. 13. verſ. 2. *de Joſia,* Eſa. 44. verſ. 28. & 45. cap. verſ. 1. *de Cyro,* Eſa. [illegible] verſ. 14. *de Filio Virginis Jeſu Chriſto,* Geneſ. 4[illegible] [illegible] *Sceptri Judaici &*

Con-

Converſione gentium : De mutatione Regnorum mundi & Monarchiarum : De Antichriſti Tyrannide à Daniele, Paulo & Johanne exactiſſimè prænunciata &c.

Et quid magis accommodum *eſt, ad dignitatem & Majeſtatem Doctrinæ, in Sacris Literis comprehenſæ, demonſtrandam, quàm quod Paulus ait: Eam tantis myſterijs refertam eſſe, quæ à multis ſeculis Gentibus abſcõdita fuerint, de quibus etiam ne dum quidem aliquid conſtaret, niſi Deus pro infinita & inæſtimabili ſua benignitate Eccleſiæ ſuæ nota illa eſſe voluiſſet: Locus exſtat in Epiſtol.* Coloſſ.1.verſ.25.& 26.*ut impleam Verbum Dei, (ait Apoſtolus) Myſterium quod abſconditum fuit à Seculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum Sanctis eis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod eſt* CHRISTUS. *Eodem modo,* Rom.16.verſ.25. *Vocat id myſterium temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei: &c.*

At quod Paulus *de Doctrina Prophetarum & Apoſtolorum & Scripturis in ge[...] teſtatur, illud ſeorſim & in ſpecie Ca[...] librorum ſuprà commemoratoru[...] firmat, ipſoq[ue] adeo ſole meri[...]diano clarius & illu-*

illuſtrius reddit. In ijs enim verè Doctrina ejus modi continetur, quæ omnium Gentium Sapientiam, omnem humanæ rationis ſenſum & induſtriam, non ſolùm infinitis ſuperat & excedit partibus, ſed & planè deſtruit & in nihilum redigit. Teſte Paulo, 1. Corinth. 1. verſ. 19. 20. 21. &c. *Stultam fecit Deus Sapientiam hujus mundi: Idq; tanquam ſummum miraculum prædicat ipſe Deus,* Eſa. 29. verſ. 14. *Ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupẽdo: Peribit enim Sapientia à Sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur.*

Nunc ſi ſingulorum *librorum Capita Doctrinæ percenſenda eſſent, non ſexcenta tantum, ſed infinita illius Majeſtatis exempla in medium producere poſſemus, cum eam qualibet ferè lineola ſpiret & oſtendat.*

Primum & ſecundum *caput Geneſeos quanta divinæ Sapientiæ & potentiæ Myſteria commemorat, in exponenda Hiſtoria Creationis, quæ fuit rerum univerſarum mundiq; totius initium: Cujuſmodi in omnium Gentium libris non tantum non invenire, ſed humanitùs quidem ne mente attingere aut excogitare licet.*

Tertium Caput *initium & occaſionem refert omnium errorum, omniumq; malorũ, quæ ubiq; locorum in univerſo mundo accidunt.*

cunt. Quam quidem mundi & humani præſertim generis miſeriam à Gentibus ſanioribus agnitam deploratamq́ꝫ legimus, ſed qui fontē ejus vel leviſſimo naturæ indicio attigerit nuſpiam Gentium invenimus.

Porrò quantum eſt *incarnationis & redētionis myſterium, quod eodē Capite ante Eventū annos circiter quater mille præſignificatur? Tantum id eſſe ait Petrus, ut etiam Angeli in id proſpicere deſiderent*, 1. Petr. 1. verſ. 12. *Quid de Myſterio Trinitatis admirando & tremendo dicendum?*

Quod autem *in pauciſſimis iſtis lineolis Geneſeos apparet: id de ſingulis jam enumeratis libris doceri poſſet, qui omnes tanto Majeſtatis & cæleſtis Sapientiæ fulgore ſplendeſcunt, tantos pietatis radios emittunt, tam ſancta vitæ præcepta continent, quanta in nullis alijs ſapientiſſimorum hominum Scriptis offendere licet. In uno libello Ruth quàm eximiū eſt, & ad excitandos & inflammandos animos hominum commodiſſimum, veræ & conſtantis fidei in Deum, pietatis in parentes, & divinæ compenſationis eiuſdem exemplum. Eſt ibi elegans declaratio Legis Connubialis*, Deut. 25. verſ 7. & 8. *Exſtat inſuper certiſſimum monimentum Hiſtoriæ venturi Meſſiæ, quod ei perſpicuum & invictum generis & familiæ teſtimonium perhibet. Ex ſummà ergò docu-*

men-

mentorum illorum evidentiâ in genere pro omnibus & ſingulis libris ſupra enumeratis concludimus:

Quicunq; liber *doctrinam comprehendit, quæ omnem captum humanum excedit, eidemq; planè eſt abſcondita, quæ ipsâ beatorũ Angelorum Sapientiâ ſuperior eſt, iiſdémque admirabilis, quæ pietatis Regulis & Sanctitatis præceptis, ſenſum, reverentiam & amorem Cultus divini eum mentibus hominum incutit, qui ſuavi quodam, libero & benevolo affectu eos percellit, atq; ad pietatis ſtudium flagrantiſſimum incitat: Is liber non niſi à Deo inſpiratus & traditus eſt. Atqui omnes & ſinguli libri Biblici in Catalogo ſuperiùs recenſiti & comprehenſi ejuſmodi doctrinam cõtinent.* Ergò *non niſi à Deo inſpirati & traditi eſſe poſſunt.*

II. Idem Secundò *ſumma, admiranda, conſtans, & nunquàm ſibi contraria veritatis profeſſio evincit. Nullus enim liber humanâ induſtria confectus, nulla Superſtitio Comentitiorum & Idololatricorum Cultuum de hac dogmatum perpetuâ Conſenſione & Synceritate gloriari, eamq; ſibi arrogare poteſt. Sed omnes ubiq; ferè turpiſſimis mẽdaciis, enormibus Contradictionibus, & flagitioſiſſimis immanium ſcelerum exemplis ſcatent: Quorum Paulus*, Rom. 1. verſ. 21. 22. & 23. &c.

& 2. cap. verſ. 15. *Benè longum Catalogum recenſet. Ac ejuſmodi quidem omnium gentium & populorum Religio fuit, Dijs ipſorũ (quorum ſummus & optimus Juppiter ſexcentis adulterijs, Mercurius alter ab ipſo innumeris furtis infamis eſt) maximè & appoſitiſſimè conveniens.*

III. Hi ſoli libri *verum nobis Deum, qui lucem habitat inacceſſam, verumq; diſcrimẽ inter Deum & res creatas, demonſtrant: Cùm reliquæ gentes, omni ſua Sapientiâ, & univerſis libris ſuis id nec deprehendere nec prodere potuerint, ſed mutaverint gloriam inviſibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & quod ignominioſiſſimum eſt, in ſimilitudinem volucrum, quadrupedum, Serpentum, &c.* Rom. 1. Sapient. 15. *Idq; non alia de cauſſa, quàm quia uſu librorum iſtorum caruerunt, ex quibus ſolis vera & ſalutaris Dei cognitio acquiritur,* 1 Corinth. 2. verſ. 11. & 12. Ergò *libri iſti non niſi à Deo eſſe poſſunt.*

IV. Majeſtas & excellentia *horum Scriptorum inde etiam apparet, quod univerſalem quaſi Medicinam complectuntur omnium malorum, omnium afflictionum & ærumnarum, omniumq; caſuum, qui homini accidere poſſunt: In rebus ſecundis cupiditatum illuviei quaſi aggerem objiciunt & obicem ponunt: In adverſis animum addunt & adverſus de-*

ſus deſperationem præmuniunt: Quin & nullum eſt tàm atrox malum, nullum tàm inſolens, cui in libris iſtis non ſit paratum certiſſimum & divinum remedium. Lætificant enim Cor & illuminant oculos, Pſalm. 19. verſ. 9. *Et ſunt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Roman. 1.

Atqui hoc ejus *tantum Autoris opus eſt, qui omnia novit, intimosq; Cordis receſſus excutere poteſt, qui eſt Deus.* Ergò *& libri iſti ad eundem unicè ſunt referendi.*

II.

DE TESTIMONIIS IN SCRIPTURA comprehenſis, quibus evincitur, libros iſtos ad DEUM Autorem referendos.

PRIMUM eſt generale, *toti Scripturæ Veteris Teſtamenti ab ipſo Chriſto perhibitum.*

Johan. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Hinc ita argumentamur:*

In quocunq; vita æterna *habetur, illud à Deo eſt. At in Scriptura Veteris Teſtamenti vita æterna habetur.* Ergò *illa à Deo eſt.*

Major tàm eſt certa, *ut Pontificij ejus evidentiam in ſtabilienda operum ſuorum juſti-*

ſicatione confirment. Si enim quæras, cur operibus noſtris meritum juſtitiæ & vitæ æternæ adſcribant? Reſpondent, quia non hominis tantum, ſed ipſius Dei opera ſunt, per hominē renatum edita. Concludunt ergò, Vitam & Juſtitiam ideò mereri opera, quia à Deo ſunt. Valeat ergo hoc multo magis in Scripturis. Minor *expreſſis Chriſti verbis nititur.*

II. Ad Speciem magis accedit, & *Moſis ac Prophetarum libros, tum Pſalmos nomine Autoris Dei nobis commendat, ſequens teſtimoniorum Claſſis.* Luc.16.verſ.29.& 31. *Habent Moſen & Prophetas, audiant illos, Si Moſen & Prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

Luc.24.verſ.44. *Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt, impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, Prophetis & Pſalmis.* Actor.24. verſ.4. 26. cap. verſ.22. *Nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moſes.*

Rom.1.verſ.1. & 2. *Paulus Servus* JESU *Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis: Hujuſmodi teſtimonia habentur plurima in Novo Teſtamento: Vnde concludimus: Quicquid in Moſe, Prophetis & Pſalmis propoſitum, & tanquam*

quam ſacrum & divinum inculcatum eſt, illud etiam revera unicèq; ad autorem Deum referendum eſſe.

III. De Epiſtolis Apoſtoli Pauli *cõmune exſtat teſtimonium*, 2. Petr. 3. verſ. 15. & 16. *Sicut chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles &c.*

De Hiſtoria Euangeliorum, Luc. 1. ver. 1. & 2. *Quoniam quidem multi ſunt conati ordinare narrationes, quæ in nobis completæ ſunt, rerum.*

IV. Porrò ſuper ſunt *perſpicua & illuſtria dicta, quibus nomina etiam ſingularium librorum exprimuntur, & integræ ex iiſdem ſetntiæ allegantur, quibus Autoritatis divinæ teſtimonium invictiſſimum illis perhibetur, adeò ut qui ulteriores probationes quærat, aut mente motus, aut omnem Dei timorem exſuiſſe meritò videri poſſit, cum Autoritate & Teſtimonio Dei nil certius, nilq; majus, & dignius ſit*, 1. Johan. 5 verſ. 9.

I. Moſis nomen aliquoties *jam expreſſum habuimus, Dicta verò ex libris ejus allegantur, tamquam ex Dei ore & ſententia, cum à Chriſto, tum ab Apoſtolis ejus.*

1. A Chriſto, Matth. 19. verſ. 4. *in diſputatione*

tatione contra Phariſæos de Conjugio ex Geneſi ſententiam Cap.1.verſ.27. *allegat, maſculum & fæminam fecit eos, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit Vxori ſuæ, & erunt* DUO *in carne una. Quo dicto tum conſuetudinem divortij faciendi, quod ſibi ferè quavis de cauſſa licitum opinabantur Judæi, tum πολυγαμίαν ex agro Eccleſiæ Chriſtus profligat. Et Apoſtolus Paulus*, Rom.4. verſ.3. Galat.3. verſ.6. *in confirmando Articulo gratuitæ Juſtificationis coram Deo, & confutando operum meritò, utitur dicto Moſis*, Geneſ.15.verſ.6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.*

II. Exodus à Chriſto *ſæpiùs etiam in teſtimonium adhibetur: Inde enim divinâ Autoritate reſurrectionem mortuorum in diſputatione contrà Saducæos probat*, Matth. 22. verſ.32. *Ego ſum* DEUS *Abraham, &* DEUS *Iſaac, &* DEUS *Jacob*, Exod.3.verſ.6. *Paulus ex* cap.20. *eiuſdem integram Legis explicationem depromit*, Rom.7. & 13. *Hiſtoria velatæ faciei Moſis*. Exod.34.verſ.33. *ad exprobrandam cæcitatem Judæis, & redarguendam inſcitiam eorum utitur, idem Paulus*, 2. Corinth.3. verſ.13.

III. Levitici teſtimonio, *quod exſtat* cap.19.verſ.18. *Chriſtus Phariſæo de maximo præcepto Dei quærenti reſpondet*, Matth. 22.verſ.

22.verſ.39. *cui alterum ex* Deut. cap. 6. verſ. 5. *in eàdem cauſſa præmiſit.*

IV. Ex libro Numerorum *aliquot Hiſtoriæ recitantur,* 1. Corinth. 10. *Idq; eo fine, ut dignitas ſacrorum Chriſtianorum illuſtrior fiat, & ſimul omnes admoneantur, ut piè & reverenter ea tractent, ſiquidem abuſus eorũ certiſſimum & horrendum Dei judicium attrahat, & ad pœnam eundem provocet, id quod exemplis Majorum demonſtratur.* Joh. 3. *adducitur hiſtoria erecti ſerpentis,* Num. 21. verſ. 3. &c.

V. Ex libro Joſuæ, cap. 1. verſ. 5. *Promiſſio conſolationis pleniſſima contra avaritiam ſeu* πλεονεξίαν *allegatur,* Hebr. 13. verſ. 5. *Hiſtoria meretricis Raab, & dirutorum murorum Urbis Hiericho nomine tenùs allegatur,* cap. 11. *eiuſdem Epiſtolæ, ad probandam fidei efficaciam.*

VI. Inſuper aliquot *Hiſtoriarum fit mẽtio, ex libro Judicum adductarum eodem Capite, utpote Gedeonis, Barack, Samſonis, Jephthæ, &c.*

VII. Hiſtoria conſtituti Regni Judaici *& electionis Saulis memoratur à Paulo,* Act. 13. vſ. 21. *in Concione de Chriſto, qui eſt Meſſias, ex* libr. 1. Samuel. cap. 8.

VIII. Teſtimonium 2. lib. Samuel. cap. 7. verſ. 14. *adhibetur ad divinam Chriſti naturam*

turam & majeſtatem demonſtrandam, Heb. 1.verſ.5. *Sicut & Pſalmus 2. cum 110.*

IX. Hiſtoria Eliæ, 1.Reg. 19. *ad confirmandam Electionem Dei & demonſtrandas Sanctorum reliquias, Eccleſiæq́ perpetuam in extrema confuſione errorum, contra omnes Diaboli furores & impetum, conſervationem adducitur à Paulo*, Rom:11.verſ.3.& 4. *Hiſtoria Davidis in caſu neceſſitatis, cum fame premebatur, Panes propoſitionis comedentis*, Mar.2.ver.25.& 26.*ex* lib.1.Reg.cap.21.v.6.

X. Hiſtoria Nahamanis *miraculo Eliſæ à lepra ſanati, ex* 2.libr.Reg.cap. 5. *allegatur à Chriſto*, Luc.4.verſ.27. *ad defendendam autoritatem vocationis ſuæ, & retundendas Calumnias ac redarguẽdam incredulitatem impietatemq́ popularium ſuorum, quos divina providentia nullo dignari miraculo volebat.*

XI. Hiſtoriæ Jobi *fit mentio* Jacob. 5. verſ. 11. *& integrum ex iſto* libr. cap 5. *ſub generali nomine Scripturæ allegatur*, 1.Cor.3. verſ.19.

XII. Pſalmi in libros *Novi Teſtamenti ferè tranſiiſſe videntur, tàm copioſa eſt eorum allegatio*, Matth.21. verſ.16. *acclamationem populi fauſtam à contumelijs & reprehenſionibus Phariſæorum vindicat Chriſtus verbis*, Pſalm.8.verſ. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.*

XIII. Proverbiorum Salomonis *haud*

rarò

raro etiam ſit mentio, Hebr. 12. verſ 5. *duplex conſolatio pro afflictis ex ijs petitur: Obliti eſtis conſolationis quæ vobis tanquam filijs loquitur dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini*, Cap. 3. verſ. 11.

XIV. Ex dicto Eccleſiaſtæ, 5. cap. *petitum eſt, quod Paulus de divitibus, vita, & obitu eorum ait*, 1. Tim. 6. verſ. 7. & 9. *Eſt autẽ quæſtus magnus pietas cum ſufficientiâ &c.*

XV. Eſaias tàm frequens *eſt in ore Chriſti & Apoſtolorum, ut multis non tàm Prophetæ quàm Euangeliſtæ perſonam ſuſtinuiſſe videatur, ſi ejus cum Novo Teſtamento collatio inſtituatur: Siquidem de Nativitate, paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione, Regno Chriſti, cum Regio Pſalte, omnium clariſſimè eſt vaticinatus. Chriſtus primam ſuam Concionem ex ipſo petit*, Luc. 4. verſ. 18. *Johannes viſionem allegat Majeſtatis divinæ*, Eſa. 6. Johan. 12. ℣. 40. Cap. 53. *integrum in Scripturis Novis Teſtamenti, hinc inde inſperſum eſt.*

XVI. Hieremias notiſſimus *etiam eſt & familiaris Apoſtolis in Scripturis Novi Teſtamenti*, Matth. 2. verſ. 18. *in deteſtationem parricidij Herodis allegatur* Jer. 31. *Sic* Hierem. 7. Luc. 19.

XVII. Ab Ezech. cap. 37. ℣. 21. & 34. *deſcribitur Hiſtoria Collectionis Eccleſiæ ex Judæis*

dais & Gentibus in unum ovile, quam repetit Chriſtus, Johan. 10. verſ. 16. *De Gog & Magog accuratiſſimè ſibi reſpondent*, Ezech. cap.39. & Apocalyp.cap.20.

XVIII. De Daniele clarum *eſt teſtimonium*, Matth.24.verſ.15. *Cùm ergò videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco Sancto, &c.* Daniel.9.verſ.27.

XIX. Sic & de reliquis *duodecim Prophetis Minoribus idem demonſtrari poteſt*, Oſeæ 6.verſ.6. Matth.9. verſ.13. *Euntes autem, diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Joël. 2. Matth.24. Rom. 10.verſ.13. Actor.2.verſ.17. *Cui reſpondet dictum* Abdiæ verſ.17. *In monte Syon erit ſalvatio.* Amos 9.verſ.11. Actor.15.verſ.16. Jonas 2.verſ.1. Matt.12.℣ſ.40. *Item* cap.3.℣.4. Matt.12.℣.41. Micheas.5.℣.2. Matt.2.ver.6.

XX. Libri Paralipomenon, *ex libris Samuelis & Regum depromti ſunt, & quaſi auctuarium quoddam iiſdē adjecti, qua de cauſsâ Spiritus ſanctus lectorem librorum Regum in omnibus ferè Capitibus huc remittit. Niſi ergò aliquis ipſius Chriſti autoritatem impiè convellat, hiſtoriam ejus abjuret, eidemq́ fidē malitiâ plus quam Diabolicâ deneget, ac deroget, nemo unquam de Autoritate librorum jam commemoratorum dubitare poterit.*

XXI. Quod

XXI. Quod autem ad libros *Novi Teſtamenti attinet, illorum eodem Argumenti genere Autoritas evincitur. Quia enim illi ad Vet. Teſtamenti libros perpetuo ſeſe referunt, ac fundamenta ſua inde repetunt, quorũ umbram, typos, myſteria, accuratâ demõſtratione enucleant, & digito quaſi cõplementum ipſorum demonſtrant, adeoq; arctiſſimo pleniſſimoq; reſpondent conſenſu, miraculis & prodigijs divinis confirmato, de quo nullus hominum, nemo etiam Doctorum ipſius Eccleſiæ, (niſi immediate à Spiritu ſancto ſit actus) gloriari poteſt. Quis ergò autoritati Majeſtatiq; librorum Novis Teſtamenti vel tantillum derogare poterit? Quis? niſi qui Paganismo ſe planè mancipavit, & malitiosè ac nefariè ad veritatis lucem cæcutire conſtituit? Vt enim umbra corporis lineamenta ac membrorum diſpoſitionem, & contra corpus umbræ veſtigia certiſsime arguit & deſignat: Ita libri Veteris & Novi Teſtamenti, mutuo teſtimonio & argumento ſeſe demonſtrant.*

XXII. Porrò ſi ad Typos *reſpiciendum, quatuor Euangeliorum liber Ezechieli Cap. 1. Prophetiæ ſuæ, haud obſcurè in Viſione divina oblatus & demonſtratus eſt, ſub imagine quatuor animalium, quorum alæ dicuntur fuiſſe conjunctæ, ſuperiùs diviſæ & apertæ binæ, inferiùs complicatæ binæ, quibus corpus*

tegebant, crura recta, pedes rotundi, facies quadriformis (Hominis Leonis, Bovis & Aquilæ) & in quatuor angulos mundi verſa, aſpectus eorum, quaſi ignis Carbonum ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum: Greſſus eorum in omnem partem rectus, quocunq; ea Ventus & Spiritus, quo interiùs agebantur impellebat. Dicuntur etiam incidiſſe in locum viſionis cum impetu, ignitâ nube involuta, clariſſima tamen luce in medio fulgente. Quæ omnia appoſitiſsimè in Euangeliſtas quadrant & conveniunt. Ac numerus quidem animalium, Euangeliſtarum numero, exquiſitè reſpondet. Quod autem alis, corpore & tergo conjuncta dicuntur, ſummus conſenſus Doctrinæ Euangeliſtarum denotatur & conſtans eorum Concordia in omnibus Religionis Chriſtianæ Capitibus: Facies *in quatuor angulos directa deſignat univerſalem vocationẽ omnium gentium & propagationem Regni Dei ac Verbi ejus in univerſum orbem, de qua Paulus* Coloſſ.1. Alæ *partim diviſæ & expanſæ, partim complicatæ, alacritatem prædicandi Euangelij, ac eos, qui Chriſto fidem dederunt, in gremium Eccleſiæ recipiendi, promtitudinem ſignificare videntur. Quemadmodũ & quod crura recta ac pedes rotundos habuiſſe dicuntur: Quamvis prius iſtud Cõſtantiæ etiam & ſtabilitatis Doctrinæ:* Pedes

verò

verò rotundi libertatis eiuſdem argumentum eſſe videntur.

Gentes Fortunam Idolum ſuum, *pedibus alatis in globo inſiſtentem finxerunt: Innuentes, eam cautè & prudenter tractandam eſſe, ſiquidem Dea ſit invictæ & inviolatæ libertatis & inconſtantiæ, quæ modò huc, modò illuc ſeſe recipiat, hunc ſuo acceſſu felicem, illum diſceſſu ſuo infeliciſſimum reddens.* Deus *in Verbo ſuo etſi non inconſtans eſt & vagabundus: liberrimus tamen nulliq́; loco affixus eſt, Non enim eſt perſonarum acceptio apud eum, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſticiam, acceptus eſt illi,* Actor. 10. *Vnde animalibus rotundi attribuuntur pedes. Piè ergò & ſobriè tractandum Verbum hoc, ac ſolicitiſsimè cavendum, ne ſordibus nequitiæ & peccatis, ne impio abuſu propellatur & fugetur. Hæc enim omnium miſerrima eſt Calamitas, privatio verbi divini: Contra nullum bonum majus, nullum præſtantius, quam vera eius & Salutaris cognitio: De qua David Propheta Regius hinc inde in Pſalmis ſuis concionatur. Spiritum autem interiùs agentem ac motantem deſignat Petrus,* 2. Petr. 1. verſ. 21. *Involucrum nubis, mundi Sapientiã condemnat, & ſocordiam ſeu oſcitantiam quorundam, qui obiter duntaxat & deſultoriâ operâ Scripturas legunt & inſpiciunt, unde*

nulla ipſis lux intelligentiæ affulget, qua in medio conſiſtit, ac diligentem Lectorem & fidelem ac religioſum inveſtigatorem requirit.

Lucæ verò Euangelium *in ſpecie ab Apoſtolo Paulo commendatur*, 2. Cor. 8. verſ. 18. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Euangelio.*

Ut ergò Concludamus. *Omnes libri Scripturarii ita comparati ſunt, ut qui unum atq; alterum admiſerit, nullo labore convinci poſſit, reliquos quoq; ab eodem autore profectos, & eiuſdem generis ac dignitatis eſſe: Etſi, proh* Deum, *ſemper exſtiterint, & adhuc hodiè inveniantur, qui id ore profiteri nolunt.*

III.

DE ECCLESIÆ ET HISTORIÆ Teſtimonio: ac diſtinctis Eccleſiæ officiis, quæ in commendanda Scriptura obit & ſuſtinet &c.

HOc argumentum iſtud eſt, *quod omnium maximi faciunt Pontificij, eoq; uno Scripturæ Autoritatem ſatis confirmari ac illuſtrari poſſe autumant, qua de cauſſâ omnes ferè declamationes, Libri, Scripta, omnes diſquiſitiones ipſorum eò diriguntur, eoq; unice incumbunt, ut obtineant ſolam Eccleſiam eſſe*, quæ ex ſe ipſa Scripturæ ſuam Autoritatem conciliare, *eamq; ſartam tectam aſſervare,*

vare, ac proprio nomine & autoritate univerſo Gentium orbi ſatis abundè commendatam reddere poſſit. Quare, ut pij & religioſi Chriſtiani in defendendà fide ſua & Religione ſalvificâ, Scripturam unicè in ore & delicijs habent, ac quotieſcunque ratio fidei reddenda eſt, inde teſtimonia ſummo animi gaudio ac πληροφορίᾳ *deducunt, ac rectè id quidem, utpotè qui ſciunt, ſe ſuprà hoc fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum exſtructos eſſe*, Epheſ. 2. verſ. 20. *Ita Pontificij loco Scripturæ Eccleſiam ſibi fundamenti loco deligunt, ita ut vix tertium cum illis de Religione verbum permutare queas, quin ter aut quater ſuam tibi Eccleſiam, tanquam Meduſæ caput objiciant.*

Verùm etſi nos Eccleſiæ *teſtimonium maximi facimus, cum omnibus Sanctis Dei: nullo tamen modo illud cum prioribus comparandum ſeu æquiparandum ſtatuimus. Accipimus ergò iſtud primò tanquam Hiſtoricũ. Vt enim Antiquitas de alijs, quorumvis autorum libris, certum ad omnem poſteritatem teſtimonium derivare & perhibere poteſt: Ita hic in primis ea eſt reſpicienda ac veneranda. De hoc generé Teſtimonij loquitur Auguſtinus, cum Collationem inſtituit inter libros Ciceronis & Euangeliſtarũ, ac utrorumque Autores ex teſtificatione hiſtoriæ, & ſeculorum de-*

F 3 *ductio-*

ductione demonſtrat. Eſt igitur hoc genus teſtimonij, præter ſuperiora, tam certum, tam firmum ac tutum, ut ne ab ullo quidem, qui integrâ aut ſanâ mente eſt præditus, rectè negari poſſit.

Quicquid enim ab ultimâ ſuâ *origine nec unius aut alterius tantum hominis, ſed magnæ omninò multitudinis, conſtans & oculatum habet teſtimonium, de eius veritate nemo ſanus dubitare poteſt vel debet.* *Atqui libri ſuperiùs commemorati ab ultimâ ſui origine conſtans hoc & oculatum, non unius tantum aut alterius, ſed innumeræ multitudinis habent teſtimonium; quod à Deo per Prophetas & Apoſtolos inſpirati, traditi, ac ſcripti ſint.* Ergò *de eorum veritate nemo ſanus dubitare poteſt vel debet.*

Teſtimonia accumulare *operæ precium hîc non exiſtimamus, ſiquidem* Euſebius, Auguſtinus, Cyprianus, Epiphanius, Nazianzenus, Athanaſius, *& Concilia Epiſcoporum, primâ Eccleſiæ ætate coactorum, plena ſunt eiuſmodi teſtimonijs, quæ quotidiana lectione obſervare & annotare conſultius, quàm prolixè ad Calamum dictare. Numerat autem eoſdem Sacrarum ac verè divinarum literarum libros, nullo prorſus omiſſo,* Hieronymus *in Prologo Galeato:* Euſeb. lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 25. Cyprianus *in expoſitione Symboli: Con-*

*li: Concilium Laodicenum,*Canone 59. *Librum tamen Eſther Melito apud Euſebium præterijt: Eoſdem recenſet* Epiphanius, Auguſtinus, Nazianzenus *ad Seleucum de rectâ educatione,* Euſeb. lib. 3. cap. 19. Origenes ſecundum Euſebium, libr. 6. cap. 19. *Quâ de re vide Magnum illum, piæ memoriæ, Theologũ D.* Chemniciũ *primâ parte Exam. Trident. de Scripturis Canonicis.* fol. 110. 116. 117.

Sunt autem in hoc argumento, *ex Eccleſiæ teſtimonio exſtructo, duo obſervanda.* 1. *Teſtimonium ipſum ſeu pars teſtificans.* 2. *Res, quæ teſtimonio iſto comprobatur. Si quis igitur eſt, qui ipſi teſtimonio inficiando ſeſe opponit, inſanus meritò habetur: Siquidem id negare audet, de cujus veritate ab alijs innumeris manifeſtè convincitur. Inſolentiſſimæ autem inſaniæ eſt contrà id diſputare, quod universa Eccleſia fecit.* Auguſtin. Epiſt. 118. *Sin verò rem ipſam negat, hoc eſt, narrationem quidem rei geſtæ concedit, veramq́; fatetur, ſed Deo illam autore geſtam eſſe, inficias it, is Paganus eſt ſeu Ethnicus, qui Deum in verbo ſuo loquentem nec audire vult, nec agnoſcere. Quâ de cauſſa pro Converſione & illuminatione eius potius orandum eſt, quàm prolixe cum eo diſputandum.*

Præter hiſtoriæ verò teſtimonium, *aliam etiam præſtat Eccleſia generi humano operã:*

Nempè miniſtri ſeu Præconis: Cujus operâ Deus utitur, ceu inſtrumento, ad proponendum hoc verbum, per Prophetas & Apoſtolos traditum ac conſignatum. De quo officio loquitur Paulus, 2. Corinth. 5. verſ. 19. & 20. *Poſuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Chriſto ergò Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Ad* Epheſ. 4. verſ. 11. 12. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti, donec occuramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei &c.* 1. Corinth. 4. verſ. 1. 2. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei &c.* Actor. 20. *tota cohortatio Pauli eò dirigitur, ut commendet Epiſcopis & Paſtoribus ſyncerum Dei verbum, quod ipſe Eccleſiam ex Moſe & Prophetis docuerat. Chriſtus etiam hoc officium commendat, cum ait* Matth. 23. *Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi Omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, ſervate & facite.* Matth. 13. verſ. 52. *Omnis Scriba doctus in Regno celorum, ſimilis eſt homini Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo vetera & nova. Quâ parabola Chriſtus ad diſtinctionem utriusq; Teſtamenti reſpexiſſe, ac utrúmque* propo-

proponendum Eccleſiæ demandaſſe, haud obſcurè patet.

Hinc quid & quantum *Eccleſiæ ſit tribuendum, omnes verè pij deprehendunt. Quia enim Deus operâ ejus ceu organo utitur, quo nos ad cœtum fideliũ vocat & aggregat, fideq́ in nobis plantat, per prædicationem verbi hujus factam ab Eccleſia, manifeſtum eſt, ſine hac Eccleſiæ operâ neminem vel Deum, vel verbum ejus in Scripturis comprehenſum, niſi miraculo id fiat & immediatè ipſius Dei vi, agnoſcere poſſe.* Quicunq; ergò Scripturam habet, legit, audit, meditatur, agnoſcit, colit & reveretur, Eccleſiæ hoc debet ceu miniſtræ. *Luculentus hac in parte teſtis eſt Apoſtolus Paulus*, Rom.10.verſ.14.15.& 17. *ubi ait: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, ſine prædicante? &c. Ergò fides ex auditu &c. Ita Chriſtus*, Johan.17.verſ. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.*

Quare ita argumentamur:

Per verbum Apoſtolorum, omniumq́, qui eorum loco ſunt, credimus in Chriſtum.

Ergò & Scripturę, *quæ de Chriſto teſtatur, per verbum eorum, quod in nomine Chriſti annunciant, credimus.*

Ratio conſequentiæ eſt, *quia medium credendi omnes fidei Chriſtianæ articulos ordinarium, unum idemq́ eſt.* Ac iterum: *Fides ex auditu eſt. Auditus autem ex Verbo Dei, quod in Eccleſia prædicatur.*

Ergò & *Fides ex ejuſdē prædicatione oritur.*

Si verò *omnis fides ex prædicatione eſt.* Ergò *& Fides, quâ Scripturam credimus, ex prædicatione erit.*

Præcipuum autem *hoc eſt, quod Apoſtolus Paulus omnem ijs noticiam Verbi divini, quin & auditum adimit, qui* Prædicante *carent. Ad Eccleſiæ ergò miniſteriū omnes remittit, ut inde petant, ſi quicquam de Deo & Verbo ejus ſcire ac credere cupiant: Id quod hac ratione manifeſtum facimus.*

Nemo quicquam *ſine prædicatione audire poteſt.*

Ergò nec *Scripturas ſine prædicante agnoſcere vel credere quisquam poteſt.*

Nam cui omnia *ſimpliciter denegantur, ei nihil ex parte reſtat: ſublato enim toto, tolluntur omnes ejus partes, & negato genere, negatur ſpecies. Ordinem igitur hunc ſanxit Deus ratum & firmum, ut per prædicationem Eccleſiæ nobis & innoteſceret & fideli Corde ſuſciperetur verbum Dei Sacris literis comprehenſum.* Nomine autem prædicationis non tantum Concio, quæ ore fit, ſed totum

tum officium Eccleſię in proponenda Scriptura ſeu verbo DEI intelligitur.

Ex gemino hoc fonte *manat iſtud* Auguſtini *celeberrimum, ac Pontificijs decantatiſſimum, ſed nunquam intellectum, quod exſtat* Tom. 6. *contrà Epiſtolam Manichæi, fundamenti dictam*, cap. 5. *his verbis:* Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ moveret autoritas. *Non enim hoc vult* Auguſtinus, *quaſi Eccleſiæ autoritas Scripturæ ſuam apud nos conciliaret autoritatem, ita, ut Scripturæ fides & Autoritas inter nos ab Eccleſiæ autoritate, tanquam à* cauſſa Efficiente dependeret, *eidemq́ʒ* propter *eãdem Eccleſiæ autoritatem credendum eſſet: Id quod Pontificij volunt:* Sed de Eccleſia ut cauſſa miniſtrante ſeu inſtrumentali loquitur, *cujus operâ, manu ductione, & prædicatione, traditioneq́ʒ Scripturam habemus, audimus, videmus, legimus, accipimus, credimus: Quemadmodum alios fidei Articulos omnes per auditum prædicationis ejuſdem agnoſcimus & credimus: Quod medium Deus Veritati agnoſcendæ ac fidei acquirendæ liberrimâ voluntate deſtinavit, perq́ʒ idem efficax eſſe, ac Salutem in nobis operari voluit,* 1. Timoth. 2. *D*EUS *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

Credimus ergo & fideli Corde agnoſcimus ſcripturam

pturam hanc eſſe ipſum Verbum Dei, ſed id unicè propter DEUM ipſum autorem, *ac Doctrinæ genus, quod in ea comprehenditur*. Non verò propter Eccleſiam, ſed per eam, tanquam cauſſam Inſtrumentalem ſeuOrganon, *per quod Deus in nobis eſt efficax, ac fidem ac ſalutem operatur: Cujus operà ſeu miniſterium ex divina ordinatione, ita neceſſarium eſt, ut ſine eo nemo quicquam, niſi miraculo, de verbo Dei ſcire & credere poſſit. Quo ſenſu rectiſſimè omninò & veriſsimè dixit* Auguſtinus: *Euangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret autoritas. Plurimum enim apud fideles* omninò miniſterii autoritas valere debet, non tamen Scripturæ præponi. *Eſt ergò* primò *Hiſtoriæ & antiquitatis teſtimonium penes Eccleſiam, quod ad demonſtrandam & declarandam Scripturæ cùm autoritatem tùm veritatem, maximum pondus habet. Eſt* ſecundò *penes Eccleſiam miniſterium Verbi, quod cumprimis eſt reſpiciendum*, utrumq; maximæ autoritatis argumentum. *Quod autē hæc & non alia ſit mens* Auguſtini, *ipſe in ſequentibus etiam latiùs explicat, cum ait:* Ipſi Euangelio, Catholicis Prædicantibus, credidi: *& iterum: Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi Apoſtolatu in Euangelio reperitur, Catholicis potius credam, quàm tibi.*

tibi. Si autem inde aliquid manifeſtum, pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi, illis, quia de te mihi mentiti ſunt: Tibi autem, quia eam Scripturam mihi profers, cui per illos credideram, *qui mihi mentiti ſunt. Ex quibus verbis evidens eſt, quid & quantum Eccleſiæ teſtimonio Auguſtinus tribuat:* Per eam, *ait, ſe credidiſſe Euangelio: Facit ergò Eccleſiam ſuæ fidei cauſſam inſtrumentalem. At ſi porrò quæras, cur Eccleſiæ crediderit? Reſpondet, quia non mentiatur, ſed dicat conſentientia ijs, quæ manifeſtò in Scripturis leguntur.* Credit ergò Auguſtinus Scripturæ per Eccleſiam: ſed Eccleſiæ, propter Conſenſum cum ipſa Scriptura.

IV.

DE PROPRII CORDIS SUFfragio, ſeu, ut dicitur: Sancti Spiritus Teſtimonio interno.

HOc argumentorum *ſeu probationum genus, etſi à Pontificijs tanquam privatum & ineptum ridetur, non tamen ideò abjiciendum, ſed plurimi faciendum eſt. Teſtimonium autem Cordis non ejuſmodi intelligimus, quale* Enthuſiaſtæ *ſibi ſomniant, & ex arcanis & immediatis inſpirationibus ſine verbo imaginantur: ſed cujus ipſum* DEI verbum organon *eſt & inſtrumentum, per quod Spiri-*

Spiritus ſanctus efficax eſt in Cordibus noſtris, ac pœnitentiam & fidem in nobis operatur, & promiſſiones divinas, tanquam Arrha, *de qua nulla eſſe poteſt dubitatio, obſignat. Eſt igitur ejuſmodi hoc teſtimonium Sancti Spiritus in nobis, quod expreſſo Dei Verbo nititur, & idcircò ſolis credentibus proprium eſt.*

Traditur autem manifeſtis *& diſtinctis Scripturæ locis à Spiritu ſancto.* 1. *Ad* Rom. 8.verſ.16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Si autem filij & hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, undè ita argumentamur.*

Si ex interno Spiritus ſancti *teſtimonio, nobis conſtat de gratia & amore Dei, ac paternà eius dilectione, & vitæ æternæ hæreditate: idq; non probabile tantum, aut veriſimile, ſed conſtans eſt & certiſſimum argumentum: Eodē etiam teſtimonio de ipſius ſcripturæ veritate, autoritate & majeſtate certiſſimè cōſtabit.*

At priùs *verum eſt:* Ergò *& poſterius.*

Connexio Majoris evidens eſt: *Scriptura enim nihil aliud eſt, quàm Doctrina, Concio ſeu declaratio voluntatis Dei, ac paternæ ejus affectionis erga nos. 2. Si de ipſo Dei affectu certi eſſe poſſumus proprio Cordis noſtri ſuffragio, multò magis etiam de ſermone & doctrinà ipſius, quæ nil aliud eſt, quam index affectus*

fectus illius: qui ſuâ natura internum quid eſt & abſconditū, hæc verò in oculis omnium poſita. Huic ſimile teſtimonium eſt ad Galat. 4. Cap. verſ. 6. & 7. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in Corda veſtra, clamantem* Abba Pater.

II. 2. Corinth. 13. verſ. 5. *Voſmet ipſos tentate, ſi eſtis in fide: Ipſi vos probate, An non cognoſcitis voſmetipſos, quia* CHRISTUS *JESUS in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis. Hoc teſtimonium maximè accommodum eſt ad confirmandam autoritatem & certitudinem hujus argumenti, de ſuffragio, quod literis Sacris in fidelium ſuorum Cordibus, Spiritus ſanctus perhibet. Agit enim hic Apoſtolus de prædicationis ſuæ, & Apoſtolatus ſeu miniſterij à Deo ſibi commiſſi autoritate & efficacia, quam ipſorum exemplo ac proprio Cordis teſtimonio docere vult & demonſtrare: Quin & electionis ac reprobationis ex eodem fonte certiſſimum peti poſſe τεκμήριον aſſeverat: Quare firmiſſimè inde concludere licet.*

Quicquid miniſterii & *Doctrinæ Apoſtolicæ origini, autoritati & Majeſtati demonſtrandæ, ipſis Apoſtolis adhuc vivis, certum probationis argumentum præbuit. Id jam mortuis Apoſtolis Scripturæ ipſius originem & autoritatem eâdem Conſtantiâ & certitudine demonſtrabit.*

At

At internum *Spiritus ſancti teſtimonium in Cordibus credentium, ipſis adhuc vivis Apoſtolis demonſtrandæ origini & autoritati miniſterij ac Doctrinæ ipſorum certum probationis argumentum fuit.* Ergò &c.

Ratio Connexionis in Majore firma eſt. *Idem enim ſunt Doctrina prædicata & literis comprehenſa. Ergò quod unius veritati probãdæ inſervit, id eadem ratione alteri quoque competit, ut qui unum fatetur, alterum accipiat oportet.*

III. Johan. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. In hoc dicto duo obſervanda ſunt.* 1. *Mandatum, quo Chriſtus Judæis, ut Scripturas* ſcrutentur, *hoc eſt*, diligenter *legant ac meditentur, injungit.* 2. *Ratio ipſa, quam addit Chriſtus: Quia ſcilicet Judæi exiſtiment ſeu putent, ſe in Scripturis vitam habere æternam.* Putare autem hîc, non nudam ſignificat aut quamcunq; opinionem, quæ de hac aut illa re levibus quibuſdam Conjecturis concipitur, ſed certam ac ratam Cordis perſuaſionem ſignificat. *Non enim opinabantur tantùm, ſed perſuaſum omninò ſibi habebant Judæi, Scripturam Propheticam eſſe Verbum vitæ æternæ, & idcircò eam in ſuo Corde pro ipſo Dei verbo habebant, quia in*

quovis

quovis caſu & in quavis adverſitate efficaciam vitæ in eo deprehendebant ac ſentiebant. Quòd ergò Veteris Teſtamenti Scripturæ λεκμήριον *fuit, cur iſtud in univerſam Scripturam non redundet, eidemq́ conveniat? Eſt Judæis ſcriptura Vet. Teſtamẽti ipſum verbum Dei, quia in Corde ſuo petitam inde efficaciã, vitæ & firmam conſolationẽ ſentiunt. Ergò & nobis tota ſcriptura, q. a ejuſdẽ efficaciæ verba cõplectitur.*

IV. Rom. 1. verſ. 16. *Non erubeſco Euangelium: Virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti, Judæo primum & Græco. Hic Apoſtolus Paulus verbum Dei Effectu ſuo, quem in credentibus operatur, deſcribit: undè promtum eſt argumentari:*

Omnis Effectus *eſt certiſſimus Cauſſæ ſuæ index: Salus in credentibus eſt Effectus Euangelij certiſſimus. Ergò ex illo Effectu omnes & ſinguli credentes, quæ & qualis Doctrina Euangelij ſit, ac quod ab ipſo Deo profecta ſit, agnoſcere & certò ſecum ſtatuere poſſunt.*

Quare tantum abeſt, *ut interno Spiritus ſancti ſuffragio, quod ſcripturæ in Cordib. credentium perhibet, aliquid derogari poſſit: ut potiùs impius planè ſit, ipſumq́ Deum mendacij arguat, qui de eo vel dubitat, vel id negat & inficiatur: De quo Johannes priori Canonicâ,* 5. Cap. verſ. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium* IN SE: *Qui non credit in Filio, mendacem facit eum: Quia non credit*

 teſtimo-

teſtimonium, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo: Quibus Verbis Apoſtolus expreſſiſſimè ad ipſum cujuslibet credentis teſtimonium, quod in Corde ipſius eſt, ſeſe refert, indeq́ tàm certum & exploratum de fide & Doctrinâ noſtrâ judicium fieri vult, ut nefas ducat, de eò vel leviſſimè dubitare. Quare non eſt opus, ut prolixiùs hac de re agamus.

PROPOSITIO XVII.

Ecclesia ſuo teſtimonio nec librum aliquem divinum aut Apoſtolicum facere, nec plus Autoritatis eidem, niſi quantum ex ſe ipſo, vel Autore ſuo habet conciliare poteſt: ſed id ſolum, quod jam ante eſt, declarat & proponit.

EXPLICATIO.

Sensus hujus θέσεως, *ex ſuperioribus minimè obſcurus eſſe poteſt: Dictum eſt enim & demonſtratum, quid divinum nobis ſit & Apoſtolicum, & quæ argumenta ſeu* τεκμήρια *Eſſentialia & perpetua ad id requirantur: Cauſſa ſcilicet Efficiens, & Autor libri cujusvis: Doctrinæ genus: Adjuncta Sigilla & miracula, & Effecta. Inter argumenta autem illa primum & ſecundum ad ipſum* τὸ εἶναι *pertinent: Reliqua etſi ad ipſam Subſtantiam Verbi non pertinere videantur,*

tur, ad autoritatem tamen & fidem faciendam, tanquam ſigilla literis ſuis affixa, plurimum conferunt. Nulli verò illorum teſtimonium Eccleſiæ æquiparandum eſſe, hac Theſi affirmamus: Nec enim vel Verbum ipſum, vel Autoritatem ejus maiorem, digniorem ac eminentiorem reddere poteſt.

PROBATIO.

1. AB exemplo Johannis Baptiſtæ *vel comparatis.* Johan. 5. verſ. 34. 35. 36. 37. & 41. *Ego non ab homine teſtimonium accipio &c. Habeo teſtimonium majus Johanne: Opera enim quæ dedit Pater, ut perficiam ea: Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. Et qui miſit me, Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me &c. Scrutamini Scripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, claritatem ab hominibus non accipio.*

Hîc advertendum eſt, *quòd Chriſtus in demonſtratione officij Doctrinæ ac perſonæ ſuæ verſetur, ac manifeſtum facere velit Judæis, ſe verè eſſe Filium Dei & promiſſum Meſſiam, ac Verbo ſuo fidem omninò habendam. Adhibet autem duo tantum argumenta: Nempè Scripturam ſeu Spiritum ſanctum in Scriptura, & opera ſeu miracula ſua. Johannis verò teſtimonium tanquam humanum habet & infirmum, & idcircò in ſeipſo conſidera-*

deratum rejicit, utpote à quo nullam omninò Claritatem exſpectet, ſed multò majori & digniori autoritate nitatur. Dignius ergò & majus eſt Scripturæ (tanquam Dei teſtimonium) Johannis teſtimonio. Inde ergò ita argumentamur:

Quod Johannis *teſtimonio nec clarius nec dignius reddi potuit: Id nec Eccleſiæ vel ullius hominis teſtimonio clarius & dignius reddi poteſt.*

At verbum Chriſti, *Johannis teſtimonio, nec clarius nec dignius reddi potuit, ſed omnis ejus Autoritas, à teſtimonio ipſius Sancti Spiritus, per Scripturam loquentis, & à miraculis divinà virtute editis, dependet.* Ergò *nec Eccleſiæ vel ullius hominis teſtimonio &c.*

2. Divina Scriptura Johannis *teſtimonio major eſt, & dignior, tanquam Dei ipſius verbum & teſtimonium. Ergò Eccleſiæ & omnium hominum teſtimonio major eſt.*

Connexio firma eſt, *quia Johnnes primus fuit & maximus Eccleſiæ Novi Teſtamenti Doctor,* Matth. 11. ver. 11. *Cujus teſtimonium pluris eſt faciendum, quam omnium Pontificum & Conciliorum, quibus unis Romanenſes Eccleſiam ſuam definiunt & circumſcribunt.*

II. A Majeſtate Scripturæ. Johan. 5. verſ. 46. & 47. *Si crederetis Moſi, crederetis*

forſitan

forſitan & mihi: De me enim ille ſcripſit: Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Audimus hîc, quod Chriſtus ipſe ad autoritatem Scripturæ nominatim provocet, indeq́ fidem ſibi apud Judæos conciliare velit. Quis ergò fidelium tàm amens erit, qui ab Eccleſia demum Scripturæ autoritatem petendam opinabitur. Siquidem hac ratione ipſius Chriſti autoritatem & fidem non ſine enormi impietate autoritati Eccleſiæ ſubjiciet. Sic enim concludimus:

Quicquid Chriſti *autoritatem aſſerere, Verbis eius apud adverſarios fidem conciliare poteſt, id ab Eccleſia nil planè autoritatis vel dignitatis accipiet.*

At ipſæ Sacræ literæ Chriſti *autoritatem aſſerere, eiq́ apud Adverſarios fidem conciliare potuerunt.*

Ergò *ab Eccleſia ſuam autoritatem accipere non poſſunt.*

Connexio Majoris *jam explicata eſt.*

III. A vocatione & officio *Apoſtolico, tanquam connexis. Ad* Galat. 1. verſ. 1. *Paulus Apoſtolus, nõ ab hominibus, neq́ per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis. Inde fit hic Syllogiſmus.*

Quicquid ad autoritatem *Apoſtolicæ vocationis conſtituendam inutile eſt & ineptum:*

Id ſimiliter ad autoritatem Doctrinæ Scriptorum Apoſtolicorum conſtituendam inutile & ineptum eſt.

At omnes homines *ad autoritatem Apoſtolicæ vocationis conſtituendam inepti ſunt & inutiles.*

Ergò ad *Autoritatem &c.*

IV. A genere teſtimonii. *Eccleſiæ teſtimonium aut cum Scriptura conſentit, indeq́ petitum eſt, aut propria autoritate & voluntate eidem Scripturæ perhibetur.* Item *fide dignum eſt hoc teſtimonium Eccleſiæ, quo exiſtimat, ſe Scripturæ autoritatem divinam inter homines conciliare poſſe, aut propter ſcripturam ſeu Verbum Dei, aut propter ipſam Eccleſiam. Si prius, tunc Scripturæ autoritas non ab Eccleſia, ſed Eccleſiæ à Scriptura dependet. Si hoc; tunc teſtimonium illud non à Deo eſt, ſed ab homine. Quicquid verò ab homine eſt, illud infirmũ & fallax eſt, nec ullâ certâ fide dignum. At teſtimonium iſtud Eccleſiæ, quod Scripturæ ex ſe ipsâ perhibere vult, humanum eſt. Ergò infirmum & fallax, nec ullâ fide dignum. Atq́ ita videmus, in quos labyrinthos errorum & inconſtantiæ ſeſe Pontificij & totum Religionis Chriſtianæ negocium involuant.*

V. Ab interdicto DEI. *Deníque inde quoq́ Theſeos noſtræ veritas manifeſtè liquet,*

quod Deus tàm ſeverum interdictum promulgaverit, de non addendo aut detrahendo in Scripturis, Deut. 4. verſ. 2. & Cap. 12. verſ. 32. *Atqui ſi ex Eccleſia aliquid autoritatis Scripturæ accederet, cujus non eiuſdẽ ratio ex ipſa Scriptura demonſtrari & depromi poſſet, jam certè aliquid eidem non ſine grandi piaculo adſueretur. Siquidem ſibi ipſi ad autoritatem & fidem faciendam non ſatis eſſet, ſed ſubſidium aliunde petendum eſſet: Quin & divino humanum teſtimonium præferretur, ac certius haberetur: Quo pacto omnis certitudo Scripturæ exſpiraret, & in Eccleſiam transferretur. Quod quam periculoſum fidei Chriſtianæ naufragium minetur, omnes pij ſatis ſuperq; intelligunt.*

PROPOSITIO XVIII.

Ii, qui Libros Sacræ Scripturæ proferunt, & Eccleſiæ Chriſti proponunt, nec fideles ſemper, nec veræ Eccleſiæ addicti ſunt.

EXPLICATIO ET CONFIRMATIO.

HOc vult Theſis: *Inveniri inter eos, qui Eccleſiæ præſunt; eiq; in proponendo Dei Verbo & commendanda Sacra Scriptura miniſtrant, impios & incredulos, qui non ſolum impietate vitæ laborent, verum etjam*

jam in ſummo errore, & maximarum rerum periculoſa & damnata ignoratione hæreant. Exemplo ſint, impij aliquot Pontifices Veteris Teſtamenti, quibus Sanctuarium & explicatio Legis divinæ commiſſa & demãdata erat: ut Urias, *tempore* Achas, 4. Reg. 16. *qui impij Regis impius fuit Alaſtor & Idolatra.* Hãnas & Caiphas, *tempore Chriſti, cum omnibus Scribis & Phariſæis: Imò &* Aaron *ipſe in lapſu horrendæ Idolomaniæ à ſe inſtitutæ veritatem Theſeos iſtius confirmat. Tales fuerunt etiam Pontifices Romani, cum univerſo raſorum & perunctorũ ſuorum Sacrificulorũ ordine, à quibus Majores noſtri non alio modo Biblia acceperunt, quam quo Chriſtus & Apoſtoli ab Hanna & Caipha. Facit autẽ hoc eò, ut pateat, quantum à veritate aberrent Pontificij, qui ex autoritate Eccleſiæ ſuæ, Scripturæ Sacræ Canonicam autoritatem ſuſpendunt.*

PROPOSITIO XIX:

ETSI verò librorum quorundam Autores Anonymi ſunt: Aliqui verò nomina præfixa habent: nil tamen inde vel his dignitatis accedit: vel illis decedit. Pertinet enim hoc ad Hiſtoriam propriè.

EXPLICATIO.

DISTINCTIO iſta *librorum planè eſt accidentalis & ab Eventu petita: Quia enim*

enim videmus, quoſdam libros Sacræ Scripturæ ſuorum autorum nomina præ ſe ferre, & in ipſa oſtendere fronte: Quorundam verò nomina latere & incognita eſſe: Inde accidit, ut quidam Anonymi dici poſſint, hoc eſt, eiuſmodi libri, quorum autores Titulis inſcripti & denominati non ſunt, & idcircò de ijs aliundè inquirendum: Quidam verò nominibus Autorum inſigniti. Illius generis ſunt libri Judicum, Ruth, tres libri Regum, duo Paralipomenon, Eſther, aliquot Pſalmi: *Quibus etiam à quibuſdam Liber* Joſuæ, & liber Hiob *annumerantur: In Novo Teſtamento ſunt* Acta Apoſtolorum, Epiſtola ad Hebræos, *de qua poſteà. De iſtis Libris, partim certò non cõſtat, qui in Individuo Autores fuerint, partim ex ipſo Hiſtoriæ contextu, aliquid de ijs colligi & cognoſci poteſt.*

Librum Joſuæ *tribuunt quidam* Eleazaro, *filio* Aaronis, *eius temporis Pontifici ſeu Sacerdoti ſummo: Quidam ipſi* Joſuæ: *Ac poſtremam duntaxat particulam,* Cap. 24. *de morte, & ijs, quæ paulò poſt mortem* Joſuæ & Eleazari *evenerunt, à Phinea & Samuele adjectam eſſe ſentiunt.*

Librum Judicum quidam Samueli, *quidam Judicibus ipſis, quidam Prophetis ejus temporis adſignant.*

Liber Ruth Samueli *ſimiliter tribuitur.*

Librum Samuelis *poſteriorem, & prioris partem poſtremam tribuunt* Nathani & Gad *Prophetis de quibus priori Paralipomenon*, Cap. 29. verſ. 29. *Librum* Regum *iisdem, item* Ahiæ Sylonitæ, *de quo* 2. Paralipo. 9. verſ. 29. *Iddoni videnti vel Prophetæ, ibidem: &* 2. Paralip. 13. verſ 22. Jehu *Prophetæ filio* Hanoni, 2. Paralip. 20. verſ 34.

Libri duo Paralipomenon *videntur ipſi* Eſræ *adſignandi: Quæ cauſſa eſt, cur in Bibliis Hebræis poſt libros* Eſræ & Nehemiæ *collocantur. Librum* Eſther *tribuunt* Mardochæo. *Librum* Hiob *aliqui ipſi* Hiobo, *aliqui verò Moſi adſcribunt, cujus ſeculo aut paulò ante accidiſſe Hiſtoria iſta creditur. Epiſtola ad* Hebræos, *modò Paulo, modò Lucæ Euangeliſtæ tribuitur.*

Quicquid verò *de nominibus Autorum in ſpecie fiat aut conſtituatur: modò ex ipſo Doctrinæ genere, & teſtimoniis ſuprà commemoratis, eos à Prophetis profectos, vereq; divinos eſſe conſtet: Nihil autoritati eorum derogari Theſis affirmat, ſicut & nihil accederet, etſi nomina expreſſè præfixa eſſent. Pertinet enim Noticia nominis ad ſolius Hiſtoriæ pleniorem cognitionem, ut conſtet, quo inter Prophetas & Apoſtolos ad hunc vel illum librum edendum, ſeorſim Deus ſit uſus.*

PROBATIO.

I. Omnes libri ab eodem *Autore* DEO *editi, à Prophetico Spiritu profecti, ijsdem miraculis & ijsdem teſtimonijs muniti ſunt, tàm ij, quorum Autores nomine noti non ſunt, quàm ij, quorum Autores nomine noti ſunt. Ergò immotè conſtat, eos cum cæteris æqualis Autoritatis & dignitatis eſſe.*

II. Apoſtoli in Novo Teſtamento *ſcripta & dicta Prophetarum, omiſſa mentione nominis, ſæpiſſimè allegârunt. Ergò ad fidem & ſalutem Chriſtianam non pertinent, nec Libris Scripturæ quicquam derogatur, etſi de ſingulorum Autorum nominibus non conſtet.*

Ratio conſequentiæ evidens eſt: *Si enim Articulus fidei fuiſſet, ſcire nomen Autoris hujus aut illius ſcripti, id ſine piaculo ab Apoſtolis præteriri ſilentio non potuiſſet. Exempla verò intermiſſæ mentionis autorum paſſim in Scriptura exſtant,* Matth. 1. verſ. 23. *Item,* 2. verſ. 6. & 15. Roman. 4. verſ. 3. Marc. 1. verſ. 1. & 2. &c. *Ergò &c.*

III. Ex hoc naſcitur tertium. *Scriptura enim ea, quæ ad fidem & ſalutem credentium neceſſaria ſunt, omnia complectitur: Ita enim ait Paulus,* Roman. 15. 2. Timoth. 3. *Ergò ſi noticia Autorum in ſpecie ad fidem neceſſaria fuiſſet, à Spiritu ſancto non neglecta, ſed diligenter inculcata ac cõmendata Eccleſiæ fuiſſet.*

IV. Mul-

IV. Multa circumferuntur *Apocrypha ſub nomine* Nicodemi, Jacobi, Petri, *Hermetis Paſtoris, quæ tamen ipſi Pontificij pro Authenticis non habent. Ergò ſi Liber ipſe fidem ſibi non facit, Nomen ei hanc conciliare nequit.*

V. Nomen Prophetæ, *ſive notum, ſive ignotum ſit, officio eius nec obeſt, nec prodeſt, idemq; nec illuſtrius reddit, nec obſcurius, modò de Vocatione divina certò conſtet. Ergò modò de Prophetica origine libri conſtet, nomen Prophetæ tutò ignorari poteſt. Quemadmodum enim nomen Prophetam non facit, ſed vocatio Dei immediata: Ita nec librum Propheticum efficere poteſt, is enim a ſola Dei inſpiratione dependet: teſte Petro* 2. Epiſt. cap. 1. verſ. 20.

PROPOSITIO. XX.

Libri Apocryphi Vet. Teſtamenti ſunt hi: *1.* Liber Tertius & Quartus Eſræ. *2.* Liber Judith. *3.* Liber Sapientiæ. *4.* Tobias. *5.* Eccleſiaſticus ſeu Syrach. *6.* Libri Maccabæorum tres. *7.* Additamenta Eſther & Danielis. *8.* Liber Baruch. *9.* Canticum trium puerorum. *10.* Oratio Aſariæ. *11.* Oratio Manaſſis. *12.* Epiſtola Hieremiæ &c.

Confirmatio.

I. Ex Antitheſi. *Dictum enim ſuperius eſt,*

eſt, omnes Libros Canonicos Prophetam aut Apoſtolum aliquem autorem habere, qui immediatè à DEO *vocatus & in Doctorem αὐτόπιστον, de cujus fide nil planè dubitandũ, generi humano commendatus ſit. Licet ergò immotè inde concludere, nullum librum, qui ejuſmodi Prophetam aut Apoſtolum autorem non habet, Canonicum aut divinum judicandum eſſe, idq́ propterea, quia Propheticus vel Apoſtolicus non eſt. Atqui hujus generis ſunt omnes ocmmemorati. Ergò Apocryphi ſunt, & pro divinis habendi non ſunt.*

Aſſumtum probatur. 1. *Quia lingua Prophetica ſcripti non ſunt. Certum enim eſt, omnes Prophetas ex Eccleſia Judæorum ortos & vocatos eſſe. Vſi ergò ſunt linguâ ſuæ Eccleſiæ, quæ fuit Hebræa, aut Idioma Hebreæ vicinum:* ſiquidem omnis Doctor Eccleſiæ ſuæ, ad quam verba ipſi facienda ſunt, Idioma neceſſariò ſequitur. 2. *Quod autem eâ linguâ ſcripti non ſint, non Hiſtoria tantum Eccleſiæ, ſed & ipſe Canon Hebræus oſtendit, in quo planè non inveniuntur. Qui tamen omnes libros ſacri Canonis Hebræa Linguâ ſcriptos, complectitur.* 3. Prophetæ *è vivis deceſſerant, & eo tempore, quo ſcripti ſunt libri iſti, mitti deſierant.* Malachias *enim fuit ultimus & noviſſimus: qui vixit ante natum Chriſtũ, Anno 471. à condito mundo 3500. Poſt cujus*

ſecu-

ſeculum nemo alius dari aut demonſtrari poteſt, qui divinum Prophetæ teſtimonium, & autoritatem ac poteſtatẽ ſcribendorum librorum Canonicorum à Deo habeat: Sicut tum ex Hiſtoria Eccleſiæ, tùm ex ipſa Scriptura manifeſtum eſt. Ergò nullus librorum iſtorum inter Canonicos meritò referri poteſt. Hujus argumenti evidentiam etiam Bellarminus *agnoſcit,* Cap.7.libr.1. *de verbo Dei:* fol. 40.*ubi ait: Librum Eſræ non fore in Canone, ſi poſt tẽpora Longimani eſſet Scriptus.* 4. *Nemo hactenus docere potuit, ne inter Pontificios quidem, eos à Prophetis originem ducere. Cùm ergò firmum ſit Axioma: Quicquid obſcuræ & incertæ eſt originis, nec à talibus profertur, qui per ſeriem Succeſſionis ritè id accepiſſe reperiantur, iſtud Canonicum non eſſe: Manifeſtum eſt, nec hos libros inter Canonicos referri poſſe.*

II. Argumentum, ab Autoritate: *Omnes iſti libri ex Canone Hebræo excluſi ſunt: qui Canon non Judæis tantum, ſed quod omni exceptione majus eſt, ipſi Chriſto & Apoſtolis: Patribus & Doctoribus primitivæ Eccleſiæ Novi Teſtamenti probatur. Ergò nullus iſtorum librorum inter Canonicos referri debet: Nam is tantum verus Canon eſt, quem Chriſtus recipit & approbat.*

Antecedens eſt *Quadripartitum, quare pro*

pro ſingulis partibus probationes & Teſtimonia adferenda. 1. Quod in Canone Hebræo non ſint, ipſum Bibliorum Hebræorum exemplar oſtendit: quod numerum Canonicorum librorum parem & eundem nobiſcum habet. 2. Quod à Judæis rejiciantur, extra controverſiam eſt. 3. Chriſto verò idem placere & Apoſtolis, multiplex allegatio Scripturarum Propheticarum oſtendit. Certum enim eſt, Chriſtum fuiſſe diligentiſſimum Scripturæ Veteris Teſtamenti vindicem: Siquidem clarè docet, ſe ne Jota quidem illarum ſoluturum, nec unquam etiam ut hoc fiat, paſſurum vel impunè dimiſſurum, Matth. 5. verſ. 18. *Nolite putare, quoniam veni &c. Amen dico vobis, donec tranſeat celum & terra, Jota unum aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergò ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno celorum. Quin & affirmat Judæos habere Scripturas Moſen & Prophetas,* Johan.5. Luc.16. *Et, affirmatione iſta eorum Canonem recipit, eiq; integritatis teſtimonium perhibet. Si enim mutilus fuiſſet Canon Propheticarum Scripturarum inter Judæos, non potuiſſet dicere, eos habere Prophetas, cum partē tantùm Prophetarum habuiſſent, neque vitam etiam ipſis inde promiſiſſet, ſi partem aliquam de*

Scriptu-

Scriptura abſtuliſſent & detraxiſſent: Cum enim ob Jota ſolutum damnationis pœna ſubeunda ſit. Multò ergò magis ob libros & Prophetas integros abjectos & Sacrilege ſublatos.

4. Primitivæ Eccleſiæ *teſtimonium in omnium eſt oculis. Eſt enim hoc vetuſtatis cõſtans teſtimonium, quod excellentia Canonicæ autoritatis Vet. & Novi Teſtamenti, jam Apoſtolorum temporib. cõfirmata fuerit.* Auguſt. lib. 11. *cõtra* Fauſt. Manich. cap. 5. Tom. 6. *Ergò quorum Canonica autoritas ex eo tempore certò deduci nequit: Canonici non erunt. Quin etiam Papæ nihil licebit pro Canonico obtrudere, quod ex Canonica autoritate Vet. & Novi Teſtamenti, Apoſtolorum tempore cõſtituta, probare non poterit.* Hieronymus *Prologum ſuum Galeatum his verbis concludit: Quicquid extra hos eſt, inquit, inter Apocrypha ponendũ: Igitur Sapientiâ, quæ vulgò Salomon inſcribitur, & Jeſu filij Syrach liber, Judith, Tobias & Paſtor &c. Canonici non ſunt. Nec loquitur hic* Hieronymus *ex ſententia Judæorum tantum, ſed hoc ipſum Eccleſiæ Novi Teſtamenti obſervandum proponit. Ait enim hic Prologus Scripturarum, galeatum quaſi principium, omnibus libris quos de Hebræo in Latinum vertimus, convenire poteſt*, ut ſcire valeamus &c. *Et in Libros Salomonis ait:* Hos legere quidem Eccleſiam,

cleſiam, ſed inter Canonicas Scripturas non recipere. *Similiter de* Nazianzeni, Epiphanii, Euſebii, Cypriani & Athanaſii & Damaſceni *teſtimoniis conſtat: qui omnes libros inter Apocryphos rejiciunt, qui in Catalogo recitato non habentur: Non habentur autem libri in Theſi præſenti conſignati: Ergò Apocryphi. His addatur Gloſſa* Diſtinct. 16. Cap. *Canones: dicens: Ea eſſe Apocrypha, quæ ementitum præferant auctorum nomen, & in certo ſint autore prodita: Etſi enim hoc Gloſſæ teſtimonium à Pontificiis exagitatur, ut* Andrad. in Def. fol. 491. *patet tamen inde quæ Eccleſiæ ante* Concil. Flor. & Trident. *ſententia fuerit.*

III. Argumentum, À genere Doctrinæ. *Multa inſunt fabuloſa, falſa & erronea, & à Majeſtate Spiritus Sancti alieniſſima in his libris.* Ergò *Canonici non ſunt.*

Ut probetur *Antecedens, percurrendi ſunt ſinguli Libri & exempla demonſtranda.*

1. De Libro Judith.

Laudatur in eo *factum* Simeonis & Levi, *tanquam ſanctum & divinum*, Cap. 9. verſ. 3. & 4. *quod à Spiritu ſancto damnatur*, Geneſ. 49. verſ. 5. 6.

2. In primo aditu *& ſalutatione* Holofernis, *multa temerè effutit, quæ non ſolum Spiritus*

Prophetico non conveniunt, ſed & pietati, fidei ac dilectioni proximi adverſantur. Falſis enim & mendacibus narrationibus jugulum Holofernis *perfidè petit, eumq́ſ ſpem emendationis haud exiguam de ſe facientem, per nocturnas inſidias, contrà fidem datam, & contrà officium Prophetæ, ad Tartara præcipitem agit: quin & ſe ad proditionem populi ſui divino juſſu ſeu afflatu incitatam, perſonata iſta Judith affirmat.* Cap.10.& 11. *(cujus ſimile exemplum nullibi in Sacris Literis exſtat.*

3. Nec Hiſtoriæ *ſeries conſtat, nec ſeculum deſignari poteſt, quo ea acciderit: Præſertim verò iſtud ſeculum, quo populus Judaicus Aſſyrijs adhuc fuerit ignotus, ut habetur* Cap. 5. verſ 3. *Fabulæ ergò ſimilior, quam Hiſtoria, nec inter Canonicos computandus.*

II. DE LIBRO TOBIÆ.

EJusmodi Comœdia *quoque Tobias eſt: Nam nec hîc temporum & Annorum ſeries quadrat: Habetur enim* Cap. 1. verſ.11. *Tobiam Juniorem cum Patre à Salamanaſſare ſive Nabonaſſare captivum abactum eſſe: Eundemq́ adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cum templum Domini exureretur, quæ exuſtio ab initio exſilij Iſraelitici diſtat annis 133. Anno enim conditi mundi 3 2 3 2. Samaria.*

maria, ſedes Regis Iſraëlitici capta, populusq́ à Nabonaſſare ejectus, atq́ in Aſſyrios abductus eſt, 4. Reg. 17. *Anno autem mundi 3365. Nabuchdonoſor ſeu Nebucadnezar Hieroſolymas capit, ac templum exurit & ſolo æquat.* At verò *Tobias Junior non niſi 99. annos vixit*, Cap. 14. verſ. 16. *Ergò vel Hiſtoria ſibi non conſtat, vel Tobias 34. annos poſt mortem ſuperſtes fuit: quorum utrumq́ quàm Canonicum ſit, cuilibet pio judicandum relinquimus.*

Porrò quàm benè τῷ ῥητῷ *ſententiæ illius* Cap. 4. verſ. 11. & Cap. 12. verſ. 9. *Cùm merito Chriſti, cum Juſtificatione & dono vitæ æternæ gratuito conveniat, ſuo loco audiemus. Nam univerſam ei reclamare Scripturam, ringentibus interim Pontificijs, manifeſtè demonſtrabimus. Sunt autem verba hæc: Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Deniq; Editionis *Græcæ & Latinæ, cum Judith, tum Tobiæ, tanta eſt diſſonantia, ut ferè nullum caput alteri per omnia reſpondeat: Multa enim habentur in Græca, quæ in Latina deſunt: Plurimis etiam Latina auctior eſt, quam Græca: Quin & mutuo ſeſe in quibuſdam prorſus impugnant: Id quod maximè à Dei verbo alienum eſt.*

III. DE ADDITIONIBUS Esther.

IN Eſther *Hiſtoria ſunt Capita ſeptem, quæ longè poſteriori temporis intervallo, à Canonico libro Eſther, Græcè vel Latinè etiam tantum ſcripta aut prodita ſunt. Nempè ætate Ptolomæi & Cleopatræ, quæ ab ætate Eſther annos circiter quadringentos diſtat, Non ergo eidem auctori omnia aſſignari, neq; pro uno libro haberi poſſunt.*

2. Diſſidet ab Hebræo *narratio iſta poſterior, cum in deſignatione temporis detectarum inſidiarum, quas Regi Eunuchi ipſius ſtruxerant,* Cap. 11. & 12. & Cap. 2. verſ. 16. *tum in deſignatione cauſſæ odij Hamanis in Mardochæum,* Cap. 12. verſ. 7. & Cap. 3. verſ. 5.

3. Quin imò tota illa *appendix ferè nihil aliud eſt, quam odioſa & inconveniens repetitio priorum, quæ Spiritui Sancto in uno & eodem libro haud quaquam imputanda eſt.*

IV. DE ADDITIONIBUS Danielis.

DANIELIS aſſumenta, *ut ſunt Belis, & Draconis fabulæ. Suſanna Comœdia, ideò inter Canonica haberi nequeunt, quia nec conſtat, quis Daniel ille fuerit, de quo iſta traduntur: Plurimi enim in eam ſententiam abeunt, fuiſſe alium quempiam, eumq; de tri-*

de tribu Levi, id quod verſio 70. Interpretum confirmat, & Bellarmino *non diſplicet. Deinde Hiſtoriæ ſeries ſibi non conſtat, ut videre eſt ex* Cap.13.verſ.65. *Ubi Daniel iſte tanquam puer introducitur, tempore Cyri, quo tamen Propheta noſter jam Centenarius propè ſenex fuit; ſiquidem initium regni Cyri, finem impoſuit, & Judæorũ captivitati, & Babyloniorum Monarchiæ. Etſi porrò educatio Danielis* Cap. 1. *Libri Canonici deſcribitur, ac quæ obſervatu digna ſunt, accuratè commemorantur. Altum tamen de Hiſtoriâ iſtâ Suſannæ, & lata ſententia Danielis, ſilentium eſt. Id quod à Spiritu ſancto haud dubiè factum non fuiſſet, ſi veritas aliqua ineſſet: utpotè, quod ad commendandam admirabilem ſapientiam Danielis maximè feciſſet. Deniq; nec Hiſtoria Belis & Draconis conſiſtere poteſt, ſi quidem ea de Cyro rege, ſapienti, & pio talia commemorat, quæ fidem nunquam mereri poſſunt. Cyrus enim Idololatra non fuit, ſed primo ſtatim anno imperij ſui, cum everſione regni Babylonici, & Idolomaniæ eiuſdẽ, reſtaurationem veri cultus Dei, & templi Hieroſolymitani non tantum eſt meditatus, ſed eandem quoq; omni ſtudio & ſumtibus regijs juvit ac promovit,* 1.libr.Eſdræ, cap.1.verſ.1. & 2. *Taceo, quam abſona ſint, quæ de Habacuc Propheta traduntur, qui ante captivita-*

tem vixit, ut ex Cap. 1. *Prophetæ ejuſdem videre eſt. De reliquis particulis Oratione Aſariæ & Hymno ſeu Cantico trium puerorum ex ſuperioribus fiat judicium.*

V. DE LIBRIS *III.* & *IV.* ESDRÆ, Oratione Manaſſis, & *III.* Maccabæorum.

LIBER 3. & 4. Eſdræ. *Oratio Manaſſis, &* 3. liber Maccab. *ipſorum etiam Papiſtarum confeſſione Apocryphi ſunt.*

VI. DE LIBRO SAPIENTIÆ.

LIBER Sapientiæ, ψευδεπίγραφος est: *Non enim Salomonis, ſed Philonis eſt Judæi qui (teſte Bonaventura, in explicatione hujus libri) Apoſtolorum tempore vixit. Ergò etſi liber alioquin malus non eſt, ſed utilis, multisq; elegantibus ſententiis, & rectè dictis ac monitis refertus, quæ de capitibus quibuſdam Religionis Judaicæ inter Judæos & Chriſtianos extra controverſiam poſitis, hiſtoricum antiquitatis teſtimonium perhibere poſſunt, major tamen, quàm Autoris fuit, dignitas & autoritas ejus eſſe nequit.*

VI. DE LIBRO SYRACIDIS.

LIBER Eccleſiaſtici *tempore Ptolomæi Evergetis Anno mundi 3740. à Morte Alexandri Magni, 90. aut præter propter ſcriptus*

ptus eſt: Liber alioquin Salutaribus monitis & præceptis ſapientiſſimis refertus: adeò, ut non inutiliter in Eccleſia ad morum informationem, quemadmodum & liber Sapientiæ, legi poſſit. Aliena autem à Spiritu ſancto, Majeſtateq́ Prophetica iſta ſunt: quod de laboris in ſcribendo moleſtiâ, interpretationis difficultate, & imperitiâ ſermonis conqueritur, ac veniam propterea erratis precatur. Longè alitèr Paulus, qui ait, ſe in Sapientia verbi aut ſermonis non miſſum, ne evacuetur Crux Chriſti, 1. Corinth. 1. verſ. 17. *Spiritui autem Sancto, & Prophetis moleſtiam, erratáq́ in ſcribendo, ignorantiam in rerum explicatione imputare, ab impietate proximè abeſt. Quod de excitato & incantationibus Diabolicis, veneficæ cujuſdam, è ſepulcro producto Samuele narrat,* cap. 4. ver. 23. *Id fidem haud meretur: Quid enim juris aut poteſtatis Diabolo cum veneficijs ſuis in corpora piorũ, quieti jam data? quæ inquieta reddere nulla vi poteſt. Quid Samueli Prophetæ cum magia? Ex ipſa autem Hiſtoria Canonica,* 1. Reg. 28. verſ. 19. *liquidò apparet, quis fuerit à venefica illa in Colloquium Saulis adductus: Ait enim ad Saulem: Cras tu, & filij tui mecum eritis: in qua brevi ſententiâ aliquot inſunt mendacia. Quid n. impio cum pijs in altera vitâ? Quid Apoſtatæ Sauli cum Propheta, quid homicidæ*

cum paſtore? &c. Samuel ergò ille ab inferis exci atus, nemo, niſi Dæmon ipſe fuit, larvam Samuelis præ ſe ferens.

Eſt&à Canonicâ *ſcripturæ ſententiâ haud parum alienum, & cum grano ſalis accipiendum iſtud quod dicitur,* cap.3.verſ.33. *Ignem ardentem exſtinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis. Niſi enim peccati vox pro pœna peccati temporali accipiatur, aut pro ſatisfactione injuriæ erga proximum, cujus animus reſtitutione reconciliandus & demulcendus eſt &c. cum Scriptura Canonica nunquam ſententiæ iſti conveniet.*

VIII. DE LIBRIS MACCABÆORUM.

DE Libro 3. Maccabæorum *dictum eſt, At verò de reliquis duobus ſimiliter ſentiendum eſſe, haud difficulter demonſtrari poteſt.* 1. *Enim Autor eorum exiſtimatur eſſe Joſephus, homo Judæus, qui etſi tempore Chriſti vixit, Chriſtianæ tamen fidei contemtor fuit: Teſtis* Hieronymus libr. 2. *contra Pelagium. Et* Euſeb. 3. lib. Eccleſ. Hiſt. cap.10. 2. *Diſſentanea iſta planè ſunt, ſibiq; contraria, quæ de morte Antiochi,* Epiphanis lib.1.cap.6.verſ.8.16. *Et* lib. 2. cap.1.verſ.16. *Ac iterum* cap.9. *ejuſdem libri cōmemorantur. Eſt verò ſermo de uno & eodē Antiocho, id quod omnes circumſtantiæ cōtra* Bellarmi-

num

num *oſtendunt*. 3. *Eodem modo,quo Syrach, de moleſtia ſcribēdi laboris querulatur*, lib.2. cap.2. *& veniā erratis petit* lib, 2.cap.15. vſ. 39.40. *Quin etiā ipſe Autor ſcripti iſtius profitetur ſe ex Iaſone quodam Cyrenæo,hoc quicquid eſt, decerpſiſſe, & eundem in epitomen contraxiſſe. At ſi ex Cyreneo gentili id habet, Spiritu ſancto inſpirante non ſcripſit. Sed q̄d ſibi vult Sacrificium pro impijs, propter ſacrilegium morte abreptis?* Libr. 2.cap. 12. *Hoc enim ne Pontificij quidem ſine limitatione admittere volunt. Laudatur etiam factum Rhazin, αὐτόχειρος ſibi ipſi mortem conſciſcentis*, libr.2.cap.14. verſ. 42. *At eiuſmodi factum & naturæ & pietati adverſum eſt. Tandem etiam cum veritate Hiſtoriæ non cōſentit, quod* libr.1. cap.1.verſ.7.*dicitur: Alexandrum Magnum ſuis amicis & popularibus, qui cum ipſo ab incunabilis educati & nutriti fuerant, vivum, regnum diſtribuiſſe: Longè enim aliter Curtius, Plutarchus, Diodorus Siculus.*

IX. DE LIBRO BARUCH.

RESTAT liber Baruch: *Qui poſt Librum Eccleſiaſtici & Sapientiæ plurimum inter Apocryphos autoritatis mereri videtur: Apocryphus tamen eſt, quia ψευδεπίγραφος eſt: Id quod ex Idiomate libri*

expreſſè probatur: Si enim à Baruch Scribâ Hieremiæ, de quo legitur, Hier.36.verſ.4.*editus fuiſſet, utiq; Hebraicè, aut Chaldaicè, non Græcè ſcriptus fuiſſet: Eo enim tempore Eccleſia Dei Hebraico Idiomate adhuc integrè eſt uſa.*

Deinde tempus *captivitatis Babylonicæ definitum,* cap.6. verſ.12. *à Prophetiâ Hieremiæ,* cap.25.verſ.11.*planè diſſentit. Ait enim Baruch, eam duraturam generationes ſeptem, quæ continent ſecundum Calculum Scripturæ ad minimum annos 600.ut videre eſt ex* Cap. 15. Geneſ.verſ.13.14.15 & 16. *Ubi generationis tempus centum annis definitur, adeò ut generatio Hebræis idẽ ſit, quod Latinis ſeculum ſeu ætas. At Hieremias ait, Septuaginta tantum annos captivitatem duraturam, id quod eventus ipſe etiam comprobavit. Baruch ergò Canonicus eſſe nequit. Atq; hæc de libris Veteris Teſtamenti Apocryphis.*

PROPOSITIO. XXI.

In Novo Veſtamento etſi ejuſmodi Apocryphi non ſunt, de quibuſdam tamẽ in Eccleſiâ primitivâ non minus dubitatum fuit, & idcircò nec in eadem omnino autoritate cum Canonicis habiti. Quales ſunt: *1.* Epiſtola ad Hebræos. *2.* Epiſtola Jacobi. *3.* Secunda Epiſtola Petri. *4.* Duæ poſte-

riores

riores Epiſtolæ Johannis. 5. Epiſtola Judæ. 6. Apocalypſis Johannis.

EXPLICATIO.

DE dubiis libris *Novi Teſtamenti hac Theſi agitur, qui partim cum Apocryphis Veteris Teſtamenti, partim cum Canonicis Veteris & Novi conferuntur. Ac ſtatuimus commemoratos iſtos Apocryphis quidem Veteris Teſtamenti longè digniores eſſe: Ipſis tamen Canonicis libris non omninò pares, nec eodem loco ſeu gradu abſolutè & ſimpliciter haberi. Vtriusq; ergò aſſertionis ſeu pronunciati ratio reddenda eſt, ac primo quidem docendum, quâ de cauſâ & quo modo in autoritate majori habendos cenſeamus hos dubios libros Novi Teſtamenti, quàm Apocryphos Veteris Teſtamenti. 2. Quid dubitatio Eccleſiæ primitivæ illis detrahat, & quâ de cauſâ cum aliis ὁμολογουμένοις Canonicis æquiparari abſolutè & ſimpliciter non poſſint.*

PROBATIO. I.

DIGNIORES eſſe hos libros Apocryphis veteris Teſtamenti.

I. Doctrina in his *libris eiuſmodi eſt, ut ab Apoſtolico ingenio & divini Spiritus majeſtate (exceptâ unâ Epiſtolâ Jacobi, de quâ poſteà ſeorſim dicturi ſumus) nihil aut parum abeſſe videatur.* Primò *enim fundamentum*

ſeu

ſeu caput Doctrinæ utrobiq́, idem eſt, nec ulla parte diſſonans: & gravitate ac methodo planè Apoſtolicâ traditur & explicatur. Epiſtola ad Hebræos, *quàm evidenter, & quàm clarè conſtantem illam Harmoniam Veteris & Novi Teſtamenti oſtendit, omniaq́ Prophetica dicta in Chriſto completa eſſe demonſtrat. Ecquis verò unquàm ſine Apoſtolico Spiritu ſigna, fœdera, umbras, & typos Veteris Teſtamenti eo modo evolutos & illuſtratos eſſe affirmare auſit? cum ejuſdē ſit Spiritus, & edere vaticinia & ſenſum eorum aperire ac oſtendere.* Poſterior Epiſtola Petri *quantâ gravitate Scripturæ fidem & autoritatem commendat, quantâ pietate de Noviſſimo Judicio concionatur eo argumento omnes ad pœnitentiam adhortans:* De duabus Johannis & Apocalypſi *ſimile fiat judicium.* Apocalypſi enim jam eventuum inſuper certitudo fidem conciliat, *eamq́ à Spiritu Dei profectam evincit. At eiuſmodi nil planè in libris Apocryphis Veteris Teſtamenti oſtendere licet, quorum varietas & diſcrepantia à Canonicâ Scripturâ ſuperiùs patuit. Ergò libri iſti Novi Teſtamenti illis multò digniores ſunt.*

II. Non tàm de Doctrina *quàm de Autoribus librorum fuit dubitatum. Sicut etiam de conſenſu Doctrinæ nulla amplius eſt inter*

pios

pios dubitatio. *Quod verò ad autores attinet: Epiſtolam ad Hebræos Romana olim Eccleſia Pauli eſſe negavit, teſte* Euſeb. libr.3. Eccleſ. Hiſt.cap.3. Hieronymus *ait, Latinos de autore Epiſtolæ ad Hebræos, Græcos de autore Apocalypſeos dubitaſſe, in Epiſtola ad Dardanum. Idem Originis eſt judicium & Euſebij de omnibus libris commemoratis*, libr.6. cap. 14.19. *Item* libr.3. cap.3.& 19. & libr.2. cap. 22. *Sic Nazianzenus ad Seleucum ait, Epiſtolam ad Hebræos Spuriam à quibuſdam haberi, ſed tamen genuinam ei ineſſe gratiam. Cum ergo patres tantopere hos libros commendent, qui tamen Apocryphos Veteris Teſtamenti ſobriè legendos eſſe cenſent: Patet iſtos in pari dignitatis gradu cum illis non habēdos.*

III. Plerique à Patribus & Doctoribus *primitivæ Eccleſiæ, tanquam divini & Apoſtolici, in dijudicandis Controverſiis Religionis allegantur. At hæc fides & hic honor Veteris Teſtamenti Apocryphis nunquàm fuit habitus. Ergò dubijs Novi Teſtamenti longè & inferiores & viliores.*

IV. Apparent veſtigia in 2. Petri & *Apocalypſi præſertim, quib. haud leviter probari poteſt, utrumq; ſcriptum ad Apoſtolos autores referendum eſſe, eosq; ipſos, quorum nomina inſcripta habent, ſive ipſi ſcripſerint, ſive Amanuenſibus ſeu interpretibus uſi fuerint:*

Id

Id quod autoritati librorum nil quicquam derogat. Nihil enim refert, licet ipſi Apoſtoli in quibuſdam manum non admoverint, modò directores & inſpectores operis fuerint. Ait autem Autor Epiſtolæ ſecundæ Petri, 2. Petr. 1. verſ. 16. 17. & 18. *Se fuiſſe ſpectatorem gloriæ Chriſti in monte Thabor oſtenſæ & revelatæ. Exordium Apocalypſeos haud obſcurè ad primum caput Epiſtolæ Canonicæ Johannis alludit. Ita enim dicitur,* verſ. 2. *Significavit, mittens per angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, qui teſtimonium perhibuit Verbo Dei & Jesu* Christo, *quæcunq; vidit &c.* 2. Petr. 3. verſ. 15. *Epiſtola ad Hebræos perhibere videtur teſtimonium, eamq; ad autorem Paulum referre, his verbis: Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis. Scribit autem Petrus ſimiliter ad diſperſos Judæos,* 1. Petr. 1. *quibus Epiſtola* Hebr: *dedicata fuit.*

PROBATIO II.

Cur non ſint autoritate exæquati Canonicis &c.

Primò Regula firma eſt. *Poſterior Eccleſia de Canone Scripturæ aliud tradere aut tueri non poteſt, quàm quòd à primitiva, quæ Apoſtolorum ætati proxima fuit, accepit, fatente ipſo quoq;* Bellarmino libr. 1. de verbo Dei.

bo DEI; cap. 20. fol. 101. *ubi dicit: Eccleſia quæ poſt Apoſtolos fuit, non aliunde didicit, qui libri ſint Canonici, & qui non ſint, quàm ex traditione Apoſtolica: ubi cumprimis hoc obſervandum eſt, quòd* Jeſuita *hac Regula contrà* Clementis Canonē, *in quo libri Apocryphi quidam Vet. Teſtamenti, & Apocalypſis Johannis omiſſa eſt, diſputat, indeq; cōcludit, vel libros non poſſe eſſe Canonicos, vel Canonem illum* Clementis *non eſſe. Rectè ergò eodem medio nos quoq; uti poſſumus ac ſubſumere. At poſteriori Eccleſiæ hi libri non tàm conſtanti fide ſicut priores ab Eccleſia primitiva commendati ac traditi ſunt: ſed à multis religioſiſſimis Viris in dubium vocati, num Apoſtolici eſſent nec ne &c. Teſte* Euſeb. libr. 3. Hiſt. cap. 3. 19. 25. & Nicephoro lib. 2. cap. 38. Nazianzeno *loco ſuprà allegato.* Hieronymo *in Catalogo virorum illuſtrium, & in Eſaiam* cap. 8. *ubi ait: Latinam conſuetudinem Epiſtolam ad Hebræos inter Canonicas nō recipere Scripturas &c. Non ergò abs re eſt, quod poſteriores etiam Eccleſiæ noſtro tempore de iis dubitant, neq; reliquis Canonicis planè exæquant.*

II. Solidiſſima eſt & *Sanctiſſima* Auguſtini Regula de Ordine *librorum Biblicorū conſtituendo:* Tom. 3. libr. 2. de Doctr. Chriſtian. cap. 8. *ubi ait: Tenebit igitur hunc modum*

dum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis præponat eis, quas quædam non accipiunt, in eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq; accipiunt, eis, quas pauciores minorisq; autoritatis Eccleſiæ tenent. Cùm autem plures graviſſimæ Eccleſiæ de autoritate enumeratorum librorum dubitarint, inter quas etiam ipſa Romana eſt, teſte Hieronymo *locis allegatis. Non igitur ſine ratione reliquis Canonicis univerſalibus poſtponuntur. Et ſecundum eorundem normam in rebus & verbis examinantur.*

III. Sunt in quibuſdam etiam *talia indicia, quæ Apoſtolum Autorem ferre non videntur, ut Styli diſſonantia in* 2. Epiſt. *Petri & Epiſtola ad Hebræos, quæ diſſonantia, de autoribus dubitandi jam olim* Hieronymo, Origeni, *& alijs anſam præbuit. Autor verò Epiſtolæ* Judæ *Apoſtolos jam mortuos in teſtimonium adhibere videtur;* verſu 17. & 18. *vos autem chariſſimi memores eſtote verborũ, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri* JESU CHRISTI, *quod dicebant vobis: quem in modum autor etiam Epiſtolæ ad Hebræos de ſe loquitur, cum* cap. 2. verſ. 3. *Se ijs annumerat, qui ab Apoſtolis, qui Dominum viderunt & audierunt, doctrinam Evangelij didicerit, inq; eâ confirmatus fuerit. Cùm ta-*

men

men Paulus ad Galatas, propter convicia adverſariorum hac de re ſibi diligentiſſime caverit, ſe nihil quicquam ab homine didiciſſe, nec cum Carne aut ſanguine contuliſſe, ſed per revelationem divinitus edoctum munus Apoſtoli è veſtigio obiiſſe. ad Galat. 1 & 2.

IV. Ne verò quis exiſtimet, *Veteres librorum iſtorum originem in dubium quidem vocaſſe; ſed tamen nullos alios autores deſignare potuiſſe, unde conſequi videtur, eos ſine ratione dubitaſſe, notandum eſt, quos præter Apoſtolos deſignarint autores, quibus libri iſti veriſimilius convenire videntur. Epiſtolæ ad* Hebræos *quidam* Lucam, *quidam* Barnabam, *quidam inter quos eſt* Hieronymus Clementem *Romanum Pontificem IV. autorem eſſe ajunt.* Hieronymus in Catal. *Virorum illuſtrium*, Euſeb. lib. 3. Eccleſ. cap. 32.

Secunda Epiſtola Petri *Marco Euangeliſtæ, aut alij cuidam Petri diſcipulo adſcribitur, qui vel juſſu Petri ſcripſerit, vel pio ſtudio congeſſerit, quæ à Petro excepit, & idcircò nomen potiùs Petri, quàm ſuum præfigere voluit. Quare* Euſeb. libr. 3. cap. 3. *ait: Veterum autoritate hanc non ita eſſe confirmatam ut primam.*

Johanni cuidam *Presbytero ſeu Seniori,* 2. & 3. Johann. & Apocalyp. *etiam adſcribitur, teſtibus* Euſebio libr. 3. cap. 19. & Hie-

ronymo *loco allegato. Ac in primis Apocalypſis propter varias Veterum ſententias* Euſebio *adeò ſuſpecta eſt, ut non reclamaturum ſeſe profiteatur, etſi planè inter Scripturas adulterinas, ut ſunt* Pauli Acta, Paſtor, Apocalypſis Petri &c. *referatur.*

Atq; hæc ſunt, *quæ de libris iſtis, & eorum autoritatibus ex Eccleſia primitiva teſtimonio noſtra Eccleſia edocta eſt, quorum ſumma huc redit: Autoritatẽ Apoſtolicam ꝑpter cõſenſum doctrinæ & divini Spiritus veſtigia expreſſiſſima his libris non omninò derogandam eſſe; nec tamen è converſo illum damnandũ, qui de origine eorum, primis Apoſtolorum Succeſſoribus ignota & ſuſpecta, dubitat, & idcircò minus his, quàm ὁμολογουμένως Canonicis (quibus ſtare tutiſſimum eſt) tribuit. Sunt enim ita æquandi hi libri, ut tamen Catholici ordine & loco omninò potiores & priores ſint: ac ſi de dubijs Controverſia & lis oriatur, ex Catholicis remedium petatur, id quod ne Pontificios quidem cum ratione negare auſuros arbitramur.*

PROPOSITIO XXII.

Inter hos Epiſtola Jacobi à majeſtate Apoſtolicâ longiùs receſſiſſe, eaque de cauſâ primitivæ Eccleſiæ maximè ſuſpectæ originis fuiſſe videtur

detur, unde nec nobis niſi juxtâ normam καθολικῶν Canonicorum recipitur.

EXPLICATIO.

Cùm dicimus Epiſtolam *hanc reliquis longiùs ab Apoſtolica majeſtate receſſiſſe, non tàm de doctrinâ ipſa in Epiſtolâ comprehenſa nobis ſermo eſt, quàm de modo tractationis, & Explicationis Doctrinæ. Hic enim ejuſmodi eſt, ut Apoſtolico ingenio & inſtituto convenire vix videatur, Nam etſi de operibus agitur, & officio fidelium, quos vult autor, ut juſtitiæ ſuæ fructus edant, peccata devitent, & fidem ſuam pietatis exercitio in hoc mundo conſpicuam reddant ac demonſtrent: Eorum tamen argumentorum, quibus Apoſtoli aliâs ad urgenda bona opera, unanimi cõſenſu utuntur, ut ſunt meritum Chriſti, gratia Dei, & laus nominis ejus, ac emendatio proximi: eorum, inquam, hic* Jacobus *nuſpiam meminit, ſed alijs quibuſdam utitur, quæ etſi ipſa quoque gravia & urgentia ſunt, illa tamen ex conſuetudine Apoſtolorum non videntur omittenda fuiſſe: ut taceamus, quod Chriſti in prolixâ ſermonis deductione vix ſecunda vice, ſalutis æternæ per unicum Chriſti meritum conſequendæ, nunquam mentio fiat, id quod Apoſtolo Chriſti planè indignum eſt.*

Quod alterum membrum *Propoſitionis*

attinet, nos ſcilicet eam, ſecundùm Canonem Catholicorum librorum recepturos, non hoc accipiatur ſenſu, quaſi erroris aliqd Epiſtolæ ipſi rectè intellectæ ſubeſſe ſentiamus, ſed propter Pontificios additum eſt, qui quæ de juſtificationis declaratione & effectu, & operibus tanquam certis & perpetuis fidei ſalvificæ comitibus traduntur, de ipſo actu juſtificationis hominis peccatoris coràm Deo accipiunt, & adſtabiliendum meritum juſticiæ & ſalutis per opera noſtra, trahunt, quod falſiſſimum eſt, & totum σύςημα Doctrinæ Euangelicæ de officio & meritò Chriſti Salvatoris noſtri impugnat ac evertit. Quare ut inter libros Apoſtolicos haberi poſſit hæc Epiſtola, ſuo id ordine & modo fiat, oportet, ut ſcilicet norma intellectus & interpretationis ex Scriptura omnibus pariter recepta, petatur. Quod niſi fiat, non tantum nos largiri nihil poſſumus, ſed & ſumma injuria, tàm ipſe Jacobus, quàm cæteri Apoſtoli, afficiuntur, qui inter ſeſe in doctrina committuntur.

Neque verò id ad conciliationem quicquam facit, quod Bellarminus de diſtinctione primæ & ſecundæ juſticiæ commentatur, lib. 1, de verbo Dei, cap. 18. Dicens de primâ tanquam merè gratuità Paulum, de ſecunda verò, quæ ſit ex operibus credentium, Jacobum agere. Id enim merum ſomnium eſt Jeſuiticùm,

eum, *ſiquidem Paulus non ita imperfectè articulum* Juſtificationis *declaravit, ſed omnia ejus membra & adjuncta diligentiſſimè enucleavit, ut exemplo eſſe poſſunt non ſolū omnes ejus Epiſtolæ & Conciones, ſed cumprimis etiam ea, quæ* ad Roman. 3. & 4. cap. *tradidit; Ubi non de primâ ſolum Juſtificatione impij, ſed ipsâ Juſticiâ-renatorum agit; allegat enim exemplum* Abrahami *jam converſi & renati; Deinde Davidis, non Juſticiam duntaxat, ſed & ſalutem omnium ubiq; beatorum gratuitâ remiſſione peccatorum definientis:* Cap. 3. vſ. 22. *univerſali particula utitur, quâ omnes juſtos complectitur nemine excepto ac dicit, Juſticiam eorum per fidem eſſe in Chriſtum. Quare ut autoritas huic Epiſtolæ* Jacobi *ſit ſalva, alio modo conciliatio inſtituenda eſt, ut ſcilicet Paulus de ipſo actu Juſtificationis per Cauſſas,* Jacobus *verò de declaratione Juſtificationis & fidei per adjuncta & effecta ejus loquatur, eamq; ex ijs deſcribat. Multiplex enim definitionis ſeu deſcriptionis rei alicujus forma eſt, utpote à forma, à cauſâ, ab adjunctis, ab effectis &c. De prioribus agit Paulus, de poſterioribus* Jacobus. *Id quod ex ipſis loci controverſi verbis evidenter apparet,* Cap. 2. verſ. 17. & 19. & 20. *quæ ſic habent.* Sic & fides, ſi non habeat opera mortua eſt in ſemetipſa, *ſed dicit quis, tu fidem habes, & ego*

opera habeo. Oſtende *mihi fidem tuam ſine operibus, & ego* oſtendam *tibi ex operibus fidem* MEAM.

Diſputat ergò Jacobus *contra eos, qui fidem ab operibus ſeparabant, & alicubi ocioſam & infrugiferam deliteſcere poſſe opinabantur, & interim quam ore jactabant, vità & operibus abnegabant, quæ ipſiſſima Fides Diabolorum eſt, ut ipſe ait. Et hoc ſenſu veriſſima eſt* Jacobi *diſputatio, ac ſolidis fundamentis Scripturæ innixa, unde facilimè cum Apoſtolo Paulo convenire ipſi poteſt.*

PROBATIO.

I. PAULUS ait: *ſe nihil aliud noviſſe, quam* CHRISTUM JESUM, *& eum crucifixum.* 1. Cor. 2. *Quo ſigno tãquam certo & explorato indicio omnia Apoſtolica Scripta inſignit, & ab alijs diſcernit. At ejuſmodi non eſt iſta Epiſtola* Jacobi. Altum *enim in ea de gratuita ſalute per Chriſtum crucifixum acquirendà ſilentium eſt, & nominis Chriſti bis tantũm, idq́ obiter, mentio fit. Ergò non abs re dubitatur de illa Epiſtola.*

II. Phraſin & Propoſitionem *hujus Epiſtolæ* cap. 2. *Abrahamum ſcilicet ex operib. juſtificatum, Paulus apertè impugnat & ſimpliciter negat.* Rom. 4. verſ. 1. & 2. *Ergò vel ſecundum normam Pauli explicandus eſt* Jacobus.

Jacobus, *ſi ei adſcribi debet hæc Epiſtola; vel ſi hanc explicationem & Conciliationem Pontificij ferre non poſſunt, ex ſenſu eorum Apoſtolica non poteſt eſſe iſta Epiſtola.*

III. Euſebius quamvis *ſuo tempore publicè lectam in Eccleſia teſtatur, fatetur tamen, eius nec à veteribus crebram mentionem factam, nec receptam, ſed adulterinam judicatam eſſe*, libr. 2. cap. 22. Hiſt. Eccleſ. *Simile exſtat teſtimonium*, libr. 3. cap. 19. *& apud* Hieronymum *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Reliqua argumenta huc ex ſuperioribus repetenda ſunt.*

PROPOSITIO XXIII.

PAPISTARUM Apocryphi in Novo Teſtamento ſunt: Pauli Acta, Liber, qui vocatur Paſtor ſeu Hermes, Apocalypſis Petri, Epiſtola Barnabæ, quæ dicitur Doctrina Apoſtolorum. Epiſtola Pauli ad Laodicenſes. Euangelium ſecundum Hebræos. Euangelia Petri, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, & Acta corũdem. Euangelia Bartholomæi, Philippi, Judæ Thaddæi, Nicodemi, Nazareorũ & Apocalypſes &c.

EXPLICATIO.

DE his libris agit Euſebius, libr. 3. cap. 19. *Item* Epiphanius & Auguſtinus,

ſuntq́ in libro quodam Baſileæ edito, cui titulus eſt ὀρθοδοξόγραφα Sanctorum Patrum, aliquot eorum conjuncti.

Sunt autem meræ nugæ *& præſtigia Hæreticorum, quibus tamen adeò impensè delectantur Pontificij, ut affirmare auſint, eos in Canonem pro arbitratu ſui Romani Pontificis, & Eccleſiæ ſuæ, redigi & referri, librísque verè Propheticis & Apoſtolicis æquari poſſe. Quas quidem aſininis iſtis labris lactucas convenientes nos non invidebimus, cùm qui ſponte erret, nullam injuriam patiatur. Conſtat verò ex ſuperioribus, quibus argumentis & rationibus libri Canonici, ac verè divini inveſtigandi & agnoſcendi ſint: his cum abortus iſti Hæreticorum deſtituantur, tanquam abſurda & impia meritò exploduntur.* Euſebius *loco allegato.*

CONTRA I.

MANICHÆORUM generalis Objectio, Contra libros Veteris Teſtamenti.

MANICHÆI omnia *Errata Patrum Veteris Teſtamenti collegerunt, indeq́ divinam autoritatem totius Veteris Teſtamenti convellere ac evertere conati ſunt: Vt quod in Geneſi Abraham tanquam Propheta & familiaris Dei commendatur, qui tamen cũ pellice volutatus, & infamiſſimus matrimonij*

ſui

ſui nundinator fuerit; avaritiæ ac Ventris cauſsâ duobus Regibus Saram ſecundà vice venditans, cujuſmodi fuit & Iſaac: Jacob *verò omnibus peior:* Loth *Sodomiticis peccatis infamis &c. De quibus* Auguſtinus Tom. 6. contra Fauſt. Manich. libr. 22. *Reſpondet verò* Auguſtinus, *& rectè quidem*, cap. 44. *Nunquam* DEUS *in Scriptura peccata iſta aut juſſit aut approbavit: nec ita homines in Scriptura ſacra juſti appellantur, ut ſi voluerint peccare, non poſſint. Dementia eſt ergò, temeritatis Sacras Literas reprehendere, ſiquidem alijs locis apertiſſimè inveniuntur divinis præceptis peccata eiuſmodi prohiberi. Narrata ſunt iſta non laudata. Prodidit iſta Deus in Scripturis, non fecit, & cavenda admonuit, non imitanda propoſuit: Eandem reſponſionem repetit*, cap. 66. *Vbi* Lothum *tribus Patriarchis minimè vult comparari.*

II. Reſpondet cap. 47. de Jacobi *Patrumq; πολυγαμίᾳ in ſpecie. Tulit peccatum illud Deus in Sanctis, quia gignendi non laſciviendi cauſsâ ſpeq; Seminis benedicti id fecerunt, quod commiſerunt: nunquam tamen vel probavit vel laudavit illam πολυγαμίαν, ſed permiſit, ut videre eſt*, Matth. 19.

III. Utitur etiam inverſione cap. *66. Imò ideò hic verus Deus hacq; Dei Scriptura, quod tanquam ſpeculi fidelis inſtar admotarum ſibi*

I 5 perſo-

perſonarum non ſolum, quæ pulcra & integra verùm etiam, quæ deformia vitioſaq́ſint, indicat, & cap. 67. *Nullius malefacta malam Scripturam faciunt, quæ prodente illa legentibus innoteſcunt. Loquitur autem de inceſtu Iuda.*

Inſtat Manichæus. *At quæ mala & impiè contra Deum perpetrata ſunt ſcelera, non tantum indicari, ſed & manifeſtò reprehendi debuerunt: quod quia in Scripturis Veteris Teſtamenti factum non eſt: Ad Deum referri maximâ parte nequeunt.*

Reſpondet Auguſtinus: *Etſi quædam peccata inter narrandum manifeſtò non reprehenduntur judiciumq́ Dei tacetur, iſtud tamen aliunde, ex lege ſcilicet inquirendum eſt: exercere enim vult Deus peritiam & excutere pigritiam noſtram, ut quod alibi didicimus, recolamus: vel quod nondum novimus, inquiramus*, Cap. 45.

III. Objicit tertiò: *At non tantum narrat, ſed & approbat peccata Scriptura, imò Deum talem fingit, qui mandatum peccandi imponat, ſuoq́ populo mentiri ac furari imperet*, Exod. 11. verſ. 12. & 12. verſ. 35. & 36.

Reſpondet Auguſtinus, Cap. 71. *Divinis imperiis cedendum obtemperando, non reſiſtendum diſputando*, & cap. 72. *Non abſurdum eſt, etſi Ægyptii ab Hebræis, homines iniquè*

inique dominantes, ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tàm duris & injuſtis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus ritu Sacrilego in injuriàm Creatoris utebantur, privari meruerunt.

Verùm διαῤῥήδην *negatur aliquid hîc vel mendacij vel furti ineſſe. quia Ægyptij debitores erant, ac mercedem laborum hactenus Hebrais negarant. Itaq́; Deus tanquam ſupremus Magiſtratus ac Judex de bonis Ægyptiorum populi ſui labori ſatisfieri voluit.*

IV.

CONTRA Prophetam Oſeam, & ſi quid ſimile in reliquis occurrit.

OSEAS meretricem *& Scortum publicum in matrimonium ſibi junxit ex juſſu Dei. Ergò vel Propheta non eſt, vel Deus is verus non eſt, cui hoc mandatum tribuit, cum Propheta non ſit cum meretricibus ſeſe polluere.*

Reſpondet Auguſtinus, Cap. 80. *Nec veritati, nec clementiæ divinæ, nec etiam fidei Chriſtianæ inimicum eſt, ſi meretrix relicta fornicatione in caſt...a Conjugem commutetur &c. Itaq́; cum meretricem Propheta Vxorem fecit, & ad corrigendã vitam mulieri conſultum eſt, & figura Sacramentũ expreſſum &c.*

Reſpondet Lutherus: *Oſea Conjugem & filios*

filios honeſtos omninò fuiſſe, ſed ad deſignandam turpiſſimam Idolatriam populi Judaici, & ſignificandam pœnam à Deo decretam, arcanâ quadam Allegoriâ illos ex mandato Dei ad tempus hoc nomine quaſi infames factos eſſe, ut hoc modo typus eſſent & Symbolum Spirituale ſeu Propheticum turpitudinis & miſeriæ populi Judaici.

Reſpondent etiam alii, *hoc non tàm de facto ipſo, quàm Propheticâ viſione intelligendum eſſe, qualis viſio fuit Ezechielis & aliorum Prophetarum.*

Inſtat Manichæus. *At hæc ſine ſcandalo non leguntur. Prophetarum autem eſt, ſcandalum diligentiſſime cavere. Ergò libri iſti Prophetici eſſe nequeunt.*

Reſpondet Auguſtinus, Cap. 97. *Numquid, ſi quiſquam legens factum Davidis, cujus cum Domino arguente, pœnituit, inde ſibi ad peccandum fomitem præbeat, illa Scriptura culpanda eſt? Ac non tantò ſeveriùs ille damnandus, quantò potiùs ad-ſe vulnerandũ aut occidendum abuti voluit eâ re, quæ ad ſanandum liberandumq; ipſum conſcripta eſt? Eſt ergò fallacia Accidentis: neque enim medicina vitium eſt, ſi vel inſani ſe ipſos, vel maligni alios ferramentis medicinalibus perimant, &c.*

SWENCK-

Swenckfeldiani.

ERROR Swenckfeldii *nobilis Sileſij, hominis maledici, & viti-ligatoris, qui ſuperioribus temporibus Germaniam ac cumprimis patriam ſuam Sileſiam in fide perturbavit, inter alios per plures hic quoq; fuit: Nẽpè Scripturam non eſſe Dei Verbum, nec fidei ac ſalutis Organon, ſed Spiritum, vitam, potentiam ac Eſſentiam Dei filiumq; Dei Eſſentialem de quo* Johannis 1. *Verbum erat apud Deum. Vnde concluſit: Nec remiſſionem peccatorum in Scriptura quærendam, ſed ex Deo in Cordib. credentium habitante & loquente.*

2. Et in hunc ſenſum *allegat quoq; dictum.* Johan. *6. Verba, quæ loquor ſunt Spiritus & Vita: Vnde concludit: Cùm Spiritus & Vita ſint propria nomina Eſſentiæ divinæ, Verbum quoq; quod in nobis vitam operari debet, nec Vocale, nec Scriptum eſſe poſſe, ſed ipſum Dei Filium.*

3. Item dictum Pauli, 1. ad Theſſ. 4. *Vbi credentes appellantur θεοδίδακτοι. Ergò, concludit Swenckfeldius. Verbum quod eſt ſalutis Organon, nec Scriptum nec vocale, ſed ipſe Deus eſt.*

Reſpondemus, *in primo committi turpem τῆς ὁμωνυμίας παραλογισμὸν, qui ex craſſâ linguarum ignorantiâ oritur. Non enim uno*

modo

modo vox Verbi in ſacris Literis accipitur; ſed pluribus, inter quos tres ſequentes obſervatu præcipuè digni ſunt & evidentes. 1. Eſſentiale Dei Verbum ſeu filium Dei ſignificat, Johan.1. *qui λόγος dicitur ab officio & opere revelationis, quia Verbum ex ſinu Patris protulit,* Johan.1. Matth.11. 2. *Sumitur pro ipſa prædicatione, &* 3. *Pro Scriptura. Cui æquipollentes termini ſunt Lex, mandatum, teſtimonium, eloquium Dei,* Pſalm.119. *At huic ipſi verbo efficacia ſeu fructus fidei, pœnitentiæ, Vitæ & Salutis tribuitur.* Luc.11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud,* Actor.4. *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* 1. Cor.1. *dicitur potentia ſalutis id ipsũ verbum, quod prædicabat Paulus, & ad* Roman.1. Actor.26. *Paulus verbo, quod prædicabat & ore proloquebatur, & verbo, quod in Prophetis ſcriptum exſtat, Salutem coniunctim adſcribit,* ℣ſ.22. & Act.24. ℣ſ. 14. & 15.

Secundum per βίαιον *in ipſum Swenckfeldij prodigioſum Caput retorquemus. Diſtinguit enim ibi clarè Chriſtus inter ſe loquẽtem, & verba ore prolata, quibus ipſis efficaciam vitæ & Salutis tribuit. Ergò Verbo etiam vocali ſeu prolato hæc virtus debetur, & hæc gloria, quod ſit ipſum quoque ad ſalutem efficax.*

Tertium non minus ἀσυλλόγιστον eſt, quàm

quàm priora. Et ſi ulli bi vel inſcitia vel proservia Swenckfeldij apparet, hoc ipſum claro exemplo eſſe poteſt. Quæ enim eſt connexio? A Deo docentur Chriſtiani: Ergò Deus verbum eſt, quo docentur, non Scriptura. Ut enim in prioribus, ita hic quoq; cauſſa efficiens & inſtrumẽtalis confunduntur. Aliud namq; eſt Deus docens: Aliud, media, per quæ docet, ut miniſter, prædicatio, Scriptura &c. Et ut hæc non ſunt divellenda, ita non ſunt confundenda. Loquitur autem Paulus, 1. Theſ. 4. de unctione quidem Spiritus ſancti internà, ſed ea non eſt niſi obſignatio verbi prædicati, & quoddam conſequens, ut ex verſu 8. liquet, ubi de verbo per Apoſtolos prædicato ait: qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctũ in nobis: quam ſentẽtiam, idẽ Apoſtolus in præcedentib. proximè verbis conſtantiſſimè urget.

Quod alias Objectiones attinet, ea omnes generali hoc axiomate ſolvi & diſcuti poſſunt.

1. Cauſſæ ſubordinatæ ſeſe mutuò non tollunt, ſed juvant.

2. Unus & idem effectus pluribus cauſſis attribui poteſt diverſo gradu. Ut Deus & verbum prædicatum cauſſa ſalutis ſunt, ille efficiens ſeu procreans: hoc miniſtrans ſeu inſtrumentalis, in hunc uſum à Deo ipſo ſanctificatum.

Ob-

THEOLO…

Objectio quæ petitur ex loco Ierem. 31. verſ.34. *Et non docebit ultra Vir proximum ſuum & vir fratrem ſuum: Et ex loco* 1.Iohan. 2.verſ.27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos &c. Ex jam dictis facile ſolvi poteſt.*

PONTIFICII.

PONTIFICIORUM errores *etſi in articulo de Scripturà, perinde ut in alijs fidei noſtræ Capitibus, innumeri ſunt, in eo tamen omnes conveniunt, ut quicquid de Scriptura tenendum, ſentiendum credendumq́ ſit, id uni Eccleſiæ tanquam Magiſtræ & Iudici ac Pontificijs Decretis tanquam regulæ infallibili ſit vendicandum: Scripturam pro Verbo Dei haberi non niſi propter autoritatem Eccleſiæ ſeu Pontificis. Quo impio affirmato Scripturæ plus non tribuunt, quàm vel quivis ex Swenckfeldij & Anabaptiſtarum ſeu Enthuſiaſtarũ grege, vel ex* Sebaſtiani Franci ganeo. *Id quod ſequentibus ipſorum axiomatis indeq́ deducta conſequentia evidentiſſimum fiet.*

SUNT autem Papiſtarum axiomata iſta:

BELLARMINUS libr.1.*de verbo Dei*, cap.1. *ait: Illud in primis ſtatuendum erit, Propheticos & Apoſtolicos libros juxta* Mentem Eccleſiæ Catholicæ, *& olim in*

Concilio

Concilio Carthaginenſi, cap. 47. *& nuper in Concilio Tridentino*, Seſſione 4. *explicatam, verum eſſe verbum Dei, & certam ac ſtabilem regulam Fidei. Cuius aſſertionis ambiguus eſt, & duplex ſenſus.* Primus Categoricus. *Scilicet hanc mentem eſſe Eccleſiæ, Libros Propheticos & Apoſtolicos eſſe Verbum Dei: qui ſenſus ſanus eſt & pius, Romanæq; Eccleſiæ omninò optandus.* Secundus hypotheticus: *Libros ſcilicet Propheticos eſſe verbum Dei, ſed ſecundum mentem & ſententiam Eccleſiæ Romanæ explicatos, quæ eſt cõmunis* Ieſuitarum *opinio, quam ex Concilio Tridentino didicerũt. Ex hoc fonte fluit, quod vulgatam Latinam Editionem non tantum ipſis Autographis Prophetarum & Apoſtolorum præferunt, ſed eandem etiam cum omnibus ſuis particulis Canoniſant: Quia ſibi uni hanc autoritatem & poteſtatem rapit Romana Eccleſia, quidvis de ſenſu Scripturæ judicandi, ſtatuendi, decernendi.*

Nicolaus de Cuſa Epiſt. 2. *ad Boëmos de uſu Communionis ſub utraq; ſpecie ait: Scripturæ ad tempus adaptatæ ſunt & variè intellectæ, ita ut uno tempore ſecundum currentem univerſalẽ ritum Eccleſiæ exponantur, mutato ritu ſententia iterum mutetur. Et ideò non eſt litera, quæ per Tyrannum penitus deleri poteſt, de eſſentia Eccleſiæ, ſed Spiritus eſt, qui vivificat.*

Bellarminus libr.4.de Eccleſ. cap.2. *ait: Scriptura pendent ab Eccleſia, non ſontrà.*

Gregorius de Valentiâ. *Impietatem ſuã, & complicum ſuorum manifeſtius prodit in Analyſi fidei Catholicæ parte 8.* fol.348. *ubi inquit: Fontes Hebræos & Græcos ſicubi à Latina Editione diſſideant eſſe per hanc corrigendos,* quia Eccleſia definitione peculiari hanc per omnia probavit, illosq; rejecit ſicubi Latinæ Editioni fortè contradicerēt: *Item ſatius eſt Editioni vulgatæ fidem habere (quàm fontibus ſcilicet Hebræis aut Græcis:) Item, Penes Eccleſiam eſt conſtituere, quænám ſit Scriptura Canonica. Item,* pa.10. & 11. *Hic unus locus (ſcilicet ut ab ipſo Spiritu ſancto Scriptura dictata eſſe credatur) ex omnibus quos in hoc libro tractandos ſuſcepi eſt,* in quo Sacræ ſcripturę autoritatem ad probandum uſurpare minimè licet. *Idem effutijt ſetoſum illud os, in Colloquio Ratisbonenſi* Tannerus, pag. 203. *Sepoſitâ Eccleſiæ autoritate ſeu traditionibus non conſtat, an Scriptura ſit Canonica: Autoritatem verò intelligit, non eam, quam miniſterio Deus conceſſit, ſed planè dictatoriã, per quam ex ſeipſo Pontifex conſtituat, quid pro verbo Dei agnoſcendum & quantum Scripturæ tribuendum ſit.*

Johannes Maria Verratus *de Synodo Tridentinâ ait: Eccleſiæ eſt authenticare & confirmare*

firmare Scripturam. Omnia quæ in Euangelijs reperiuntur, firmiſſima eſſe tenemus. Firmitatem autem non habent niſi per Eccleſiæ determinationem.

Stanislaus Hoſius Cardinalis *contra Brẽtium pro Soto: Euangelium verbum eſt, ſed non Scriptura Euangelica. In Concilio Tridentino, ſacer Codex tanquam detrimentoſus damnatur, à cujus lectione Laici arcendi ſint, eiq́ remiſſio peccatorum deneganda, qui abſq́ permiſſu Inquiſitoris & Ordinarij ſui, Biblia domi habuerit.*

His Pontificiorum *floſculis ij, qui ſuperius in explicatione Propoſitionis Septimæ allati ſunt, coniungantur, & meridiano ſole clarius erit, eos Scripturæ per ſe & abſolutè, ſine autoritate Eccleſiæ conſideratæ plus non tribuere, quam aut Swenckfeldius, aut* Sebaſtianus Francus, *aut quivis alius Hæreticorum ex Montaniſtis, ex Lampetianis & Rhetorianis vel Exthuſiaſtis. Quin etiam per eos Scriptura planè inutilis eſt, quæ vel legatur, vel excutiatur, ſiquidem aliud eſt verbum multò certius & evidentius, nempè Eccleſiæ vel Pontificis Romani, per quem Deus multò facilius, multoq́ felicius, & (ut eſt apud ipſos loquendi conſuetudo) planè infallibiliter nos docet: Cùm intereà Scriptura ſit incerta, obſcura, dubia, & in omnem partem, tanquam*

naſus cereus, flexibilis, cujus ſenſum nemo novit niſi Eccleſia, quæ Papam Sententiarum Magiſtrum & Dictatorem agnoſcit, qui quotieſcunq; ex Cathedra aliquid pronunciat, tanquam Spiritus Sanctus ipſe audiendus eſt: Siquidem nil certius eo eſſe poteſt, quod Spiritu ſancto ſuggerente ab Eccleſia decernitur, teſte Gregorio de Valentiâ *in Analyſi ſuâ*, fol. 340. *Horum axiomatum impietatem ſequentibus Syllogiſmis oſtendemus.*

Si nihil certi ex Scriptura *colligi poteſt, nec inde ad fidem faciendam, & confirmandam, niſi mediante ſenſu & interpretatione Eccleſiæ Romanæ, firmi aliquid deduci poteſt: Si Scripturæ ſenſus incertus eſt, eáque non niſi ſecundum ritum Eccleſiæ cujusvis ætatis explicanda, ex quo omnis efficacia vivificandi deſcendit, non verò ex Scripturâ ipsâ, ſecundum litteram expoſita & intellecta: tùm Scripturæ ſimpliciter & abſolutè pro Verbo Dei haberi non poteſt. Ratio conſequentiæ petitur ab adjuncto Verbi Dei perpetuo & Eſſentiali: Verbum enim Dei certum, conſtans, immotum, ſemper idem & immutabile eſt, omnemq; vitæ & Salutis efficaciã à Deo habet.*

At prius affirmant Pontificii. *Ergò ipſis Scriptura, Verbum Dei abſolutè nec eſt, nec habetur.*

2. Item, Si lingua Prophetica & *Apoſtolica,*

lica, propriaq́ Apoſtolorum verba authentica non ſunt, ſed ſola Latina lingua propter definitionem Eccleſiæ divinam autoritatem habet: Scriptura non ſimpliciter, ſed unicè propter definitionem & ſententiam Eccleſiæ ac Pontificis pro verbo Dei agnoſcenda erit.

At prius affirmant Pontificii: *Ergò & poſterius: Connexio Majoris probatur. Nam lingua Apoſtolorum illud ipſum Verbum eſt, quod loquuti ſunt. Minorem docet* Valentianus *in verbis ſuperiùs allegatis.*

3. Item, Quicquid ad voluntatem ho*minis corrigi & pro ſententiâ, judicio & arbitrio eiuſdem reſpui poteſt, & reiici, illud non eſt verbum Dei.*

Sed tota Scriptura, *Apoſtolorum proprio & vernaculo ſermone edita, ad voluntatem hominis corrigi, & pro ſententiâ, judicio & arbitrio eiuſdem reſpui poteſt. Statuente* Valentiano, *cæteriſq́ Pontificijs.*

Ergò ſecundum *eoſdem Scriptura verbũ Dei non eſt. Maior probatur iterum ab adjuncto. Verbum enim Dei manet in æternum.* Eſa. 40. verſ. 8. *Et ut nulla cadit mutatio in Deum, ita nec in verbum eius.* Malach. 3. verſ. 6. *Quin ergò Pontificij univerſum Dei verbum in Scriptura comprehenſum publicè abjurent, nihil omninò aut parum abeſt.*

OBIECTIO I.

Generalis eſt, *& omnibus libris Apocryphis communis, quam tamen in ſpecie & ſingulatim non ſine ταυτολογίᾳ in ſuis diſputationibus adverſarij inculcare ſolent. Petita autem eſt ab autoritate Pontificum, definitione Conciliorum & teſtimonijs Patrum.* Bellarminus lib.1. *de verbo Dei*, cap.7..8.9.10.

Syllogismus ita formandus.

Quicquid Pontifices, *Concilia, & Patres, divinum, Canonicum & Authenticum eſſe volunt, illud ipſum tale eſt.*

At Pontifices, *Concilia & Patres, hos libros, quos ſuprà inter Apocryphos rejecimus, divinos & Canonicos eſſe volunt. Ergò ij ipſi tales etiam ſunt.*

Bellarminus more Papiſtarum *largus eſt in probanda Minore, cùm tamen Major magis dubia ſit & incerta, quàm ipſa Minor. Committitur enim fallacia cauſſæ. Quia non quicquid Pontificibus, Concilijs & Patribus placet, Canonicũ vel θεόπνευστον eſt, ſed quod Deo inſpirante per Apoſtolos & Prophetas proditum eſt. Nec etiam protinus verũ eſt, quod Pontificibus Concilijs, & Patribus probatur, ſed quod Deo in Verbo ipſius expreſſo probatur, juxta illud: Ad legem & teſtimonium,* Eſa.8. Deuter.12. verſ.32. *Quod præcipio tibi,*

hoc

hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam nec minuas. Deut. 17. verſ. 10. *Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quẽ elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius.* Galat. 1. verſ. 9. *Si quis vobis Euangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et verſ. 8. *Licet nos aut Angelus de cælo &c. Si ergò Angelo de cælo non credendum eſt, niſi Scripturæ conformia doceat: Multò minus Pontificibus, Concilijs & Patribus.*

II. Majorem Papiſtæ *ſuo exemplo infringunt, qui nec omnia ſequũtur, nec approbant, quæ à Pontificibus, Concilijs & Patribus dicta ac ſtatuta ſunt, quod tamen in primis eos decebat, ſiquidem omnia eorum dicta facta ſe exoſculari, videri volunt.*

Gregorius Magnus libr. 6. Indictionis 15. Epiſtol. 30. *ad Mauritium Auguſtum: Quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua* Antichriſtum *præcurrit, quia ſuperbiẽdo ſe cæteris præponit. Atqui hoc nec probatur nec poteſt probari Pontificijs, niſi Papam ſuum,* Antichriſti *præcurſorem fateri velint.*

Clemens Papa vult, *ut Tertius* Macchabæorum: *Duæ Epiſtolæ & præceptionum libri 8. à ſe ſcripti & Epiſcopis nuncupati, inter ſacros habeantur libros: Canone Apoſtolorum 84. Id tàm Papiſtis, quàm nobis non probatur.*

Pius I. ait: *Laudabilis eſt Conſuetudo, quâ fidei nihil contrarium agitur. In ſumma Conciliorum per Carrantam collecta,* fol. 116.

Ergò conſuetudo *Communionis, ſub unâ ſpecie, quæ regulæ fidei à Chriſto traditæ contraria eſt, laudabilis non eſt.*

Pius II. Communi proverbio ſtatuit: *Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias: Majori reſtituendas videri. Platina in Vita ejus. Atqui & hoc Pontificijs plane hæreticum eſt, ſi quiſpiam dicat, reſtituendum Eccleſiaſtico Ordini Conjugium.*

Canon Apoſtolorum VI. *ſancit: Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abjiciat. Si verò rejecerit, excommunicetur, ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur. At Pontificij non tantùm jubent, ut abjiciantur uxores, ſed ſub anathemate etiam Conjugio planè interdicunt. Conſtantienſe Concilium.* Canone 6. & 12.

Concilium Carthaginenſe Tertium Canone. 26. *Sanxit ut primæ ſedis Epiſcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus.*

Baſilienſe & Conſtantienſe Concilium volunt, *Papam Concilijs ſubeſſe, & qui hoc neget, ſit hæretticus.* Conſtantienſ. Seſſion. 4. & 5. Baſilienſ. Seſſ. 23. *Atqui huic decreto manibus pedibusq; reluctantur Papiſtæ.*

Theo-

Theophylactus in cap. 6. Epiſt. ad Epheſ. *Si vis obedire filios tuos, inſtitue eos divinis ſermonibus: neq; dicas religioſorum eſſe tantummodò legere Scripturas: Cujuslibet enim Chriſtiani eſt, eorum maximè qui in mundo verſantur, quantò majore ipſi auxilio indigēt, ceu in tempeſtate agentes. At lectionē Scripturæ denegat, & ſub anathemate prohibet Laicis Concilium Tridentinum,* Regula 4.

Clemens Stromatum lib. 7. *Non locum, ſed Electorum congregationem appello Eccleſiam. At Pontificij, quid aliud agunt, quàm ut Eccleſiam loco alligent, & tegulis Romanarum ædium obruant.*

Polycrates apud Euſeb. libr. 5. cap. 23. *nomine Collegarum & aliorum Epiſcoporum in Aſiâ, Victori Epiſcopo Romano, qui Feſtum Paſchatos die Reſurrectionis Dominicæ ſub anathemate ſtrictè obſervari volebat, reſpondit: His, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor. Mei enim Majores dixerunt: Magis Deo, quàm hominibus obediendum. At ſecundum Papiſtas idem eſt* Papæ *Conſiſtorium cum Deo, & idem tribunal cum Chriſto, qui omnia rata habet, quæ Papa facit, à quo ne ad Deum quidem provocare licet.*

Irenæus recenſet *Obſervationem jejunij Quadrageſimalem inter conſuetudines privata autoritate & ſimplicitate quadam Majo-*

rum introductas, quæ non adeò ſtrictè obſervandæ ſint. Euſeb. lib. 5. cap. 24. Hiſt. Eccleſ.

Concilium Gangrenſe Can. 4. *Quicunq; diſcernit à Presbytero uxoratum, quod non oporteat eo miniſtrante Oblationem ſumere, anathema ſit. At qui hoc Canone Papiſtis nil magis adverſum.*

III. Inde etiã ꝓpoſitionis vanitas apparet: *Quia Pontifices, Patres & Cõcilia errare poſſunt in graviſſimis fidei negotijs, & ſæpiùs errarunt. Ergò ad eorũ dicta & placita nemo ſimpliciter alligandus, nec quiſquam ijs tenetur, niſi ex immoto Dei verbo exſtructa & deducta eſſe demonſtrentur.*

Error Clementis de libr 3. *Maccabæorũ, & Epiſtolis, & Conſtitutionibus ſuis, ne Pontificijs quidem ignotus eſt.*

Innocentius *Quartam Epiſtolam Johannis Canoni inſerit,* Cap. 7. *ad Exſuperium.*

Leo X. *totam Scripturam Novi Teſtamenti inſtar fabulæ habuit.*

Nicolaus Papa *Decretales Pontificum Canonicis Veteris & Novi Teſtamenti accenſet* Diſtinct. 19. Cap. *Si Romanorum: Paragrapho Quibus &c. Vbi notandum eſt, quod ait: Veteris & Novi Teſtamenti libros recipiendos, non quòd Canoni ex toto annexi ſint, ſed propter* Papæ Innocentii *de ijs prolatam ſententiam. Propter quam ipſam non minùs recipien-*

cipien-

cipiendas aut Decretales Pontificum Epiſtolas. Unde patet, quòd Papa iſte omnem autoritatem Scripturæ Decretis & Statutis Pontificum, tanquàm uni & ſolitariæ cauſſæ adſcribat. *Et Capitulo in Canonicis: Inter Canonicas Scripturas Decretales Epiſtolæ commemorentur.*

Ambroſius, IV *Eſdræ divinum vocat & Dei verbum. De bono Mortis*, cap. 10.

Tertullianus *de Idololatria*, cap. 15. *Enochi librum inter Propheticos numerat.*

Euſebius Hermæ libr. 3. cap. 3.

Sunt & alii errores Paparum, *Conciliorum ac Patrum plurimi, quos ipſi etiam Pontificij excuſare nequeunt.*

Liberius aliiq; Papę *Arrianis addicti fuerunt.* Honorius Monotheleta *teſte Concilio* Conſtantinopol. 6. & 8. *Et* Leone II.

Gregorius III. *Permiſit pellicem marito, ſi uxor propter morbum aliquem ſatisfacere ipſi non poſſet.*

Nicolaus I. *Baptiſmum ratum habuit, licet in nomine S. Trinitatis non collatum.*

Alexander Sextus *incantator fuit & veneficus & inceſtuoſus: Diciturq; ex fœdere cum Diabolo pacto, in Pontificem creatus. Talis fuit etiam* Sylveſter II. *qui à Diabolo diſcerptus dicitur in templo S. Crucis Hieruſalem.*

Cypria-

Cyprianus *Epiſtola ad* Januarium & Jubajanum *Hæreticos re-baptizandos ſtatuit cũ aliquot Epiſcopis Africanis, Quod ad* Quintium *repetit & defendit.*

Irenæus in Chiliaſtarum *errorem prolapſus eſt*.Euſeb.lib.3.cap.33.*Itẽ* Tertullianus.

Hieronymus *Sanctis omnipræſentiam tribuit,* Tom.2.*adverſus Vigilant: Si agnus ubiq; eſt, ait, & hi qui eum agnoſcunt, ubique eſſe credendi ſunt.*

Chryſoſtomus *ægrotos baptizandos negavit* Homil.1.in Act. Apoſtol. *Irenæi tempore Traditio fuit, Chriſtum vixiſſe* 50.annos,lib. 2. cap. 39.

Concilium Toletanum Canone 17: *Si quis habens uxorem fidelis, Concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet uxorem, & pro uxore Concubinam habet, à Communione non repellatur, tantùm ut unius mulieris aut uxoris aut Concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus. Atqui hoc eſt patrocinium ſuſcipere nefariæ libidinis & Scortationis, eamq; eodem loco habere, quo honeſtum Conjugium.*

Cùm igitur *tot & tàm enormes Errores ſint* Pap. Concil. Patr. *utiq; non ſemper credendum eſt, quod ijs placet, ſed aliud veritatis examen inſtituendum.*

IV. Longiſſimè inter ſeſe *diſſident & pugnant*

gnant Pap. Concil. Patr. *cùm in libris Scripturæ numerandis, tùm præcipuis etiam religionis Chriſtianæ Articulis explicandis. Ergò non quicquid Canoniſant* Pap. Concil. Patr. *aut dicunt, ita ſeſe habet.*

Qui in Canone librorum *conſtituendo à noſtra ſtent parte ſuperiùs dictum, præter quos etiam alios addere poſſumus. Quare de Conſenſu Patrum nequicquam gloriari poſſunt Pontificij, ſed alijs argumẽtis opus erit, ſi cauſſam ſuam obtinere velint. Quid enim? Poterítne aliquis eſſe conſenſus Patrum & Conciliorum, cùm capita & Magiſtri ipſi,* Papæ *videlicet, non tantum diviſis ſententijs, ſed perpetuo etiam odio ſeſe mutuò ꝑſequuti fuerint. Qua in re publicum teſtimonium dicant:* Acta Formoſi, Stephani VI. & Sergii. Pii II. & Pauli II. *Propter multiplex ergò vicium ad Majorem per ſimplicem inficiationem reſpondemus.*

Porrò Minor *etiam tantum ex parte vera eſt. Sint aliqui qui hoc velint. At ſunt qui illis contradicant, quorum æquè grave eſt teſtimonium, ut ex probatione Theſis noſtræ patet.*

Cùm ergò Syllogiſmus *fallacia cauſſæ peccet, & à particulari procedat, nihil eo probari poſſe certum eſt. Deducemus verò argumentum ad abſurdum hoc modo:*

Si Pontificum, Conciliorum ac Patrum

Decre-

Decretis, *ſententijs & dogmatibus abſolutè ſtandum eſt, tum dogmata Chriſtianæ Doctrinæ erronea, ſibiq́ue mutuò contraria ſunt, & Eccleſia Dei omnes iſtos errores accipere, quin & in omnibus ferè fidei articulis, contraria credere & ſtatuere tenetur.*

At ſi poſterius abſurdum eſt, *& à fide Eccleſiæ alieniſſimum. Ergò & prius. Connexio majoris patet: Nullibi enim ferè Patribus ſententijs ſuis & opinionibus convenit.*

Secundum Abſurdum.

Si Patrum ſententiis *ſimpliciter ſtandum eſſet: neceſſum eſſet libros pro Apoſtolicis & divinis accipere, ſive ij per Apoſtolos à Deo inſpirati eſſent, ſive non. Id enim quod ſimpliciter accipiendum eſt, nulla conditione reſpui poteſt. At poſterius abſurdum eſt, Ergò & prius.*

Inde nunc *retorſione in Pontificios uti poſſumus, hoc modo:*

Si nullus liber poteſt *eſſe aut haberi Canonicus vel Divinus, cuius origo claris argumentis ad Apoſtolos & Prophetas autores referri non poteſt: Patrum teſtimonia in hac cauſſa per ſe nihil probare vel efficere poſſunt.* At prius verum, *Ergò & poſterius.*

Hoc generali *argumento deſtructo, ad allegata Patrum reſpondere cuilibet facile eſt: Siquidem ubiq́ue Pontificij* παραλογισμῶ

τ͂ αἰτίας pecccant, & à particulari vitioſè cõcludunt: ut ex ſequentibus eiusdem generis Objectionibus perſpicuum erit.

II. OBIECTIO.

Quoſcunq; libros Patres *ſacros vocant, atq; ex ijs teſtimonia ſive in exhortationibus, ſive in confirmationibus opinionum ſuarum allegant: quin & publicè in Eccleſia legendos proponunt: ij ipſi libri Canonici ſunt.*

Atqui hos libros, *quos inter Apocryphos rejecimus, Patres Sacros vocant &c. Ergò ij ipſi libri Cannonici ſunt.*

Reſp. In majore nulla planè eſt *connexio: Peccatur enim primò ignoratione Elenchi propter falſum axioma generale: quaſi omnia, quæ dicunt Patres, vera ſint: id quod ne ipſis quidem Pontificiis probatur.*

II. Cauſſa librum aliquem *Canonicum faciendi, iterũ falſa allegatur: nec enim quod ex libro aliquo teſtimonia allegant Patres, ideò iſte Canonicus efficitur: allegant n. libros quoq; Ethnicorum, & quidem in ipſa dogmatũ confirmatione: Cum teſtimonium ab hoſte petitum nonnunquam valeat: ſicut* Paulus Menandri & Arati *dictum allegat.* Deinde, *nec illud ad rem quicquam facit, quod publicè in Eccleſiâ leguntur: Multa enim proponuntur publicè, quæ tamen Canonica non ſunt: ut publicæ preces, homiliæ, Cantiones, &c.* Tertium

tium *jam eſt refutatum in præcedentis argu-menti ſolutione. Quare ſi valere debet argu-mentum ab autoritate Patrum petitum, aliis omninò rationibus ex utraq; parte receptis, id quoq; confirmandum erit ut pateat, Concilia, Patres & Pontifices præter rationem nihil feciſſe, ſed fundamenta aſſertionum ſuarum firmiſſima habuiſſe: Non enim abſolutè, ſed quatenus conſentientia dicunt cum ſacra Scriptura, illis credendum eſt.*

Minor præter ſuperiora *Vitia æquivocatione etiam laborat:* Sacri & divini *nonnunquam vocantur Patribus libri quidam Apocryphi, non alio ſenſu, quàm quod pias aliquãdo & laudabiles ſententias complectantur, & idcircò non ſine utilitate in Eccleſia ad morum inſtructionem legi poſſint:* teſte Hieronymo *in præfatione librorum* Salomonis, *ubi ait: Sicut ergò* Judith & Tobiæ & Maccabæorũ *libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non habet: ſic & hæc duo volumina legit ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Ex quibus verbis hoc præterea perſpicuè apparet, quod uſus Eccleſiæ ſeu lectio publica nihil ad probandam alicujus libri Canonicam autoritatem faciat: Siquidem nõ omnia Canonica fuerunt, quæ publicè lecta ſunt: & hodiè multæ preces, Hymni, Cantiones,*

Symbola

Symbola ſacra dicuntur ob pium ſenſum, & in Eccleſia leguntur ac canuntur publicè, quibus tamen Canonica autoritas nunquàm attributa eſt.

Deinde æquivocationem *minoris perſpicuè explicat adeoq; totam Objectionem ex noſtra ſentētiâ diſſolvit* Epiph. lib. 3. Tom. 1. hæreſi 76. *quæ eſt Anomæorum in Confutatione Capitis 5. Aetij, & libro de menſuris ac ponderibus. Hæreſi enim 76.* Syracidis & Sapientiæ *libros divinos vocat, quos tamē à genuinis & teſtamentarijs libris, qui à Deo inſpirati ſunt, prorſus ſegregat & excludit, libro de mēſuris & ponderibus*, & Tom. 1. libr. 1. hæreſi 8. *quæ eſt Epicuræorum.*

Neq; quicquam valet *puerile & triviale effugium* Bellarmini *cum ait:* Epiphanium *in libro de menſuris & ponderib. ex ſententia Judæorum loqui, quorum Canon nihil ad nos pertineat, in hæreſi verò Anomæorum Eccleſia N. Teſtamenti ſententiam de Canone cōmemorare. Nam & in hæreſi Anomæorum à libris Vet. Teſtamenti* Sapientiam & Syracidem *excludit, ac poſt libros demum N. Teſtamenti præter ordinem ultimo loco collocat. At ſi ad librorum Vet. Teſtamenti ordinem non pertinent, & ad N. Teſtamenti libros referri non poſſunt, manifeſtum eſt* Epiphanio *divinas Scripturas eaſdem non eſſe cum Teſta-*

mentariis ſeu genuinis. Quid quod in hæreſi Epicuræorum eoſdẽ à genuinis excludit, inter quos tamen librum Baruch *refert, qui ex Canone Judæorum non minus excluſus eſt, quam illi duo.*

Non ergò ex ſententia *impiæ Judæorum Synagogæ, ſed totius Eccleſiæ Veteris Teſtamenti ſententiâ loquitur, & ex ſententia Septuaginta Interpretum, qui tempore Ptolomæi Philadelphi vixerunt, & verſionem librorum Vet. Teſtamenti genuinorum, non ſine Spiritus Sancti ſingulari ductu (ut ex hiſtoria patet) decimo ſeptimo anno Regni illius ediderunt, hoc eſt, anno mundi 3704. ante Chriſtũ natum 267.* Tempus autem conſtituendi Canonis Veteris Teſtamenti duravit, uſq; ad tempora Eſræ, fatente ipſo *Bellarmino lib. 1.* de verbo Dei, *cap. 7. fol. 40.* Ubi hoc argumento utitur: Quòd omnes ii libri, qui poſt tempora *Artaxerxis Longimani* ſcripti ſunt, in Canone Hebræorum non ſint, quia vita Eſræ, qui Canonem illum compoſuit, ultra iſta tempora non extendatur.

Concludamus igitur: Eos tantum libros Veteris Teſtamenti Canonicos habere poteſt Eccleſia Novi Teſtamenti, qui à DEO Eccleſiæ Veteris Teſtamenti dati ſunt.

Iſti autem *excluſi ſunt, à libris qui à Deo dati ſunt Eccleſiæ Vet. Teſtamenti, teſte* Epipha-

phanio. *Ergò eos Eccleſia Veteris Teſtamenti Canonicos habere nequit.*

III. OBIECTIO.

Tertia Bellarmini *Objectio inde petita eſt, quod Patres horum librorum teſtimoniis ſæpè ſint uſi, iisq; tanquàm divinis ſuæ cauſſæ fidem fecerint. Sed eodem modo, quo ſuperius reſpōdendum eſt: Ex opinione ſcilicet & ſententiâ quorundam Patrum nihil concludi. Etſi igitur eos, ut divinos allegent, tamen vel errare eos, vel vulgari modo hanc appellationem libris quibuſdam attribuere, jam manifeſtum eſt.*

IV. OBIECTIO.

In argumento pro libris *Novi Teſtamēti dubiis* Bellarminus *Crambem ſuam non ſine deformitate & nauſea contra leges Methodi aliquoties recoquit. Recurrit enim iterum ad autoritatem Patrum, Conciliorum & Pontificum: Quæ quantum in ſe valeat, jam oſtenſum eſt.*

Unum habet hujus loci proprium pro *Epiſtola ad Hebræos: quòd ſcilicet Petrus* 2. Epiſt.cap.3. *illius ſub nomine Pauli videatur mentionem feciſſe.* Reſp. *Sed & hoc ipſo nihil efficiet apud eum, qui de autoritate Epiſtolæ ad Hebræos dubitat, ſiquidem* 2. Epiſt. Petri *veteribus non minus dubia fuit, ut ſuprà ex*

 Euſebio

Euſebio *demonſtravimus. Quæ verò argumenta pro autoritate eius & reliquarum Epiſtolarum dubiarum pugnent, cum ibidem docuerimus, inde, & quæ ſimul Eccleſiarum noſtrarum perpetua fuerit ſententia* Bellarminus *petet, & quibus rationibus ad accipienda Scripta iſta moveamur, quoque loco ea habeamus, diſcet. Inveniet multò nos firmiori fundamento niti quam ipſe cum ſuis, fulmen brutum ex olido gutture perpetuo efflantibus.*

V. In Objectionibus *pro Epiſtola* Jacobi, *quia itidem ſui ſimilis eſt, omiſſis ijs, reſponſiones ipſius ad noſtra argumenta paucis tantùm excutiemus.*

Ac primum noſtrum argumentum *ipſe quinto loco propoſuit*, cap.18.libr.1. *de Verbo Dei. & reſpondit Apoſtolum* Jacobum *de induſtria totum eſſe in operibus commendandis, quia & doctrina fidei ab alijs Apoſtolis jam* ſatis erat illuſtrata, & ii adverſus quos ipſe ſcribit, doctrinam fidei, neglectis bonis operibus nimis extollebant. Sed reſpondemus, *à* Bellarmino *mera principii petitione peccari, & ſtatum perverti. Non enim quæſtio eſt*, an de operibus doceat, *ſed hoc in Epiſtola illa deſideratur*, quod modus docendi de operibus Apoſtolicus non obſervetur. *Paulo adverſus eoſdem fidei depravatores ſæpè diſputadum fuit, qui eum accuſabant,*

quòd

quòd doctrina fidei & gratuitæ juſtificationis peccatis fores panderet, legem tolleret, & bona opera contemneret. Rom. 3. verſ. 8. *At propterea nec doctrinam fidei intermittit Paulus, nec nomine Chriſti rariùs utitur, ſed inde potiùs firma argumenta petit, quibus bona opera urget, & ad ea præſtanda exhortatur*, Rom. 3. verſ. 31. *Legem verò deſtruimus (ait) per fidem? abſit: ſed legem ſtatuimus.*

Deindè cum ex profeſſo *de bonis operib. in ultima parte Epiſtolæ ad Romanos & ad Galatas* 5. & 6. cap. *Item in Epiſtolis ad Corinthios &c. docet, aliam profectò doctrinæ rationem non obſervat: ſicut & reliqui Apoſtoli. Nam hæc eſt illa, quam Apoſtoli à Chriſto didicerunt, ut ex Evangeliſtis patet, ubi Chriſtus aliquoties ex cõmẽdatione dilectionis Dei, gratuitæ Remiſſionis peccatorum, ex doctrinà fidei, Juſtificationis, regenerationis, inhabitationis Spiritus Sancti*, bonorum operum ſtudium ceu effectum ex cauſſa ſua, Conſequens ex antecedente, relatum ex Correlato deducit. Luc. 7. verſ. 41. 42. 47. Johan. 15. verſ. 3. *Jam vos mundi eſtis, inquit Chriſtus, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Et verſ. 5. *Ego ſum vitis & vos palmites. Ita* Johan. 3. *ex loco de univerſali dilectione Dei, & fidei doctrina bonorum operum ſtudium conſtantiſſimè urget, & commendat.*

Hanc ergò Doctrinæ regulam ſeu normã cùm non obſervet autor Epiſtolæ Jacobi (eandem ex ſenſu Pontificiorũ ea exponendo eſſe) non immeritò de ejus autoritate dubitatur.

Alteram Solutionem Bellarminus affert *per inſtantiam, vel etiam per deductionem ad abſurdum.* Proverbia ait. & Eccleſiaſtes Salomonis *nihil habent niſi ſententias de moribus: Ergò eâdem conſequentiâ ad Apocrypha referri debebunt.* Sed reſpondetur. *Etſi hi duo Salomonis libri ex inſtituto morales ſint, ac doctrinam Vitæ rectè & piè tranſigendæ complectuntur, autor tamen fundamento ſeu argumento à Scriptura alieno ad obtinendum ſcopum ſuum, ſicut in Epiſtola* Jacobi *factum eſt, non utitur: ſed ex ipsâ lege Moſis omnia deducit, ut taceàmus in libris Vet. Teſtamenti doctrinam de Meſſiâ non adeò expeditam & planam fuiſſe, ſicut in libris N. Teſtamenti fuit & eſſe debuit. Ob quam tractationis diſſimilitudinem craſſa à* Bellarmino *Elenchi ignoratio committitur.*

Ad Secundum noſtrum Argumentum.

Negat Bellarminus *ullam eſſe hujus Epiſtolæ cum Epiſtolà Pauli diſſonantiam.* Jacobum *enim de* Secundâ, Paulum de Prima *tantum juſtificatione locutum. Verùm quàm futile ſit & inane hoc effugium, jam ſuprà*

ex-

in explicatione Theſeos 12. demonſtravimus: neq; opus eſt hîc eadem repetere. Stat ergò ſententia, Epiſtolam Jacobi aut ſenſu Apoſtolico accipiendam, aut ex opinione Papiſtica Canonicam eſſe non poſſe.

Enthuſiaſtæ & Anabaptiſtæ.

Hi etſi non *negant, Scripturam à Deo Prophetis & Apoſtolis inſpiratam, verum eſſe verbum Dei: negantur tamen Vetus Teſtamentum per Novum ſublatum eſſe, nec quicquam amplius ad Chriſtianos pertinere. De quo ſuo loco.*

Sequitur nunc Tertia Quæſtio, quid nempè de Editionibus Bibliorum & Verſionibus diverſarum Linguarum ſtatuendum, quæq; reliquis præferenda ſit.

PROPOSITIO XXIV.

INTER varias Bibliorum perpolitas & elegantes Editiones Hebræa Veteris Teſtamenti, & Græca Novi Teſtamē-ti reliquis, quarumcunq; linguarum ſeu idiomatum, Exemplaribus, non tantùm anteferenda, ſed etiam ſecundum eandem, velut certam & exploratam normam, illorum Cenſura inſtituenda eſt.

EXPLICATIO.

THESIS iſta decreto *Tridentini Concilij de Editione & uſu Sacrorum libro-*

rum Seſſionis IV. oponitur. In eo enim ſanciunt Patres Concilij, ut vulgata Editio pro Authentica habeatur, his verbis: Statuit & declarat (*ſcilicet Synodus*) ut hæc ipſa Vetus & vulgata Editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt, in publicis Lectionibus, Diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro Authenticâ habeatur, & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat vel præſumat.

Quod *Decretum ita declarat* Gregorius de Valentia: *nempè quod Verſio vulgata in ſententiâ planè ſit conformis Scripturæ Originali, ac proinde doctrinam divinam cōtineat, ex quâ certò poſſint Controverſiæ fidei determinari*, & idcircò in omnibus omnino locis, & Sententiis ſit accipienda, *& ſi quadā occurrat diverſitas ſententiarum in Hebrais, Græcis, Latinis, aliisq; Editionibus, tunc reliquas omnes eſſe rejiciendas, & juxta Latinam corrigendam.* In Analyſi fidei Catholicæ parte 8. fol. 346. 47. 48.

Tenemus ergò, *quæ ſit ſententia Pontificiorum circa Exemplaria Bibliorum, tàm Ebræa, quàm Latina, & quòd Latina vulgatæ Verſionis Exemplaria illis non tantùm præferant, ſed & ſola Canonica & αὐτόπιςα eſſe velint, reliquis tanquàm minùs fide dignis, repudiatis & rejectis.*

Unde

Unde patet, Doct: Martinum Chemnicium à Bellarmino *immeritò mendacij argui, quod dixit:* Vi Decreti illius Tridentini, nobis pro iis, quæ Spiritus Sanctus in fontibus Hebræis & Græcis ſcripſit, ea, quę ab interprete vitiosè reddita & à Librariis mutata & mutilata, additaq; ſunt, *tanquã authentica obtrudi, & quidem ita, ut non liceat inſpectis fontibus ea corrigere aut rejicere:* Parte 1. Exam. Trident. fol. 129. *Hæc n. eſt ipſa* Jeſuitarũ *Decreti illius explicatio, ut anteà ex* Valentiano *audivimus: Neq; alius profectò illius ſenſus eſſe poteſt. Vult n. Concilium, ut autoritas Latinæ Editionis nullo prætextu rejiciatur, ſed ubiq; & ex omni parte* tanquã authẽtica, *& per omnia fide digna ſimpliciter recipiatur & colatur. Jam verò diffiteri* Papiſtæ *nequeunt, Editionem iſtam in multis, iiſq; graviſſimis locis ab Hebræa & Græca, non tantùm verbis, ſed & ſenſu ipſo diſſidere. Quòd ſi igitur Latinâ ſtandũ hîc eſt, quid aliud præcipitur, quàm ut relictis fontibus rivulos ſequamur impuros, & ea, quæ ab interprete vel non intellecta, vel vitiose reddita ſunt, vel à Librariis etiã mutilata & corrupta (nam incertum eſt, ubi vel interpretis vel Librariorũ culpâ peccatum ſit) pro Verbo Spiritus Sancti arripiamus. Præſertim cùm negare non auſint, in Latinâ multiplicia eſſe Errata, ambiguita-*

[illegible]itatem verborum cr[illegible], multiplices defectus ex ignorantia Interpretis, qui ſententiam dictorum ſæpius non eſt aſſecutus: imò & non rarò tantam ſolœcum varietatem, ut ſine auxilio Hebræi & Græci Textus nihil cer-titudinis, & de lectione ſtatuere poſſis, niſi ad fontes recurratur; quemadmodum Bellarminus *ipſe annotavit & faſſus eſt,* lib. 2. de verbo Dei, cap. 11. fol. 150.

Atqui vult *Concilium Tridentinum, ut in omnibus omninò locis & Sententijs Latina Editio* (*quæ profectò alia non eſt, quàm quæ eo tempore in omnium manibus fuit*) *pro authē-tica habeatur. Ergò omnia iſta probari, ac vitia, defectus & errores Interpretis* (*de Librarijs enim non dicamus*) *fontibus ipſis Spiritus Sancti vult præferri. Vnde nunc porrò manifeſtum eſt,* Chemnicium *non tantùm non mentitum eſſe, ſed etiam multò modeſtius de re locutum, quàm vel eius enormitas pati videbatur, vel unquam Papiſtæ in more poſitum habuerunt. Tutius quidem facit* Bellarminus, *quod & Latina ex fontibus corrigit, & corrigenda eſſe ſæpiùs inculcat: Sed quomodo hanc ſuam, quam ex noſtrarū Eccleſiarum doctrina hauſit, ſententiā adverſus Concilij expreſſam Definitionem, quin & contra ſeipſum ſit defenſurus, cùm* Cap. 7. lib. 2. *dicat:* Non neceſſariò eſſe corrigendum, quicquid ab E-

brǽis

bræis & Græcis diſſentiunt, ij ſic conſiderandum relinquemus. *Rurſus quæ in Theſi noſtrâ ſtatuimus ſolam Hebræam Vet. & Græcam N. Teſtamenti Editionem authenticam eſſe & Canonicam, juxta quam reliqua omnia ſacrorum librorū Exemplaria ſunt dirigenda & corrigenda, nec cuiquam verò Latinam ab ea vel latū unguē diſcedere aut declinare liceat.*

Intelleximus autem *Codicem inter Exemplaria ejuſdem generis & Ordinis, hoc eſt*, Hebræa, Græca & Latina quàm correctiſſimè edita, *ne aut* [illegible] *nos de quovis mendoſo Latinæ editionis* [illegible]. *Aut nobis quævis ſuſpecta Hebræi & Græci Codicis editio ſubtrudatur. Dicimus igitur nos eū ipſum Codicem intelligere, qui in Concilio Tridentino productus & receptus eſt, & ad quem omnes poſtea Editiones quam exquiſitiſſime cōformandæ fuerunt. Neq; n. cæcum exiſtimandi ſunt feciſſe Decretum Patres Concilij, ſed haud dubiè Codicem aliquem ſibi propoſitum habuerunt, quo inſpecto de ipſo & ſimilibus Editionibus ſententiam ſuam promulgarunt: ſicut in Decreto particulæ demonſtrativæ* (hæc ipſa) *volunt & requirunt: Eâ ipsâ ergò Latinâ Verſione, & eo ipſo Codice, quem in Conſeſſu Patres Tridenti produxerunt & amplexi ſunt, Hebræa Vet. Teſtamenti & Græca Novi Teſtamenti Biblia diligenter & accuratè expreſſa*

[illegible] *preſſa*

preſſa tùm meliora, tùm ſola Canonica eſſe, & idcircò Canonem omnium aliarum Verſionũ, ipſiusq́ adeò Latinæ vulgatæ Verſionis immediate complecti, ac reliquas, ſi quid autoritatis habent, id per Hebræum & Græcum textum habere, aſſeveramus.

Confirmatio.

Primo pro Editionibus, Hebraicâ Veteris & Græcâ Novi Teſtamenti κα-τὰφαλικῇ.

PRimò. *Quia ſunt linguâ Propheticâ & Apoſtolicâ ſcriptæ. Hinc fit Syllogiſmus:*

Illa lingua, *qua Deus per Prophetas & Apoſtolos Verbum ſuum Eccleſiam primitùs elocuit, & poſteà literis exaravit (eiuſdem linguæ) reliquis omnibus, cujuscunq́ gentis ſeu nationis linguis, in quas traductum & tranſlatum eſt ab Interpretibus, tanquam authentica & Canonica meritò antefertur.*

At lingua, *in qua Verbum Dei primitus traditum, eiusq́ poſtea literis exaratum eſt: eſt in Veteri, Hebræa: in Novo Teſtamento, Græca: quib. nunc in Eccleſia utrumq́ T. habetur & legitur. Ergò illæ duæ tanquam authenticæ & Canonicæ reliquis omnibus meritò anteferuntur.*

Connexio majoris evidens eſt: *Nam quo fontes rivulis, tabula Teſtamenti exemplis, Prophe-*

Propheta & Apoſtolus Interpreti præſtat: eo idioma Prophetæ & Apoſtoli ac liber Verbis ipſius ſcriptus, idiomati interpretis & Scripto eius præſtat. Minor nunquam negata eſt. Fabula enim de combuſtis Sacris Biblijs Vet. Teſtamenti in devaſtatione & incendio templi ſub Captivitatem Babylonicam, & ab Eſdra reparatis, quod dicitur lib.4.Eſdræ,ca.14.✝ſ. 21.22. *& ſequentibus. Nec ipſis etiam Pontificijs ꝑbatur: quin & Dei verbo planè adverſa eſt, Nam* lib.2.Eſdræ,c.8 *dicitur, Eſdram librum Legis attuliſſe. Ergò non omnia Biblia incendio iſto perierunt.* Deinde *ad ſummam Eccleſiæ Veteris ignominiam vergit. Nam ſi exemplari in arcâ fœderis combuſto, nulla amplius Biblia reliqua fuiſſent Judæis, ſequeretur Judæos tàm Sacerdotes, quàm populum, non niſi unum Exemplar habuiſſe, & in lectione Bibliorum contra mandatum Dei ſupinè negligentes fuiſſe. Ex arcâ enim fœderis Exemplar iſtud aut nũquam aut rarò exemtum eſt. Manet ergò Biblia eâdem lingua ad nos perveniſſe, quâ ſcripta ſunt à Prophetis & Apoſtolis: & idcircò ſola omnibus tanquam Canonica & authentica præferenda.*

Secunda. *Quia à primo ſtatim ortu Canonica fuerunt & αὐτοπιςα. Quicquid à primo ſtatim ortu Canonicum fuit, & ut αὐθέντιςον ſeu authenticum Eccleſiæ propoſitum, id ab Eccleſia eodem ſemper loco meritò habetur.*

At

At Scriptura Hebræa *Veteris*, *& Græca Novi Teſtamenti à primo ſtatim ortu Canonica fuit, & per Prophetas & Apoſtolos a Deo ipſo hoc nomine Eccleſiæ commendata.*

Ergò, *Scriptura eodem ſemper loco ab Eccleſia meritò habetur.*

Hujus Syllogiſmi *ictum nullo planè modo declinare & effugere poſſunt Pontificij, quomodocunque eum adoriantur. Niſi vel ad Omnipotentiam Papæ, faciendi ex quovis quidvis confugiant: vel dicant linguam Scripturæ, cum Prophetica & Apoſtolica eandem non eſſe, aut depravatam & corruptam eſſe, Verum neutrum iſtorum tenere ſeu ſtatuere videri nunc volunt Papiſtæ.* Primum *quidem falsò ſibi ſuisq; tribui aſſerit,* Bellarmin. libr. 1. de verbo Dei, cap. 10. fol. 53. *Et proptereà* Chemnicium *mendacij arguit dicens:* Fatemur Eccleſiam (*& ita Papam*) nullo modo facere poſſe librum Canonicum de non Canonico, nec contrà: ſed tantùm declarat, quis ſit habendus Canonicus, *& hoc nõ temerè nec pro arbitratu, ſed ex veterum Teſtimonijs & ſimilitudine librorum de quibus ambigitur cum illis de quibus non ambigitur, ac demum ex communi ſenſu, & quaſi guſtu populi Chriſtiani:* (*Hactenùs* Bellarminus. *Verba ſanè, ſed in ore tantum nata, quæ & conſcientia & factum ipſum refellit ac redarguit,*

notum

notum enim eſt ex gravaminibus Principum Proteſtantium, inprimis 49. 83. 94. 95. 99. 104. *In loco de Tyrannide* Papæ, *quam poteſtatem Papa ſupra Moſen, Apoſtolos, contra Epiſtolas & Euangelia aliquid ſtatuendi ſibi arrogarit. Notum eſt* Ecci *& complicum ſuorū putidum Axioma, Scripturam authenticam non eſſe, niſi Eccleſiæ autoritate, quod vix verbis ab eo diſcrepat, quod dicitur, Papam & Eccleſiam ipſius ex non authentica Scriptura facere authenticam: Senſus profectò idem eſt.* Thomas Stapletonus *ait*, lib. 9. cap. 14. *Principiorum doctrinalium: Penes Eccleſiam eſſe huius temporis, librum aliquem nondum in Canonem receptum Apoſtolorum tamen tempore ſcriptum & nunquam Eccleſiæ judicio reprobatum (exempli cauſſa librum* Hermæ *& Conſtitiones à* Clemente *editas) in numerū Sacrorum librorum & certò Canonicorum referre.* Nicolai Papæ *Decretum paulò antè audivimus: quod Decretis Pontificum omne momentum autoritatis, quæ Scripturæ tribuitur, adſcribit.* Pighius libr. 1. Eccleſ. Hierarchiæ cap. 2. ait: *Omnis, quæ nunc apud nos eſt Scripturarum autoritas, ab Eccleſiæ autoritate dependet neceſſariò.*

Andrad. lib. 2. defenſionis Triden. Concili. ait: p. 257. *Nil quicquam ineſt divinitatis (Scripturæ) quæ nos ad credendum, quæ illis conti-*

continentur, religione aliqua conſtringat, ſed Eccleſiæ &c. tanta eſt vis & amplitudo.

Sed quid *teſtimonijs opus, nónne ſibi hoc ipſo poteſtatem ſumunt, librum non Canonicũ in Canonem referendi, quod Latinam verſionem ſub anathematis fulmine obtrudere & Canonicam efficere contendunt, ac Hebreæ & Græcæ Editioni præferri volunt. Quid enim? Nùm à primo initiò talis fuit editio Latina? Id verò unde probabunt, aut unde docebunt. Nam nec eo fine edita fuit, ut eſſet authentica, nec ullo ſeculo ante Concilium Tridentinum pro tali declarata aut habita.* Præterea Hieronymus *ipſe multa agnoſcit vitia, tàm in ſua, quàm in alijs ſui temporis verſionibus: ut taceamus, quòd non una omnibus ſed multæ & variæ verſiones Latinæ varijs Eccleſiis uſitatæ fuerint.* Porrò *tàm dubia & varia eſt lectio Latinæ verſionis, ut nec ipſis Põtificijs dum conſtet, quæ vera & authentica eſſe debeat, ac reliquis præferri, ſicut ex Marginalibus* Lovanienſium *Bibliorum videre eſt.*

Quod ad alterum attinet, Papiſtæ non negant, hanc ipſam linguam, qua Hebræum & Græcum Teſtamentum editum eſt, eſſe linguam Propheticam & Apoſtolicam. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, cap. 1. fol. 116.

An verò *pura & illibata à Prophetarum & Apoſtolorum tempore ad noſtras pervenerint*

rint manus Biblia, etſi negare penitus non audent, omnes tamen angulos perquirunt, ut aliquam dubitandi rationem habere videantur: Quin & bonum zelum vocat Bellarminus *eorum, qui affirmant*, multis in locis Sacras Scripturas per Judæos depravatas & corruptas eſſe &c. *2. lib. 2. Cap. fol. 119.*

III. Argumentum. *Quia Hebræa Vet. & Græca N. Teſtamenti editio, omnium aliarũ Editionũ & linguarum & puriſſima, & earũdem regula ac norma eſt, juxta quam corrigi debent.* Syllogiſmus talis eſt:

Quæ editio *Bibliorum puriſſima eſt & omnium aliorum regula ac norma, juxta quam corrigi debent & examinari, ea ſola Canonica eſt ſeu Authentica.*

At Editio *Hebræa Veteris & Græca Novi Teſtamenti omniũ eſt puriſſima & norma reliquorum Exemplarium cujuſcunq; linguæ.*

Ergò, *Sola Canonica eſt ſeu Authentica. Major extrà controverſiam vera eſt: comprehendit autem duas hypotheſes, quarum ſecunda ex priore, & prior ex ſecunda viciſſim conſtantiſſimè deducitur. Nam quod purum eſt & limpidiſſimè fluit, id & reliquis meritò præfertur & regula probationis ſeu Examinis eſſe debet, & contrà, quod regula Examinis eſt, purum & invariabile eſſe debet.*

Minor Confeſſione *etiam Papiſtarum*

vera eſt, *& ex ore* Jeſuitæ *repetita*, *ita enim ſtatuit* Bellarm. lib. 2. cap. 11. de verbo Dei. *Quatuor temporibus licere nobis ad fontes recurrere Hebræos & Græcos.* 1. *Quando in noſtris (hoc eſt Latinis) Codicibus eſt error Librariorum.* 2. *Quando Latini Codices variant, poſſumus ex fontibus petere*, quæ ſit vera lectio. 3. *Quando in Latinis eſt ambiguitas verborum vel ſententia.* 4. *Ad ἐνέργειαν, Vocabulorumq; proprietatem declarandam in Hebræis m...* *Eſt & maximè illuſtris ac prorſus* Lutherana *Confeſſio* Jeſuitæ *de Hebreis Biblijs: eorúmque enumeratis ab ipſo* ..... cap. 2. libr. 2. fol. 115. *Cùm ait:* Ceterùm non tanti momenti ſunt ejuſmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ Sacræ INTEGRITAS deſideretur. *Plerumq; enim tota di... re... ... variarum lectionum in dictionib. quibus ... poſita eſt*, quæ ſenſum aut parum aut nihil mutant. *Errores autem qui ex additione punctorum acciderunt: Nihil omninò veritati officiunt. Hanc Adverſarij Confeſſionem obviis accipimus ulnis minimè ſolliciti, quomodo vel ſecum ipſo, vel cum alijs fraterculis & Paterculis ſuis ipſi cõvenire queat. Nam quæ* Gregorii de Valentiâ *ex Decreto Concilij Tridentini ſententia ſit, de corrigendis Hebræis & Græcis Biblijs juxta Latinam Verſionem jam cognovimus.*

Addi-

Addimus autem *alia quoq; argumenta & Teſtimonia, quæ ipſo meridiano Sole clarius demonſtrant, Hebræa & Græca Biblia & ſemper incorrupta manſiſſe, & omnium aliarum, ipſiusq; adeo Latinæ verſionis corrigendæ normam eſſe: Argumentum firmiſſimum eſt Hieronymi & Origenis in* cap. 6. Eſa. *quod affert* Bellarmin. libr. 2. verbo Dei, cap. 2. *Hebræa ſcilicet Biblia, nec antè nec pòſt adventũ Chriſti eſſe depravata. Chriſtus enim id non tacuiſſet, præſertim in loco* Johan. 5. & Matth. 23. *Vbi expreßè de Scripturà & Scribarum ac Phariſæorum officio agitur, quò Judæi remittuntur. Inveniuntur etiam & leguntur omnia eodem modo, quo à Chriſto & Apoſtolis adducta ſunt contra Judæos teſtimonia, quæ inprimis tamen Judæorum manus violentas non evaſiſſent, ſi uſpiam Scripturæ ab ipſis depravatæ fuiſſent. Deinde etſi Judæi & Hæretici ſuos depravaſſent Codices, tamẽ Chriſtiani id idem in ſuos nunquã eis permiſiſſent. Nunc verò omnes eodem modo habent & legunt, qui uſitati ſunt in Eccleſia Sacræ ſcripturæ Codices. Ac præterea Codici, quo* Hieronymus *uſus eſt ad amuſſim reſpondent, teſte* Bellarm. *etiam,* lib. 2. de Verbo Dei, cap. 2. fol. 110. *Ergò &c.*

Teſtimoniũ porrò *integritatis inſigne eſt* apud Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 9. ex Joſeph. *his verbis: Nam tanto & tàm diuturno ævi*

curriculo decurſo, nemo illis vel addere vel adimere, vel deniq́ quicquam in iiſdem commutare auſus eſt. &c. *Non minus illuſtria ſunt aliquot* Auguſtini *teſtimonia, quorum unum* Bellarminus *ipſe tanquam firmiſſimū loco dicto adducit. Cenſet enim* Auguſtinus *id prorſus ex τῶν ἀδυνάτων eſſe, quod Judæi & tàm longè lateq́ diſperſi conſpirare & libros tàm longè lateque diſperſos ſimul omnes corrumpere potuerint.* Simile Teſtimonium eſt. Pſalm. 56 Epiſt. 59.

Jam quod *omnia alia Exemplaria Verſionum ad Hebræos & Græcos fontes & examinari debeant, non minùs perſpicua ſunt Patrū teſtimonia.* Jus Pontificium in Decretis diſtinct. 9 *integrum Capitulum ex Auguſtino in ſententiæ noſtræ Confirmationem deſcripſit his verbis:* Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, *ita novorum veritas Græci ſermonis* NORMAM *deſiderat.*

Placet *autem nobis* Bellarmini *Decreti illius explicatio*: Præponendos eſſe fontes rivulis verſionum, quando conſtat, fontes non eſſe turbatos, cap. 11. lib. 2. de verbo Dei *At ſuprà faſſus eſt nullos eſſe & qui annotati ab ipſo ſunt, nil prorſus integritati fontium detrahere errores. Concludimus igitur, fontes & præferendos & pro normà Latinæ verſio-*

verſionis omnium aliarum habendos. Hieronymus Epiſt. *ad Vitalem ait: Se in Vet. Teſtamento ad Hebraicam veritatem tanquam ad arcem confugere. Item in* Zachar. cap 8. Auguſtin. lib. 2. de Doctr. Chriſtian. cap 11. 12. & 15. *Item* libr. 15. de Civit. Dei, cap. 13. *Græcam & Hebraicam Editionem aliis omnibus tum expreſſe Latinæ verſioni vult præferri: additâ ratione, quia ex illis per interpretes in alias linguas facta ſit Translatio. Idem teſtatur* Epiſt. 59. & Bellarmin. lib. 2 cap. 11. *fatetur Patres urgere fontes & paſſim docere, ad eos recurrendum.*

IV.

Quia interpreti *non creditur, niſi quatenus ipſi cum primâ origine convenit.* Inde naſcitur Syllogiſmus:

Quod aliis *fidem conciliat, ipſumq́ licet multa alia veritatis argumenta habeat, tamen vel propter unum autorem ſuum fidem meretur, id ſolum authenticum eſt & Canonicum.*

At Hebræa & Græca *Editio Bibliorum omnibus Interpretum verſionibus fidem conciliat, ipſaq́ propter unum autorem ſuum fidem meretur &c. Ergò Sola authentica & Canonica eſt illa editio.*

Major evidens eſt: *Minor jam ſuperiùs demonſtrata, cum de certitudine Scripturarum, & divina earum origine egimus. Neq́*

negare poſſunt Pontificij, ſuam Latinam verſionem ex conſenſu cum ipſis fontibus fidem, quam habet, obtinere, vel primitùs ſaltem obtinuiſſe. Si verò negent, Hebræa & Græca noſtra Biblia cum αὐτογράφοις Prophetarum & Apoſtolorū ampliùs conſentire (quod tamen Jeſuitæ *negaſſe hoc quidem tempore videri nolunt) & propterea eiuſdem autoritatis non eſſe cum ipſo: Hiſtoria & temporis evidentiſſima teſtimonia eos convincent. Referantur, huc quæ in præcedenti argumento ex Confeſſione* Bellarmini *adduximus & deduximus argumenta.*

V. Quia Biblia Hebræa *evidentiora ſunt ad confutandos Judæos: quod medium concludendi habemus ex ipſo* Bellarm. libr. 2. cap. 2. de verbo Dei. *Idq; vis veritatis ipſi extorſit: Unde ita argumentamur:*

Quæ Editio *ad errantes convincendos omnibus alijs evidentior eſt, illa meritò etiam ſuo ſummam autoritatem, quæ Canonica eſt, obtinet.*

At Editio *fontium Sacri Codicis ad convincendos errantes omnib. alijs evidentior eſt.*

Ergò *ſuo etiam meritò præ omnib. illis ſummam autoritatem, hoc eſt, Canonicam obtinet.*

SECUNDA PARS
ἀποφατική,

Latinam non eſſe Canonicam.

I. Quia

I. Quia Latina Editio *nec eſt labor Prophetæ vel Apoſtoli, nec ex ore alterutrius excepta, ſed labor induſtria Interpretis, qui erroribus obnoxius eſt, confectus.* Syllogiſmus inde fit talis:

Quicquid Prophetam *vel Apoſtolum autorem non habet, ſed ſolum interpretem, illud eâ ipſa de cauſſâ, nec immediate inſpiratum eſt à Deo, neq; Canonicum ſeu Authenticum eſſe poteſt: quia abſolutam fidem non meretur.*

At Latina Editio *Bibliorum vel Prophetam vel Apoſtolum autorem non habet, ſed ſolum interpretem. Ergò &c.*

Syllogiſmum iſtum Hieronymus *ipſe nobis ſuppeditat in Prologo ſuo in Pentateuchũ Moſis, his verbis:* Aliud eſt enim Vatem eſſe, aliud eſſe interpretem: Ibi Spiritus ventura prædicit, *hîc Eruditio & verborum Copia, ea quæ intelligit, transfert: & paucis interjectis de Septuaginta interpretibus ait,* Illi interpretati ſunt ante adventum Chriſti, & quod Neſciebant, Dubiis protulêre ſententiis. *Et iterum: Non damno nec reprehendo Septuaginta, ſed confidenter cunctis illis Apoſtolos præfero,* per iſtorum os mihi Chriſtus ſonat, quos ante Prophetas inter Spiritalia Chariſmata poſitos lego, *in quibus ultimum penè gradum Interpretes tenent.*

Paucis: *In Authentico libro nulla pars Doctrinæ, nulla ſententia fidei & dogmatis Chriſtiani in ſuſpicionem erroris vocari vel poteſt vel debet: ſed ei fides abſolutè & ſimpliciter habenda eſt: Idq́ unicè propter teſtimonium autori de Certitudine doctrinæ à Deo ipſo datum. Hoc quia non habent interpretes, eorum verba Canonica eſſe profectò nequeũt, ſed ad aliam regulam ſeu normam ſunt examinanda. Verum enim illud* Tertulliani *in libro de Præſcriptionibus adverſus Hæreticos:* Verum illud eſt, quod prius traditum eſt. *Sed* reſpondet Bellarminus: *Interpretem quidem errare poſſe, veruntamen in verſione Bibliorum,* quam approbavit Eccleſia, non erraſſe, libr. 2. cap. 11. de verbo Dei. *Vbi ſimul fatetur vulgatam editionem non eſſe unius* Hieronymi, *ſed partim* Hieronymi, *partim* Luciani cujusdam, & Theodocionis Hæretici.

Id quod in ipſà *quoque verſione vulgatà hinc inde apparet, ubi* Theodocionis *aliquoties fit mentio.*

Reſpondetur. *Verum* Bellarminus *primo de cauſſà Canonicæ autoritatis nobis interrogandus eſt, quam ipſe falſam & adulterinã affert. Negamus n. approbationem Eccleſiæ ullo modo cauſſam eſſe poſſe autoritatis iſtius efficiendæ: Siquidem reverenter tantùm accipit*

cipit & credit, quæ à Deo per Prophetas & Apoſtolos in fide formandâ traduntur, & tanquàm ἀυτόπιςα ſeu Canonica proponuntur. Aliunde ergò Canonicæ autoritatis ratio & demonſtratio ipſi etiam Eccleſiæ petenda eſt. Quin & Bellarminus *ipſe videri non vult, ſe ſuosq; vel affirmaſſe vel docuiſſe unquam, Eccleſiam poſſe ex libro non Canonico Canonicum facere: qui ergò hîc vel* Hieronymi *vel* Theodocionis Hæretici *dicta Canonica facere poſſet? Niſi quod ante negavit* Bellarminus, *nunc affirmet. 3. Approbatur aliquid vel abſolutè propter ſeipſum, vel propter alia externa bonitatis & veritatis teſtimonia ſeu argumenta. Etſi ergò Eccleſia vulgatam verſionem approbaſſet, id tamen non aliâ de cauſſâ, quam propter teſtimonium iſtud externum, nempè conſenſum cum fontibus, factum eſſet. Volunt n. Patres verſionem ſecundum fontes examinari, ut dictum. At quod ſecundum alienam normam examinatur, id eo ipſo Canon eſſe nequit. 4. Quod Eccleſia Pontificia facit, toti Eccleſiæ minimè eſt imputandum. At tantum abeſt, ut Eccleſiæ univerſæ Canonica iſta fuerit translatio, ut potiùs infinita Exemplariorum & Verſionum Latinarum fuerit varietas, ut poſtea patebit.*

II. Quia nec à primo ortu, *nec ullo ſeculo ante Concilium Tridentinũ Canonica fuit habita verſio vulgata.*

Sicut in affirmativæ ſententiæ *probatione pro Hebræa & Græca Editione, ita hîc ſimiliter, mutatis tantùm mutandis contra Latinam Editionem pro negante ſententiâ noſtrâ eſt concludendum. Non igitur opus ut actum agamus. Sunt autem ſubſtenenda aliquot teſtimonia Veterum, quibus ratio propoſita apertè docetur & confirmatur.* Ac Hieronymo ipſi ſuam iſtam (*nam ponamus eſſe* Hieronymi) *Verſionem non fuiſſe Canonicam certum eſt, quia ſeſe interpretib. annumerat, quib. fides abſolute non ſit habenda, ſed tantum ꝓpter conſenſum cum Hebræâ & Græcâ Linguâ, qua Apoſtoli & Prophetæ & per os ipſorum* Christus *eſt loquutus, præfatione in Pentateuchum.* Opponuntur ergò ex ſententiâ Hieronymi interpres & Apoſtolus, *quod per hunc Chriſtus, inmediatè loquitur per illum vero non item: Huic fides ſimpliciter debetur tanquam Chriſto, illi verò non item.* Deinde Dominioni & Rogationi mandat, *ne verſio ſua in publicum efferatur, ſed vult ut privata eius lectione ſint contenti,* Præfat. in Eſdram & Nehem. *At quod Canonicum eſt publicum non eſſe nec poteſt nec debet.* 3. *Permittit Lectori examen Verſionis ſuæ ſecundum Hebræos & Græcos fontes, quorum autoritate & conſenſu fidem ſibi arrogari vel derogari vult loco citato.* Au-

gustinus

guſtinus *non dubitat, quin* Hieronymus *in quibuſdam errare potuerit*. Epiſt. 10. *& Contrà* Hieronymus Auguſtino *& cuivis alij liberum permittit, ſive uti velint verſione illa, ſive non*. Epi. 11. Si cui legere non placet, ait, Nemo compellit invitum. *Similiter* præfat. in Jobum, & Epiſt. 13. *de Commentarijs* Auguſtini in Pſalmos, *ſuam operam infra Græcos Interpretes planè demittit, dicens: Quos* (*ſcil:* Auguſtini Cõmentarios) *ſi vellem diſcutere, non dicam à me* (*qui nihil ſum*) *ſed à veterum Græcorum docerem interpretationibus diſcrepare. At ſi Canonica fuiſſet eius opera in vertendis Biblijs, adhibita, non potuiſſet infra eos, qui nunquã Canonici fuerunt demitti.*

Poſterioribus verò *ſeculis Canonicam nõ fuiſſe, inde patet, quia diverſis locis, diverſæ Editiones in uſu fuerunt, aliisq; aliæ laudatæ.* Auguſtinus cõmendat Italicam veterem, *eamq; vult omnib. præferri*, lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ, cap. 15. *Item Septuaginta Interpretum & verſionem ex illis traductam: Imò totus in eo eſt, ut Septuaginta Interpretũ & inde deductas verſiones omnib. alijs, ipſiusq;* Hieronymi *præferat*, Epiſt. 10. *Unde nec ipſe in allegationibus ea uſus eſt, ut patet ex libris locutionis*, Tom. 3 *Et tempore* Gregorii Magni *variæ adhuc in uſu fuerunt verſiones Latinæ in Eccleſia Romanà.* In Jobum, cap. 5. *Ergò &c.*

III. Quia

III. Quia Erroribus *non levibus tantùm, ſed ejuſmodi prætereà ſcatet, qui integram nōnunquam ſententiam pervertunt. Errores iſti in tres poſſunt diſtribui partes, quarum prima* Barbariſmos, *ſecunda* Solæciſmos & vitia: *Tertia* falſitates continet. *Quæ omnia à Canonicâ veritate autoritateq́ à divinâ Majeſtate & puritate Sacrarum literarum planè aliena ſunt, adeoq́ Latinæ verſioni omnē Canonicam autoritatem detrahunt. Errorum verò & falſitatū aliquot Exempla demonſtravit* Chemnicius *& ex Veteri Novoq́ Teſtamento vulgatæ verſionis collegit*, part.1 Exam. Trident. Concil. *de verſione Sacræ Scripturæ* fol 129. 130.& 131. *Ad quæ cùm* Bellarminus *reſpondere conatur, nihil aliud agit, quàm quod animum ſuum ad evertendam Sacrarū literarum Sacroſanctam autoritatem Pontificiæ Idolomaniæ penitùs devinctum, ſeq́ Amaſium eſſe* Thaidis *iſtius* Babyloniæ *prodit. Accipimus autē quòd diffiteri nequit adverſarius, Hebræi ſcil: Textus Emphaſin obſervandam, & Latinæ verſionis verba juxta eam accipienda. Nam id ubiq́ facit* Jeſuita *in omnibus locorum diſcrepantiis excutiendis, ut videre eſt*, lib.2. de verbo Dei, C.12.& ſeqq.

Atqui hoc ipſo præter *& contra opinionē ſuam Hebræum & Græcum Textum Canonem Latinæ verſionis conſtituit, ut nos peculiari ar-*

ri argumento (3. ſcilicet καταφατικῷ) demonſtravimus, & porrò etiam planum facturi ſumus. Neque verò ea ſolum inſunt vitia, quæ Chemnicius *in Examine ſuo ſubjecit. Nam plura eſſe & innumera ne ipſi quidem Pontificij in Biblijs* Lovanienſibus *tacere potuerũt, ut ex notis in Margine appoſitis ſatis apparet. Corrigere verò ea auſi non fuerunt, & in ipsũ textum inſerere, quia contra Decretum Concilij Triden. quod textum iſtum qualis qualis eſt, in Canonem ſecundum omnes particulas recepit, facere illis non licuit.* Veritati ergò ad marginem deportatâ falſitas in textu per Pontificios adhuc dominatur. *Videantur etiam Biblia* Tubingenſia, *ubi toties vitium eſſe in Latinâ verſione ſtatuendum eſſe, quoties minuſculis literis quædam Correctiones in ipſum Textum inſertæ, vel alia quædam ſigna adiecta ſunt, ut ex præfatione Theologici Collegij patet: & prætereà id etiam apparet, nullum omninò caput vel ſanum vel ſine vitio eſſe. Huc facit etiam ſequens Epiſtola ad demonſtrãdos* Solæciſmos *vulgatæ verſionis, à magno quodãm felicis memoriæ Theologo ex eà ipſa deſcripta & quotidiana lectione conſignata.*

EXEMPLUM EPISTOLÆ.

a Jacob. 1.	Deus a *intentator eſt ma-*
b Pſalm. 35.	*lorum,* b *odivit enim impios, &*
c Johan. 4.	*non* c *coutitur illis,* d *memora-*
d Lucæ. 1.	*tur autem piorum. Ergò vos,* e *ô*
e Lucæ. 23.	*ignavæ Ventres, Monachi, qui*
f Exod. 28.	*ſub* f *Capitio eſtis* g *interraſiles,*
g Exod. 25.	h *& oleati, attendite:* i *Vos ap-*
h Num. 11.	*paret ſcitis quidē* k *deforis San-*
i 4. libr. E-	*cti & Docti,* l *ſed abintus eſtis*
ſdr. 7.	*indocti &* m *infi uniti, & nota*
k Geneſ. 7.	*eſt veſtra* n *ineruditio, & mali-*
l Pſalm. 45.	*tia, quam docet vos* o *ocioſitas.*
m Eccl. 23.	p *Scopite autem Spiritum ve-*
n Eccleſ. 4.	*ſtrum &* q *pœnitemini.* r *Odite*
o Eccleſ. 33.	*malum, deſinite* ſ *inimicari. &*
p Pſal. 76.	*ceſſate Euangelium oppugnare*
q Actor. 3.	t *gratis,* v *nec angariate Luthe-*
r Pſal. 96.	*ranos ad falſam doctrinam ve-*
ſ Eccle. 28.	*ſtram,* x *ſed meliora horum fa-*
t Pſal. 119.	*cite, quæ feciſtis,* y *ut fructum*
v Matth. 5.	*plus afferatis,* z *& impleamini*
x Joh. 14.	*bonorum. Alias ſurget Deus, &*
y Johan. 15.	*ſagittas ſuas* aa *ardentib. efficiet,*
z Matt. 22.	bb *& ſcopabit vos in ſcopâ te-*
aa Pſal. 7.	*rens. Tunc* cc *partilūtur fame-*
bb Eſa. 14.	*lici milites ſubſtantiam veſtrā,*
cc Pſal. 9.	*&* dd *inſuſſicabiles viri* ee *me-*
dd Eccl. 11.	*tibuntur agros veſtros. Vos autē*
ee Pſalm. 59.	

benè

benè ff *plagati ſtabitis* gg *foras portam, quaſi* hh *crapulati à vino,* ii *& aporiati, & extunc* kk *exſibilati &* ll *in auxiliati pulſabitis* mm *per ter* nn *in id ipſum: non intromiſſi* oo *murmurabimini & curretis paſſus mille,* pp *& alia duo: Sic excluſi* qq *manicabitis ad Papam & dicetis illi: Viri* rr *abominati &* ſſ *incredibiles* tt *emigrarunt nos ex monaſterijs noſtris. Tunc Papa dicet: Dilecti filij, qui* vv *in præſentiarū* xx *naufragaviſtis, eſtote patientes,* yy *neque zelate ſuper ipſorum. Qui enim me* zz *confuſus fuerit, & ego confundar illum. Sed hoc ſermone non* aaa *conſolabimini, nec continget vobis* bbb *longiturnitas, ſed unà cum* Papâ *dejiciemini in profundum* ccc *laci, ubi vermis infernalis* ddd *elinget veſtra corda.*

ff Zach. 13. gg Acto.16. hh Pſal.77. ii Eſaiæ. 59. kk 3. libr. Eſdr. 9. ll Sapien.12 mm Act.10. nn Pſal. 33. oo Num.14. pp Matth.5. qq Luc. 22. rr Ad Tit.1. ſſ ibidem. tt Pſalm.51. vv Gen.50. xx 1. Tim.1. yy Pſal. 72. & Jacob.1. zz Marc. 8. aaa Eſa.66. bbb Baru 7. ccc Eſa. 14. ddd Baru.6.

Sed & Monachæ *veſtræ cur neq; nubunt,* a *neq; nubuntur?* b *Superſperant quidem illæ in operibus ſuis,* c *& appreciant ea*

a Matt. 22. b Pſal. 118. c Zach. 11. Matth. 27.

precio

precio magno: Sed Deus illis non d *promeretur. Superbæ ſunt* e *& linguatæ,* f *& indiſciplinatæ, nec dominantur* g *affectuum ſuorum. Ideò fient* h *in deminoratione, ꝑpter* i *nimietatem ſuperbiæ ſuæ.* k *Non memorantur, quod Deus* l *odivit ſuperbos & recipit humiles. Sicut Davidem de* m *poſt fœdantes accepit, & fecit Regem populi ſui. Nam humiles propter ſuam humilitatem non* n *minorabunt.*

d Habac. 13. *e* Eccleſ. 28. *f* Eccleſ. 7. *g* Pſalm. 10. 18. 21. 48. & 118. *h* Eccleſ. 23. *i* Sapien. 4. *k* Eccleſ. 23. & alib. *l* Pſal. 35. *m* Pſal. 71. *n* 2. ad Corinth. 8.

Ex eâ breviter ita argumentamur: *Spiritus Sanctus, qui eſt autor linguarum, nec barbarè nec vitiosè loquitur.*

Autor vulgatæ *verſionis & barbarè & vitiosè loquitur.* Ergò *Spiritus Sanctus non eſt autor, & per conſequens verſio non eſt Canonica, quia à Spiritu Sancto non eſt. Quin & nec* Hieronymi, *quia* Hieronymus *ſtudioſiſſimus Latinæ eloquentiæ fuit, & Hebræis ac Græcis fontibus ſua quàm diligentiſſimè accõmodavit, ut & ipſe de ſe ſuoq; labore ſæpiùs teſtatur. & Pſalmorum verſio in operibus ſuis ſatis oſtendit, quæ huic nulla ferè ſententia convenit.*

IV. Ar-

IV. Argumentum. *Quia Latina Verſio ex Hebræis & Græcis fontibus deducta eſt, qui nobis eodem modo leguntur, quo* Hieronymo, *cui hæc verſio à* Papiſtis *attribuitur: unde ſequitur, vel ratione duce, hanc trãſlationem & ad originem ſuam referendam, juxtaq; eam examinandam, & per ſe loco Canonis nequaquam habendam.*

V.

Quia nulla verſio *Canonica ſeu authentica eſt, neq; Græca, neq; Syriaca, neq; Chaldaica, neq; Ægyptia, neq; Latina, neq; Germanica, vel cujuſcunq; Idiomatis. Ergò nec vulgata iſta Canonica eſt.*

Antecedens ſuo *Exemplo teſtimonióque Pontificij comprobant & confirmant, qui non tantum omnibus verſionibus (præter vulgatam) ſed ipſis quoq; fontibus autoritatem Canonicam detrahunt. Cùm verò vulgata editio nil quicquam Privilegij præ illis habeat, de ſimilibus ſanè idem judicium meritò fertur, aut rationem diſſimilitudinis Pontificij oſtendant. Quod enim approbationem Eccleſiæ prætendunt ſuprà confutatum. Quia vulgata editio multò deterioris eſt, & vilioris conditionis, quàm plures aliæ, quia bona ex parte ex impuri illius* Theodotionis *Græca verſione profecta, teſtibus Pontificijs &* Jeſuitâ, C. 11. libr. 2. de verbo Dei, fol. 150.

CONTRA.

Prima Bellarmini Objectio *bimembris eſt, partim ab antiquitate hujus verſionis & uſu* [illegible]*: partim à contrario abſurdo pe-* [illegible]*:*

Ad [illegible] Canonica eſt *Latina verſio, aut è t-* [illegible] *Latina* [illegible] *interpretatione caruit, & inter-* [illegible] *pro verbo Dei coluit: Siquidem* [illegible] Gregorii *una hac editione uſa eſt, & in* [illegible] *ad populum & in Concil*[illegible].

Ad poſterius abſurdum. *Eccleſia* [illegible] *eſt Columna & fundamentum veritatis.* 1. Timoth. 3 verſ. 15. *Ergò eſt Canonica.*

R[illegible] I. [illegible] Neq; enim uſus Eccleſię Tantus, [illegible] *ſeu librum aliquē Canon*[illegible] *eſt, ut dictum : neq; ſequitur,* [illegible] *verſione Latinà uſa eſſet, Eccleſiæ R*[illegible] *publicis Congreſſibus, eam propterea vel Canonica Scriptura vel vera & germanâ interpretatione ſeu intellectu caruiſſe, ſed hoc ſequitur, eam vitioſam habuiſſe verſionem : Quâ uſi ſunt Doctores Eccleſiæ, tanquam vulgata & communi, ſed ſecundum normam Scripturæ authenticæ examinata & intellect*[illegible].

II. A particulari concludit Bellarminus: *à La-*

à Latina Eccleſia ad totam & univerſam, de qua dictum prioris ad Timoth. 3. *loquitur: Et quod particularis aliqua Eccleſia fecit, univerſæ minimè eſt imputandum. Græca namque Eccleſia hac verſione nunquam ſunt uſæ. Quare falſum etiam, quod Lat. Eccleſ. ſola eâ ſemper uſa ſit.*

III. Accipimus, *quod ait* Jeſuita, *ab annis 800. vel 900. in uſu fuiſſe Latinam verſionem, ſed quod ſit Eccleſiæ primitivæ, à Septingentis aut ſexcentis annis uſque ad* Gregorii *tempora quæ iſtam verſionem non habuit? Nam ſi hæc ſola eſt vera & germana & authentica Scripturæ interpretatio, ſequitur, Eccleſiam Latinam ante* Gregorii *tempora, eâ caruiſſe: vel, quia infinitus fuit verſionum numerus, in fide & interpretatione ſemper fluctuaſſe: quod verè abſurdum eſt & impium. Aut ſi hoc abſurdum devitare velint Pontificij, ſequetur omnes verſiones Latinas, quæcunque in uſu fuerint, fuiſſe Canonicas, quod fatentibus Pontificijs æquè abſurdum eſt.*

Corrigimus ergò *Errorem Syllogiſmi hoc modo: Etſi Eccleſia Romana, ab octingentis aut pluribus annis Latina verſione uſa fuit, non tamen proptereà vel verà interpretatione & ſenſu Eccleſia caruit, vel Canonicam authoritatem verſio obtinuit. Sed quia non parum multis laborat erratis, ideò ſecundum fidem Hebræorum & Græcorum voluminum à do-*

ctioribus correcta ſemper fuerit, quemadmodum Decretum Juris Canonici *ſuprà allegati id exigit. Quod verò Eccleſia Pontificia noſtro ſeculo omnia errata Latinæ verſionis contrà Hebræam & Græcam veritatem defendit, id Apoſtaſiæ eius à fide & ſocietate Eccleſiæ primitivæ & Apoſtolicæ, minimè verò gentium ipſi Eccleſiæ primitivæ imputandum.*

2. A commendatione Patrum & *laudibus hujus verſionis. Patres laudârunt hanc Editionem, & reliquis præferendam cenſuerũt, omnesq; eâ de cauſſâ ſolam iſtam explanandam ſuſceperunt. Ergò eſt Canonica.*

Reſp. *Hoc eſt argumentum à baculo ad angulum. Laudes & Encomia quorundam Patrum Latinorum, quî Canonicam autoritatem efficere & conſtituere poſſent. Vitium ergò cauſſæ iterum committitur. Laudarunt eam ut verſionem, reliquis præſtantiorem & magis familia-rẽ, nequaquã verò, ut Scripturam Canonicam. Patet hoc ex ipſis à* Bellarmino *allegatis teſtimonijs.* Greg. lib. 20. *Moralium*, cap. 24. *Quia hæc nova* TRANSLATIO, Iſidor. lib. 6. Etym. cap. 5. *qui utitur vocabulo* Converſionis & interpretationis, *& collationem cum alijs verſionibus inſtituit, minimè verò cum Scripturâ fontium Canonicâ.* 2. *Non conſtat Pontificijs an Patres de hac ſua vulgatâ Latinâ verſione vel*

alia

alia loquantur, quam tantoperè cõmendant, ſicut valde dubitanter loquitur Bellarminus *hoc loco. Ex incertis verò teſtimonijs nulla poteſt fieri certa Concluſio.*

3. A Collatione Eccleſiarũ & exemplo. *Eccleſia Hebræa & Græca qualibet ſuà lingua habuit authenticam Scripturam. Ergò, Æquum eſt, ut Latina Eccleſia etiam ſuà linguà Scripturam authenticam habeat: & cum nullam aliam habeat, quàm vulgatam iſtam, eam Canonicam eſſe neceſſe eſt.*

Reſp. 1. *Propoſitionem, quæ deeſt (quicquid una Eccleſia habeat, id reliquas quoque habere neceſſum eſt) eſſe falſiſſimam. Nam omnem Eccleſiam cujuscunq; Gentis & nationis Scripturam Idiomate vernaculo habere debere, ne ipſi quidem Pontificij concedent,* qui nec Germanis nec Gallis, nec Hiſpanis, nec Italis, nec ulli Eccleſiæ *cujuſcunq; Nationis Scripturarum uſum Idiomate vernaculo concedunt, ſed omnes verſiones ſub anathematis fulmine Laicis denegant, ut patet ex Regula 4. indicis librorum prohibitorum.*

2. Si Eccleſia ſine authenticâ *Scriptura vernaculi Idiomatis conſiſtere non poſſet, aut iniquiùs cum ea actum eſſet, ſequeretur, ante editam* Hieronymi *tempore Latinam verſionem, nullam fuiſſe vel Eccleſiam vel Scripturam Canonicam: quia Latina tùm non-*

cum fuit. Sin [illegible] *& hodie* [illegible] *eſſe amplius Scripturam Canonicam,* [illegible] *Eccleſiam,* [illegible] *po-pulus* [illegible].

IV. OBIECTIO.

Ea editio Canonica [illegible] *eſt, cuius idioma Patres in Concilio generali* [illegible] *intelligunt.*

Atqui [illegible] Latinum eſt, *&* [illegible] *vulgata* [illegible] *: Contra* [illegible] *Hebraicam & Græcam* [illegible] *Conciliis generalibus* [illegible] *. Er-go Latina editio vulgata Canonica eſt, non vero Hebræa & Græca.*

Reſp. [illegible] *Chriſti* [illegible] *primi-tivæ Eccleſiæ Doctores,* [illegible] *Scripturam Sacram* [illegible] [illegible] [illegible] *ipſi* [illegible] *Hebraicam & Græcam* [illegible] *ipſe: Communiter enim* [illegible] *Quod ſi* [illegible] *& Scripturarum* [illegible] *tum Scortis & Spurijs patrandis* [illegible] *ſantes Eccleſiæ Romanæ* [illegible] *rò nihil* [illegible]

Romanenſium ruditas fontium autoritati detrahere, vel Latinæ Editioni patrocinari poteſt. Perinde enim nobis eſt, ſive illi intelligant, ſive non, quamvis peſſime cum ipſis comparatum.

At inſtat Jeſuita: *Male Eccleſiæ conſultum eſſet, ſi ſemper recurrendum eſſet ad fontes, & à Rabbinis [illegible] mendicanda veritas.*

[illegible] *à Rabbinis incredulis mendi*[illegible]*, ſed ex ipſius* [illegible] *Sanctiore* [illegible] *propriis &* [illegible] *verò* [illegible] *Sanctam* [illegible] *me*- [illegible] *poteſt* [illegible] *argumentum ab ignorantia Epiſcoporum ductum, quam non licet argumentari à ſimplicitate populi ad evertendam autoritatem (ſi quæ eſt) Latinæ Verſionis vulgatæ, quam populus non intelligit.*

V. OBIECTIO.

Variæ ſunt editiones Latinæ. *Ergò oportet unam eſſe Canonicam.*

Reſp. *Majorem* [illegible] *falſiſſimam eſſe. Nec enim varietas verſionum quicquam ad rem facit. Una quidem verſio, alia nitidior*

 & præ-

& præſtantior eſſe poteſt, fontibusq́ ſimilior, ſed nihil ad Canonicam autoritatem conſtituendam, Tempore Hieronymi & Auguſtini *ipſis teſtib. innumera fuerunt. Latinæ verſiones & tamen nulla fuit Canonica.*

PROPOSITIO XXV.

Etsi verò ſola Hebræa Veteris Teſtamenti, & Græca Novi Teſtamenti Biblia authentica, atq; omnium aliarum editionū Canon & norma ſunt: nihilominus tamē & conſultum & neceſſariū eſt, ut Biblia in omnes alias linguas, quibus Eccleſia cujusque loci utitur, traducantur & transferantur: unumque aliquod ſelectum & optimum Exemplum Cenſura ſaniorum doctorum cujusq; Nationis uſu frequentetur, ac quotidiana lectione piorum teratur.

EXPLICATIO.

Explicatæ & confirmatæ *propoſitioni*, Hebræam Veteris & Græcam Novi Teſtamenti Scripturam ſolam Canonicam eſſe, *proxima eſt quæſtio de licentiâ vertendi & transferendi Scripturam in varias cujuſcunq́ Eccleſiæ linguas populares, ut ab omnibus inſpici, legi & intelligi queat. Eſt ergò Theſis noſtra bimembris.* Primò *enim*

quari-

quæritur, An liceat vertere. Secundò: An legere cuivis ex infimo etiā populo liceat, *ac uſus in Eccleſiâ publicus obtinere debeat*, *quod utrumq́; in Theſi affirmatur.* Papiſtæ *verò in declarādâ ſententiâ ſuâ pro more & ingenio valde lubrici ſunt*, *& quovis vertumno mutabiliores: quo adigit ipſos cauſſa animiq́; diffidentia.* Aliquando enim Verſiones populares penitus improbarunt, *& pœnâ conſtituta prohibuerunt. Ita enim* Petrus à Soto *habet in aſſertione ſuâ Catholica, de horis Canonicis*, quod majeſtas Scripturæ imminuatur; & in cōtemtum veniat translatione in barbaras linguas. *Et* Hardingus *quidam* articulo 15. lectione 2. *Atq; ita planè nefas eſſe judicant: Biblia in vernaculam ullam & plebeiam linguam convertere.* De uſu & lectione Scripturarum eadem fuit ipſorum ſententia. *Id enim quàm diligentiſſimè ſemper Pontifices cavere ſoliti fuerunt, ne ullo modo Biblia manibus populi Chriſtiani tererētur. cujus tyrannidis ipſi adhuc hodiè adverſus ſeipſos teſtes ſunt: Ita enim ſcribunt* Jeſuitæ Colonienſes Cenſuræ, fol. 21. *Populus* Eccleſiaſten audiat, Euangelium & Epiſtolam eius interpretatione diſcat, audita domi repetat.

Nunc verò *poſtquam luce verbi renati ſeſe premi, & hoc adverſus Eccleſiam fideliū præ-*

cipuè Imperatores, Reges & Principes *de-ſendi & obtineri non poſſe advertunt* [illegible] *aliquando liberaliores viueri volunt.* Permittunt verſiones, ſed quæ ſubijciantur judicio Epiſcopi. Secundo, quæ [illegible] tiones vulgatæ editionis. Tertio, ut [illegible] in ſacro non [illegible]: Reg. [illegible] 3. indicis librorum prohibitorum. [illegible] *Scripturarum* [illegible] *præce-derunt* 1. *Qui* [illegible] *ver-naculas* poteſtatem [illegible] Epiſcopo vel Inquiſitore. 2 [illegible] *facta Scripturæ* [illegible] *ſis accepturos,* [illegible] *ab eà diſſentiat:* [illegible] *tantum c*[illegible] *non damnant,* [illegible] *capere poſſunt* [illegible] *intell*[illegible]. 3. [illegible] Scriptis habeant. 4. [illegible] *Biblia le*[illegible] *Biblijs* [illegible] lutionem per [illegible] *la* [illegible] *blia* [illegible] *& alijs p*[illegible] *regula 4, dicis* [illegible] Bellarmin. lib 2. de verbo Dei [illegible] *interpretatur:* Catholica Eccleſia non prohi-

bet

bet omninò vulgares Translationes, ut impudenter Chemnicius mentitur (*Nam in indice librorum prohibitorum à* PIO IV. *edito re[illegible] videmus concedi lectionem eiuſmodi [illegible], qui utiliter [illegible] uti poſſint [illegible] qui facultatem [illegible] Ordinario obtinuerint*) *prohibetur tamen* ne paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur eiuſmodi lectio, & ne in publico & communi uſu Eccleſiæ Scripturæ legantur vel cantantur vulgaribus linguis: ſed contenti ſimus illis tribus linguis, quas DOMINUS titulo Crucis ſuæ honoravit. *Hæc* Bellarminus. *In quibus modeſtiam hominis & fidem deſideramus, non enim ſine levitatis argumento toties mendacij crimen crepat [illegible], ad quæ primo [illegible] Chemnitium* non eſſe mentitum [illegible] *tantùm pro [illegible] transferendi Sacra [illegible] [illegible] ſermo [illegible]* [illegible] I[illegible]dent fol 127. *Nec [illegible] qui aſſerunt, lectionem vernacularum ver[illegible] quidem accuratiſſime finibus reſ[illegible] non prohiberi ex ſecunda ſanctione regulæ 3. [illegible] 4. [illegible] meridiano clarius eſt.* Vult enim P[illegible] ut omnes Verſiones [illegible] NIUS [illegible] ba [illegible] tantum elucidationes ſint.

ſint. *At ſtante hoc edicto. Verſiones ex fontibus univerſæ omnes jam ſunt prohibitæ.* Latinæ *n. non eſt fons ipſe, ſed fontis rivulus, & qualis qualis verſio. Verum ergò dixit* Chemnicius, *& iniquè* à Bellarmino *mendacij arguitur.*

II. Quod lectionem *Bibliorum attinet, conceditur quidem à Pontificijs; ſed difficilimis & iniquiſſimis adjunctis conditionibus, quas nemo pius ſine jacturâ pietatis ſuæ præſtare poteſt. Nam nemo proprio auſu illa habere vel legere audet: ſed qui legere volunt, primò facultatem in Scripto impetrare & deindè ſanctè* affirmare coguntur, ſe in religione & fide *Pontificia manſuros, & clauſis oculis mẽtis & Corporis omnia ſecundùm eandem ſolùm intellecturos. Sed quæſo, quid hoc aliud eſt, quàm Biblia omninò prohibere. Agunt n. cum Codice Biblico non alium in modũ quàm ſi eſſet peſſimum librorum Carcinoma, & lectio eius ſaluti hominum & incommodiſſima & nocentiſſima.*

III. Ἀνάθεμα omnibus *dicitur, qui ſine veniâ Ordinarij ſeu Epiſcopi legere Biblia auſi fuerint. Ergò in ſe & abſolutè lectio eorum omnibus prohibita: Et probè advertendum eſt, quòd Pontificij de proprijs ſuis verſionibus loquantur: adeò malè ſcilicet conſcij ſibi ſunt in cauſſa ſua, ut etiam ſuis depravatis verſionibus diffidant, ſi cuivis promiſcuè legendæ per-*

miſſæ

mittantur. Cui Papiſtarum *diffidentiæ & ex ea malè ſano interdicto nato noſtra Theſis oppoſita eſt.*

Rectè autem *& Salutariter conſultum eſt, quod dicitur, officium vertendi judicio & arbitrio Epiſcoporum & Paſtorum Eccleſiæ non niſi doctis & pijs viris committendum, intelligimus autem Epiſcopos, non* Dionyſios, *ſed doctos, pios, & in doctrinâ ſanos: In officio proprio (quod eſt docere Euangelium & adminiſtrare Sacramenta juxta Chriſti inſtitutionem & mandatum) gnavos & ſtrenuos. Horum judicio viri & docti & pij deligantur, & labor verſionis Eccleſiæ proponendæ, ſuſcipiatur. Verſio non fiat ex Latina editione aut quavis aliâ, ſed ſolùm ex fontib. Hebræis, Veteris & Græcis Novi Teſtamenti, diligentiſſimâ verborum & ſententiarum conſideratione & Collatione adhibitâ. Hæc deinde verſio cõmuni uſui Eccleſiæ & publicè Sacris peragendis, & privatim cujuſvis lectioni ac meditationi inſerviat. Talis eſt nobis Germanis verſio* B. Lutheri. *Vtrumq; igitur nempè & verſionem & uſum verſionis popularem in Sacris publicis & lectione privatâ, non tantùm non prohibitam, ſed ob emolumentum Eccleſiæ cuivis regioni planè neceſſarium cenſemus & ſtatuimus. Id quod nunc conſtantiſſimis argumentis probaturi ſumus.*

CON-

Confirmatio I.

Nempè de licentiâ & neceſſitate vertendi.

I. ARGVMENTVM.

QUIA in omnibus *Linguis & Idi[illegible]* *[illegible] nationum, quæ ſub [illegible]* *[illegible]gelij initium poſt aſcenſum* *Chriſti [illegible] eſt*, Actor. 2. verſ. 5 & 8. *Apoſtoli [illegible] omni genti & nationi, quæ ſub cœlo eſt, Verbum Dei in ſuâ linguâ prædicârunt*, Coloſſ. 1. verſ. 23.

Hinc argumentamur:

In quibus Linguis verbum Dei traditum [illegible] eſt ab Apoſtolis [illegible] Scriptu[illegible] in eas ipſas etiam linguas Biblia transfundi poſſunt & debent.

At in omnibus *linguis & Idiomatis cuiuſcunque [illegible] verbum Dei [illegible] traditum eſt ab Apoſtolis. Ergò [illegible] omnes etiam linguas Biblia transfundi poſſunt & debent.*

Majoris connexionem negat Bellarminus, *dicens, non eſſe bonam conſequentiam à prædicatione ad Scripturam; alias enim Apoſtolos [illegible] feciſſent, qui Græcè tantùm [illegible] erant, cùm in omnibus linguis prædicarint. 2. Prædicatio, ait, continet explicationē, quæ facilè ab omnibus intelligitur, at non Scripturâ, quæ nudum textum comprehendit.*

Cap. 16.

Cap. 16. lib. 2. de verbo Dei, Objectione 5. Chemnici: *Reſpondemus nos primum:* Bellarminus *ambiguitate vocabuli* prædicationis *ludit.* *Pontificia quidem prædicat[illegible] extra verbum ſcriptum ad Scri[illegible] conſequentia: quia rarò [illegible] Articulis cum Scripturà convenit, [illegible] ſunt e[illegible] non ſcri[illegible] Apoſtolorum* prædicatione *ad Scri[illegible] (quæ eadem plane ver[illegible]) [illegible] argumentum omninò valet. [illegible] ſcriptum latiùs aliquando explic[illegible] extra Scripturas prædicarent.* Actor. 24. & 26. 2. Petr. 3. verſ. 1. Irenæus lib. 3. cap. 1. *Quait:* Apoſtoli id Euangelium, quod præconiaverunt, poſteà per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & Columnam fidei noſtræ. 2. *Quod Apoſtoli Græcè ſcripſerunt, ea ipſa de cauſa factum eſt, ut plurimorum captui & lectioni expoſita eſſet Scriptura. Græca enim fuit communiſſima, & ferè univerſalis lingua non literatorum tantùm, ſed etiam plebeiorum, quo tempore Apoſtoli ſcripſerunt.* Si ergò *inſtituti hoc & officij fuit Apoſtolici idiomate maximè vulgari & communi Scripturas exarare: igitur adhuc hodiè Paſtorum etiam officium eſt, in alias eiuſdem generis linguas, vernaculas ſcil: transferre.*

2. Scri-

2 Scriptura non *litteratorum tantùm & Doctorum, ſed omnium omninò Chriſtianorum liber eſt. Ergò cõmuni quorumvis Chriſtianorum linguà tradi & exarari poteſt, & debet: ut ab ÿs vel legi vel audiri poſſit.*

3. Deus verbum ſuum *in N. Teſtamento omnibus gentibus tradi vult. Ergò Biblia in omnium etiam gentiũ linguà, quibuſcunq; verbum traditur, ex-ſtare debet. Ratio Conſequentiæ manifeſta eſt. Non enim loquitur Deus de Verbo Concionatorum ſeu prædicatione, quæ fit extra & præter textum Biblicũ, qualem ſibi Romanenſes Papicolæ ſomniant, ſed de eo ipſo verbo, quod ex ore ſuo profectum & à Chriſto & Apoſtolis immediatè traditum eſt. Id quod ſolum certiſſimum Dei verbũ eſt.*

4. Aliis Eccleſiis, ubi Papæ *poteſtas tremenda non fuit, omni tempore mos ille vertẽdi Biblia continuatus fuit. Ergò nunc quidẽ quoq; fieri licet & debet. Antecedens ex* Auguſtino *liquet,* lib. 2. de Doctrinâ Chriſtian. cap. 5. *qui ait:* Scripturam interpretum induſtriâ in varias linguas diffuſam, *ut gentibus innoteſceret ad Salutem, & ab iis legeretur. At quod ſaluti hominum inſervit: & ad eam promovendam facit, id minimè intermittendum. ſed ſtudioſè faciendum eſt. Sed verſiones vulgares ad hominum ſalutem promovendam faciunt maximè: Minimè igitur intermittendæ, ſed ſtudioſè procurandæ ſunt.*

5. Exemplo

5. Exemplo *Latinæ verſionis idem doceri poteſt. Nam Latina lingua poſterioribus aliquot ſeculis non tantum communiſſima ſed & vuulgaris plane, ac multis idiotis nota fuit, propter Romanam Monarchiam, in multas longiſſimeq; diſſitas regiones uſu communi propagata.* Pœni *certe ſeu Afri, ut plurimùm Latine noverant, teſte* Auguſtin. lib. 1. *retractationum*. cap. 20. *ubi ait: Se Pſalmum ſeu Cantionem Latinà linguà, & vocabulis uſitatis, vulgoq; notis in uſum populi & auditorum ſuorum contra* Donatiſtas *ſcripſiſſe*. Item lib. 1 *Confeſſionum*, cap. 14. *nutrices ſuas Latinæ linguæ peritas, ſibiq; in diſcendà eà ab infantia ſua magiſtras fuiſſe*. Plutarchus *jam ſuo tēpore Romanam linguam cōmunem factam plurib. gentibus teſtatur. Sicut &* Cicero. *Si ergò Latina verſio, quia lingua iſta tùm maximè vulgaris erat, & pluribus populis communis, in uſum & comodum Eccleſiæ facta eſt, idem etiam adhuc hodie fieri debet.*

VI. Quotidiana experientia *ipſos etiam Pontificios convincit, Verſionibus vulgaribus Eccleſiam carere non poſſe. Nam in Concionibus publicis Sacrificuli ſemper opus habent vulgari ſententiarum verſione, ſine quâ ſe docere non poſſe ipſo facto teſtantur. Sine quo ergò populus doceri non poteſt, id ad uſum communis Eccleſiæ omninò neceſſarium eſt.*

At ſine verſione *vulgari populus docerè non poteſt. Ergò, verſio vulgaris Bibliorum in uſum cõmunis Eccleſiæ omninò neceſſaria eſt: nec quicquam refert, quòd in Concionib. tantum id faciunt & ore-tenùs præſtant Pontificij: Cauſſa enim nulla eſt, cur id Scripto fieri etiam non liceat & debeat. Atq; hæc ferè ex* Chemnicio *repetivimus, ad quæ nihiladhuc* Bellarminus *reſpondit.*

Confirmatio II.

Biblia omnibus legenda.

Est hæc quæſtio *cum præcedente ita cõnexa, ut altera alteram mutuà operâ confirmet & ſtabiliat, neq; pro iſtâ quidquam concludi poſſit, quod ad confirmandam illam ἱποιδρώως non faciat, ut adeò unâ quaſi fideliâ duos parites dealbare poſſimus.*

I. Argumentum.

Johan. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Notandum in hoc dicto mandatum, & finem legendi Scripturas exprimi: ac deinde non cum Scribis tantùm & Phariſæis, ſed cum promiſcuà Judæorum multitudine Chriſto rem eſſe. Ex quo duplex argumentum naſcitur.* 1. *Ex mandato: Quicunque ſcrutari Scripturas jubentur, ijs ipſis lectio & cognitio Scri-*

tio Scripturarum & conceſſa & demandata eſt.

At promiſcua *multitudo & omnes, quicunq́ Chriſtum agnoſcere cupiunt & debent, Scripturas ſcrutari jubentur. Ergò etiam omnibus illis lectio & cognitio Scripturarum & conceſſa & demandata eſt.*

Lectionem & cognitionem *conjungimus, ne more ſuo rimas eluſionum quærant Pontificij. Intelligimus ergò quamvis cognoſcendi ipſum textum Scripturæ rationem*, ſive audiendo, ſive legendo id fiat: *utrumq́ enim ſcrutatio ſeu meditatio diligens complectitur. Si enim ſcrutari & accurata meditatione quivis Scripturas perpendere debet, utiq́ cognitio earum præceſſerit oportet. Porrò non tantùm de Pijs hic ſermo eſt Chriſto, qui nullum detrimentum ex lectione Scripturæ* (Papiſtæ ita loquuntur) *capere poſſunt, ſed etiam, de impijs, in quibus nulla eſt dilectio Dei, ut ex* verſ. 40. & 42. & 43. *apparet, ubi dicit Chriſtus: non vultis venire ad me ut vitam habeatis, cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis: quæ ſunt impiorum periphraſes.*

Huc omnia mandata *de legendis, recitandis, meditandis, vulgo proponendis, ante oculos ſemper habendis, cordibus, poſtibus, lapidibus & Coloſſis in vijs regijs, inſculpendis Scripturis referantur.* Deuter. 27. Deuter. 6.

 verſ. 6.

verſ.6.7.8.9.& 31. cap.verſ. 11.12.13. *Ubi ordinis, ætatis & ſexus etiã eſt mentio, omnibusq́; cognoſcenda Biblia demandantur. At noſtri Sacrificuli, Reges & Principes inprimis à lectione Scripturarum arcent, niſi idem præſtent votũ, quod regula Tridentin. quarta præcipit.* Deut.30.verſ.14.& 15. Deut.27.verſ.1.2.3.8. *planè & dilucidè in Coloſſos incidi vult verba Legis. Unde patet tàm non probibitos fuiſſe Idiotas à lectione Scripturarum, ut potiùs per lapides erectos, omnibus, & civibus & hoſpitibus Eccleſiæ quicunq́; ad ea loca, vel Conſilio vel fortè fortuna commearent, notum eſſe verbum ſuum Deus voluerit, eosq́; inde regulam perpetuam & credendorum & faciendorum petere.* 4.Reg.22.& 2 Paralip 34.verſ. 19 *Liber Legis integer coram Rege & aulicis legitur.* Jerem.36.verſ.6.7 8 *Liber* Jeremiæ *coràm univerſo populo lectus à* Baruch, Eſdr. 8. verſ 8.18.& cap.9.verſ. 3 *Ex Scripturis lectio quotidiana inſtituta eſt:* Coloſſ. 4. verſ. 16 *patet, Epiſtolas & Scripta Apoſtolorum in N. Teſtamento eo fine editas, ut publicè ab omnibus & coràm omnibus legerentur.* Ergò, *Nemo à lectione Bibliorum cujuſcunq́; Ordinis & Conditionis homo arcendus, ſed potius omnes ad cognitionem eorum adigendi ſunt.* Actor.17.verſ.11. & 12. *ab auditoribus Pauli Biblia lecta, & ſecundum ea examen Concio-*

cum Pauli inſtitutũ fuit. De Trin. ait Paulus, 2. Tim. 3. ℣. 14. & 15. *quia ab infantia Sacras literas nôſti. Ergò tantum abeſt ut aliquis debeat arceri, ut potius in infantibus etiam Sacrarum literarum cognitio ab Apoſtolis laudata & commendata ſit. Non ergò tantùm Sacrificulis, ſed omni hominum Ordini ſine diſcrimine ætatis & ſexus cognitio Bibliorum conceſſa & demandata eſt.*

II. CHRISTUS *& fidelibus & infidelibus ſeu incredulis lectionem & ſcrutationem Scripturarum demandat. Nam cum incredulis & impijs, qui verbo & ſignis eius nihil movebantur,* Johan. 5. *ipſi negocium eſt, ut patet* verſ. 40 & 42. *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis: ſed cognovi vos, quia Dilectionem Dei non habetis in vobis.* 2. Corint. 3. verſ. 14. *Ex inſtituto Eccleſiæ & ipſius Dei Judæi increduli evolvunt Scripturas & legunt. Si ergò infidelibus & impijs lectio & cognitio Scripturarũ conceſſa & demandata eſt, utiq; multò magis, cujuſcunq; ſexus & Ordinis pijs & fidelibus in Eccleſia hominibus. At prius verum. Ergò & poſterius.*

III. Ex fine cognitionis *ac lectionis Bibliorum, qui eſt Dei timor, vera agnitio, converſio, ſalus & vita æterna.* Hinc ita argumentamur:

Cujus fructus & effectus *ad omnes æquo*

jure pertinet, quodq́ fine ſuo omnibus æquo jure deſtinatum eſt, id ab omnibus liberè cognoſci poteſt & debet.

At Scripturæ fructus & *effectus æquo jure ad omnes pertinet, eademq́ fine ſuo omnib. æquo jure deſtinata eſt. Ergo ab omnibus etiam liberè cognoſci & poteſt & debet.*

Majorem nemo, *niſi a ſana mente omniq́ pietate averſus negabit. Æquum n. jus nullum perſonarum diſcrimen admittit: ſed uſum rei liberum & æqualem omnibus facit. Et hoc idem argumentum Chriſti eſt.* Johan. 5. verſ 39. *Minor ex eodem dicto manifeſta eſt, cui ſequentia etiam conſtantiſſime ſuffragantur.* Rom. 15. verſ. 4. 5. & 6. *Quæcunq́ enim ſcripta ſunt, ad noſtrā doctrinam ſcripta ſunt. Loquitur autem Paulus non de Sacerdotibus, vel doctis & literatis tantùm*, ut ineptè nugatur Bellarminus, *ſed de totà auditorum ſuorum multitudine.* 2. Petr 1. verſ 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes &c.* Joh. 20. verſ 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quia* JESUS *eſt* CHRISTUS *Filius Dei.* 1. Johan 2. verſ. 1. *Filioli, hoc ſcribo vobis, ut non peccetis.* 2. Tim. 3 verſ. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum &c. ut perfectus ſit Dei homo, adq́ omne opus bonum inſtructus. Hæc profectò opera, & hi effe-*

ctus

ctus Scripturæ tanti ac tales ſunt, qui non Chriſtianis tantùm, ſed univerſis omninò hominibus unicè petendi & quærendi ſunt. Tantum ergò abeſt, ut aliquis à lectione & cognitione Scripturæ arcendus ſit, ut potiùs ad eam omnes diligenter excitari & admoveri debeāt.

IV. Hoc ex eodem fonte, *quo priora, ducitur. Ita enim ait Paulus*, 1. Timoth. 2. ℣ſ. 3. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire. Veritas autem eſt ſermo Dei*, Johan. 17. verſ. 12. *Qui in Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum eſt cōprehenſus: In his enim Deus immediatè loquitur: Non verò in Concionibus Sacrificulorum, vel etiam* Papæ *Decretis : Fatentibus ipſis Pontificÿs*, Gregorio de Valentiâ. *Analyſi fidei Catholicæ*, part. 8. fol. 342. *Vbi Collationem inſtituit inter Scripturam & Eccleſiam his verbis.* Habet motus ille Scriptoris Canonici, neſcio quid majoris dignitatis, propterea quòd non tàm ipſe Scriptor agit in ea re, quàm agitur. Nec videtur proindè, niſi Deus ipſemet per Scripturam loqui. *Accedit, quòd Eccleſia ipſa etiam utitur in ſuis definitionibus Scripturæ autoritate, tanquam fidei quodam* Fundamento ob divinam revelationem, *quæ Sacris literis continetur. Ergò Scripta Prophetarum & Apoſtolorum Deus omnes vult cognoſcere.*

V. A contrario periculo Eſa 8. verſ. 20. *Ad legem & teſtimonium. Si non dixerint ſecundum Verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Luc. 16. verſ. 31. *Si Moſen & Prophetas non audierint, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Hinc argumentamur:

Quibus Lex, *teſtimonium, Moſes & Prophetæ audiendi ſunt, illos Scripturam eorum cognoſcere oportet: ſiquidem viva voce non amplius docent.*

At omnibus iis, *quicunq; damnationem æternam effugere cupiunt (ex quo numero nemo Chriſtianorum, quin imò nemo hominum Salutis ſuæ cupidus excludi poteſt vel debet) Lex & teſtimonium, Moſes & Prophetæ audiendi ſunt. Ergò &c.*

VI. A communi *officio Chriſtianorum*, 1. Theſſal. 5 verſ. 21. *Omnia probate quod bonum eſt tenete.* 1 Johan. 4. verſ. 1. & 2. *Chariſſimi, nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudoprophetæ ſurrexunt in mundo.* ad Gal. 1. verſ. 9. *Si quis vobis Evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Eſt ergò commune officium Chriſtianorum omnium hoc, non cuivis ſtatim Spiritui credere, ſed examẽ Spiritus & doctrinæ eiuſdem inſtituere. At quæ regula & norma eſt iſtius examinis? Num ipſa prædicatio Spirituum, ut* Jeſuitæ

ſenten-

contendunt. Minimè. Siquidem hæc ipſa eſt, quæ in examen vocanda eſt. Explicat ergò hoc medium ipſe Spiritus Sanctus: Ac Apoſtolus Paulus quidem ſuum Euangeliũ, quod ex Scripturis Propheticis propoſuit, *normam eſſe vult.* ad Gal. 1. Moſen & Prophetas *Chriſtus* Luc. 16. *hoc eſt, Scripturas eorum.* Deut 13. verſ. 4. *Dominum Deum veſtrum ſequimini & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite: mandata autem iſta ſcripta erant.* 2. Petr. 1. verſ. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem* (qui eſt Scriptura Prophetarum) *cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti.* 2 ad Tim. 3 verſ. 14. *Tu verò permane in ijs &c. Sciens quòd didiceris, quia ab infantia Sacras literas noſti:* NOTA: ab infantià. *Non ergò diſtulit primitiva Eccleſia in inſtituendis liberis ſuis lectionem & Cognitionem Scripturæ usque ad annos probationis, ſed ab infantia ſtatim ad earum cognitionem adhibiti ſunt, nihil quicquam periculi metuente Eccl* Act 17. *Regula probationis ſeu Examinis Spirituum exemplo* Beroënſium *demonſtratur,* quæ eſt ipſa Scriptura. Concludimus itaque: *Qui debent probare Spiritus, ſibique attendere, ne ſeducantur falſis doctrinis, ad eos ipſos ſpectat lectio & cognitio Scripturæ quæ probationis medium eſt. At omnes omnino Chriſtiani probare debent Spi-*

ritus, ſibiq; attendere, ne ſeducantur falſis do-ctrinis, juxta dicta jam allegata. Ergò, ad eos omnes ſpectat lectio & cognitio Scripturæ, quæ medium eſt probationis illius.

VII. Scripta & libri Prophetici *& Apoſtolici non uni tantùm Eccleſiæ ordini, ſed toti univerſitati credentium inſcripti ſunt, omniumq; cùm bonorum tùm malorum gratia ſcripti & eorum uſui deſtinati, velut ex ipſo contextu, præceptis, admonitionibus, exhortationibus divinis videre eſt. De exhortatione Chriſti,* Johan. 5. *ad omnes, tàm bonos quàm malos jam antè dictum eſt,* 1. Johan. 2. verſ. 12. 13. & 14. *Omnium ætatum homines appellantur, quibus Epiſtola* Johannis *dedicatur, Senes, juvenes, adoleſcentes, infantes.* 1. Corinth. 1. verſ. 12. *Generalis eſt inſcriptio, ut & in alijs Epiſtolis. Eccleſiæ Dei vocatis ſanctis cùm* omnibus *qui invocant nomen Domini noſtri Jesu* Christi, ad Galat. 1. verſ. 2. *Eccleſiis Galatiæ.* Habacuc. 2. *Prophetæ à Deo ipſo injungitur, ut Prophetiam in via regia ſcriptam omnium prætereuntium oculis exponat. Concludimus itaque: Ad quos directa ſunt ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & quibus illa dedicata vel nuncupata, ijs omnibus legere & cognoſcere ea & licitum & mandatum eſt.*

At univerſæ Eccleſiæ *nuncupata illa ſunt. Ergò univerſæ Eccleſiæ eadem legere atq; cognoſcere & licitum & mandatum eſt.*

VIII. Περί-

VIII. Πρᾶξις Eccleſiæ, adhortationes *Patrum ad populum de legendis Biblijs idem teſtantur & evincunt. Ac* Theophilacti *ſententiam ſuprà in reſponſionibus ad Objectiones Pontificiorum, Propoſitione 23. habuimus.* Hieronymus *Commentario in* Epiſtolam ad Coloſſ. cap. 3 *ait:* Hinc perſpicimus non tantùm ſufficienter, *ſed & abundanter, debere Laicos Scripturarum Cognitionem habere & ſe invicem docere.* Chryſoſtomus Homil. 9. in Epiſt. ad Coloſſ. *Audite* Seculares omnes, *comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel N. Teſtamentum acquirite, Apoſtolorum Acta, Euangelia, continuos ac ſedulos Doctores. Ad quod teſtimonium* Bellarm. lib. 2. cap. 16. De verbo Dei, Object. 7 *nihil reſpondet: niſi quod dicit:* Omnes hîc non ſignificare omnes Seculares ſeu Laicos, etiam rudiſſimos, ſed eos tantùm, qui cum fructu legere poſſunt, *hoc eſt: Si ex ſententiâ* Jeſuitæ, cap. 15. *indicata explicanda ſint verba:* Omnes ſignificat eos, quibus facultas legendi ab Ordinario facta & conceſſa eſt. *Vanum, &* Jeſuitâ *dignum Gloſſema. Nam extremè adverſa ſunt:* Hortari & demandare omnibus lectioné: & aliquibus impetrata veniâ concedere tantùm. *Evidentior autem apparebit Vanitas* Jeſuitæ, *ſi ſequentia verba* Chryſoſtomi

in ea-

in eadem homiliâ illi opponantur, quæ ita habent: Audite, quotquot adeſtis Laici, & Uxoribus præeſtis & liberis, *quomodo & vobis potiſſimum præcipiat Scripturam legere.* Gregorius Nyſſænus (Cat. fol. 164.) *homiliâ in Dominicam 4. al* Epiphaniarum *ferijs. Hanc Conſuetudinem, ait, Chriſtiani habere debent, ut quottidiè ad Eccleſiam veniant, & quottidiè legant ipſi, vel ſi hoc non valent, alios legentes audiant. Nec opus eſt præterea aliquid addere, ſiquidem teſtimonia manifeſta ſunt, quæ ex ipſo verborum ſono & contextu pro communi & univerſali iure Biblia legendi pugnant. Unum addimus:* ex *ſingulis argumentis, de uſu vulgari, fortiſſimè etiam concludi pro ipſis verſionib. vulgaribus. Quia ſi legere & cognoſcere Laicos Biblia oportet, utique ipſorum etiam linguâ exſiare omninò debebunt.*

CONFIRMATIO III.

DE Sacris publicis, vulgari linguâ celebrandis.

ANTE omnia *quædã ad declarandum ſtatum Controverſiæ præmittenda ſunt.* Primò, *enim Latinam linguam è templis & Sacris publicis non omninò exſulare iubemus, ſed Cantiones Latinas, ſi in Concione adſint docti auditores & literati (nam ubi Lati-*

nam

nam linguam, præter paſtorē, nemo intelligit, ibi meritò & neceſſariò intermittuntur) interdum inſtitui, & cum vulgaribus per vices miſceri poſſe, nec negamus, nec præter decorum aut uſum ſtatuimus Eccleſiæ eſſe. Habemus n. exercitia iſta inter Adiaphora, quæ in Eccleſia etiam Vet. Teſtamenti, & primitiva aliquando in more & uſu poſita fuiſſe manifeſtum eſt. Et huc quidem locus facit Pauli, 1.Corinth.14.verſ.5.14.& 27.

Deinde, *neq; hoc adeò magna reprehenſione dignum cenſemus, etſi omnia Sacra Latinâ linguâ celebrentur, modo ſubjecto ſtatim populari ſermone declarentur, licet vix ſine moleſtiâ & confuſione aliquà id fieri poſſe exiſtimemus. Largimur autem hoc, ne adeò duri in Adiaphoris Cenſores eſſe videamur, & in ijs diſſidia alere velle, ad diſſipandam in ipſis rebus neceſſarijs, circa Articulos fidei, conſenſum.*

Tertio, *Id verò eſt, quod in Pontificijs deſideramus, quod ſcil:* in publico & communi Eccleſiæ uſu, *Scripturas vulgarib. linguis vel legi vel cani, Sacraq; publica ijsdem celebrari omninò prohibent: ac tribus tantùm linguis, titulo* Crucis à Pilato *inſcriptis, nos contentos eſſe volunt: Ita namq; ſtatum Controverſiæ ex* Concil. Trident. Bellarm. proponit, Cap.15.lib.2.de verbo Dei, fol.174.

Quartò,

Quartò, *negant Pontificij præcipuam Sacrorum partem, Verba ſcilicet Conſecrationis ſeu inſtitutionis Cœnæ vulgari linguâ proponenda. Imò & piaculo ducunt, vel clara tantùm & ſonorà voce eadem Verba pronunciare. Vt enim vulgari lingua, ita quoq; ſi à populo vel audiantur vel intelligantur contaminari & profanari Sacra iſta contendunt.*

Sit ergò Propoſitio: *Quæ ſtatum Controverſiæ complectatur: In peragendis Sacris publicis ad communem Eccleſiæ ædificationem, uſum & eruditionem populi, clarà & ſonorâ voce, linguaq; vulgari, ut ab omnibus audiri, percipi & intelligi queant, omninò opus eſt.*

I. ARGVMENTVM.

PRIMUM ex fine *Sacrorum petitur, quē ipſi Tridentini Paterculi non diffiteri aut occultare potuerunt: Ita enim ajunt,* Seſſion. 22. Cap. 8. *Miſſa magnam continet* POPULI FIDELIS eruditionem.

Quicquid ad eruditionem *& uſum populi, & eum quidem magnum & neceſſarium ſpectat, id ſonorà voce & populari lingua, ut ab omnibus percipi poſſit, proponi & peragi debet.*

At Sacra publica *ad eruditionem eiuſmodi, & uſum populi ſpectant. Ergò, ſonora voce & populari lingua, ut ab omnibus intelligi poſſint, proponi & peragi debent.*

Et majorem *& minorem negat* Bellarminus,

nus, Cap. 15. lib. 2. de verbo Dei, Object. 4. *Majorem quidē his verbis, 1. Satis eſſe ſi inſtruantur ij, qui Latinam linguam intelligunt, hoc eſt, literati & docti. 2. Neq; aliquam inde inſtructionē capere imperitos poſſe, etiamſi vulgari linguâ ſeu Sacrum officium celebretur, ſiquidem inſtructio non* in verbis, ſed in Senſu ſit. 3. *Ait, plebis inſtructioni deſervire Conciones, ubi Sacra nonnunquam obiter explicantur, quæ explicatio omninò ſufficere debet, nec opus, ut ipſa ſacra vulgari linguà tractentur.* Ad Minorem *Reſpondet, & negat Sacrorum finem eſſe inſtructionem vel Conſolationem populi, cujus loco cultum Dei, ipſi ab Eccleſia debitum ſubſtituit, quem Clerici, nomine totius Eccleſiæ, Deo ex officio præſtant. Cum autem plebis non ſit officium ſacra tractare, utiq; neceſſe non eſt, ut ea intelligant.*

Reſpondemus. *Quid dicat* Jeſuita, *ipſe non intelligit, ſiquidem prima reſponſio ſecundam convellit. Nam ſi literati inſtruuntur per linguam Latinam, quam norunt, cur non rudis etiam populus per linguam vulgarem ſibi notam inſtrui poſſit? Deinde an non ſenſus ex litteris & verbis notis ac ſignificantibus dependet? Ac ſi nota & ſignificantia adverſus populum uſurpentur, utiq; piâ meditatione adhibitâ, ſenſus à nullo non ſimpliciori deprehēdi poterit. Neq; adeò obſcura ſunt Sacra, ut ſem-*

ut ſemper Oedipo ſit opus. Exemplo ſit præcipua pars Sacrorum verba ſcilicet Conſecrationis, ut loquuntur, ſeu Inſtitutionis, de quibus potiſſimùm hoc loco Controverſia eſt, an ſonorâ & vulgari linguâ voceq; proponi debeant: Edite, hoc eſt Corpus meum. Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus. *Verba & ſenſus manifeſtiſſimus, ac Pontificiæ mutilationi prorſus contrarius, id quod non tantùm peritis, ſed & imperitiſſimis notum ac perſpectum eſt. Sic etiam Tertia reſponſio* Jeſuitæ *opinionem convellit. Nam ſi plebs in Concionibus de Sacris inſtituitur, utiq; Sacra non ita occulta ſunt, ut mediante Spiritu Sancto & fideli Inſtitutione ea populus non intelligere poſſit. Quin etſi occulta eſſent, eam ipſam ob cauſſam vulgari linguâ celebranda eſſent, ut crebro uſu & repetitione verborum, tandẽ intelligeret populus, vera eſſe, quæ in Concionibus de illis dicta fuerint.*

De Minore: *Primo Concilio ſuo* Jeſuita *in faciẽ contra dicit. Ait n. Concilium Sacra populi fidelis magnam continere eruditionẽ. Sed quid de Concilio dicimus? An non verba illa Inſtitutionis manifeſtò hoc oſtendunt, quod* Jeſuita *negat. Sunt enim ad communicantes directa, qui docentur illis & quid Cena ſit, & cur uſurpanda.*

Quin & Contraria facit Jeſuita, *quæ ſunt*

ſubalter-

ſubalterna & connexa inter ſeſe. Nam dato hoc, quod ad laudem & Cultum Dei Sacra quædam inſtituta ſint, atqui ea ipſa de cauſſa populus de iis inſtrui debet, ut ſciat, quomodo Deus colendus ſit. Nam à cultu, quem Eccleſia communi voto præſtat, populum excludere & impium eſt & tyrannicum. Nam omnis Spiritus Dominum laudare debet, Pſal. 150. *Et Sacrificium laudis quilibet (non tantùm Sacrificuli) immolare*, Pſal. 49. vel 50. verſ. 14. Hebr. 13. verſ. 15. Oſe. 14. verſ. 3. &c.

II. ARGUMENTUM.

SECUNDUM ex priore *dependet, ſiquidem ex ipſis verbis inſtitutionis deſumta ſunt, quæ Pontificii in Canone Miſſæ inter ſecretiſſima ſacra habent, & idcircò ita ſecum demurmurant, ut vix à cuſtode à tergo ſtante audiri & percipi queant.* Ita verò argumentamur:

Si præcipua pars *Sacrorum ad uſum populi ſpectat & directa eſt, & idcircò ab Apoſtolis vulgari ſemper lingua celebrata & repetita eſt: Utique vulgari etiam ſemper linguâ propter eundem uſum & finem juxta Exemplum Apoſtolorum repeti debet.* At prius. *Ergò & poſterius. Aſſumtum patet cum ex inſtitutione Chriſti primâ, tum repetitione Paulinâ*, 1. Corinth. 11. *Univerſæ Eccleſiæ Corynthiacæ dedicata.*

III. ARGVMENTVM.

ET quid verbis opus, *ſi Teſtamentum (præcipua pars Sacrorum) omnibus eſt conditum & nuncupatum, Si Scriptura Sacra, quâ nihil in divinis officijs præſtantius & ſecretius eſſe poteſt, in medio omnibus eſt propoſita, & ad cognoſcendum delegata utiq; omnium etiam notâ & vulgari linguâ proponi debet: At prius: ut ex Superioribus patuit, Ergò & poſterius. Miſſam Pontificiam quidem non inſtitutam eſſe, ut publicè omnibus innoteſcat, facilè conceſſerimus, quia nec à Chriſto, nec Apoſtolis eius inſtituta eſt, ſed merum Pontiſiciæ Idiolomaniæ figmentum & Sacrorum divinorum profanatio. At Teſtamentum Chriſti omnibus notum eſſe debet.*

IV. ARGVMENTVM.

QUARTUM Argum: *& aliquot ſequētia*, ex Cap. 14. 1. ad Cor. *quod totum huc ſpectat, petuntur. Ac primo quidem* ex verſ. 28. *ubi Apoſtolus ait: Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur & Deo: quibus verbis Apoſtolus inter publica officia, & privatam actionē, quam unuſquiſq; ſui cauſſa ſuſcipit, & pro ſe privatim orat, diſtinguit, dicens: Hoc poſſe fieri, alijs incognitâ lingua, ſed illud nequaquā. Imò tacere talem jubet in Eccleſiâ, ſi non adſit interpres.* Hinc ita argmeutamur:

Si pri-

Si privata tantùm Sacra *ignota alijs linguâ fieri ſecretò poſſunt, in publicis verò vel interpres adhibendus, vel tacendum, utiq; publica Sacra in Eccleſiâ, notâ linguâ fieri debent.*

At prius verum. *Ergò & poſterius.*

Ineptit autem Jeſuita, *quod exiſtimat, ſe perſuadere poſſe, in hoc capite nil de Sacris & officijs divinis agi; ſiquidem expreſſa mentio precum, Prophetiarum, benedictionũ, & Cantionum Sacrarum occurrit: Quibus nominibus univerſum propè divinorum officiorum, quæ in Eccleſiâ fieri ſolebant, Syſtema deſcribitur. Quin etiam totum caput huc ſpectat, ut formam quandam & rationem certam præſcribat, quâ in Conventibus Eccleſiaſticis ſtandum ſit, ut laudes Deo ritè canantur, & Salus proximi ac ædificatio univerſæ Eccleſiæ promoveatur.*

V. ARGVMENTVM.

Verſ.19. Ejuſdem Capitis. *In Eccleſiâ volo quinq; verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua: Ex quib. verbis Syllogiſmus hic emergit.*

Cujus maximus eſt uſus *in Eccleſia, id maximè obſervari debet.*

Sed verbum Dei linguâ *vulgari proponere maximum uſum in Eccleſiâ habet.*

Ergò *lingua vulgaris maximè in Eccleſiâ obſervari debet.*

Et iterum.

Quâ linguâ nemo *inſtruitur inter auditores Eccleſiæ, eà meritò abſtinendum.*

Sed linguâ ignotâ nemo inſtruitur: *uti ex Verbis Apoſtoli allegatis patet, quibus opponit linguam notam & ignotam, quod illâ alij inſtruantur. Ergò linguà ignotà meritò abſtinendum.*

VI. ARGVMENTVM.

ID emergit ex ver. 23. 24. & 25. *Si ergò conveniat univerſa Eccleſia in unũ, & omnes linguis loquantur, intrent autem Idiotæ aut infideles, nónne dicent, quod inſanitis? Si omnes autem Prophetent, intret autem quis infidelis vel Idiota: Cõvincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnib. occulta cordis eius manifeſta fient, & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis ſit. Loquitur hic Apoſtolus manifeſtè de verbi Dei tractatione ac de univerſo officio divino, ad quod peragendum Eccleſia convenire ſolet.*

Sequitur ergò Syllogiſmus.

Quicquid infidelium *Converſionem impedit, & Idiotarum attentionem ac preces, id in Eccleſia caveri debet.*

At officia divina, *& Scripturæ lectio in Eccleſiâ linguà peregrina, quam nemo ex auditoribus intelligit, inſtituta, infidelium converſionem & Idiotarum attentionem ac preces*

res impedit. Ergò in Eccleſiâ caveri debet.

Videant nunc, *quomodo Papa & hic noſter* Papæ *Cauſſidicus* Bellarminus *de legibus & Statutis ſuis, Deo aliquando reſpondere velint, quibus cavent, ne Scripturæ linguis vulgaribus in publicà & communi Eccleſiæ congregatione legantur & canantur, & idcircò inter meros etiam Idiotas Latinâ linguâ (quam nonnunquam Sacrificulus etiam non intelligit) proponantur. Quæſo n. quam poſſunt attentionem Sacris ijs inter ruſticos movere? quam devotionem animi ad verbum excitare? Do equidem: Suum ſacra Latina uſum in Eccleſia moderatè adhibita obtinere, ſi adſint auditores, qui intelligant. Atqui ubi vel nullus, vel vix unus adeſt: quibus quæſo Scriptura legitur, quibus Sacra fiunt. At Sacra omnibus debent eſſe communia, Sacra, inquam, quæ ſunt Cœna Dominica, Baptiſmus, preces & Confeſſiones publicæ, nomine totius Eccleſiæ factæ: Nam quæ ſunt Pontificia, non moramur.*

VII. ARGVMENTVM.

Ex Verſibus 15. 16. 17. & 26. Septimum ducitur. *Orabo Spiritu, orabo & mente, pſallam Spiritu, pſallam & mente. Cæterùm ſi benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum Idiotæ, quomodo dicet* AMEN, ſuper tuam benedictionem? *quoniam quid dicas neſcit. Nam*

tu quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur. Ex hoc loco tàm manifeſtum iterum eſt, quod Apoſtolus hic de divinis officijs agat, ut bis ſtultus ſit judicandus, qui hoc negat. Emergit autem inde hoc argumentum: *Ad quod Idiotæ* Amen *dicere, ſuumq́ votum adjungere debent, id vulgari ſeu ipſis cognitâ lingua proponendum eſt.*

Atqui ad preces & *Sacra publica* Amen *dicere, ſuumq́ votum adjungere debent.* Ergò *Sacra iſta vulgari, ijsq́ notà linguà proponenda ſunt*.

VIII. ARGVMENT.

ID ex totius Apoſtolicæ *tractationis ſcopo petitur qui* verſu 11. 26. & 40. *indicatur. Sic & vos, ait Apoſtolus, quoniam æmulatores eſtis Spirituum ad ædificationem Eccleſiæ, quærite ut abundetis. Quid ergò fratres? Cum convenitis &c. Omnia ad ædificationem fiant. Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Hinc breviter concludimus:

In Conventibus *Eccleſiæ publicis omnia ad communem ædificationem fieri debent*. Ergò *Lingua notà proponi: Siquidem ex lingua ignota nulla communis ædificatio.*

IX. ARGVMENTVM.

ISTUD generale eſt ex Cap. ad Rom. 15. verſ. 4. petitum. *Quæcunq́ enim Scripta ſunt,*

ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & Conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Hinc exſurgit Sylogiſmus.

Quicquid ad omnium *doctrinam & Conſolationem ac ſpem fovendam ſcriptum eſt, illud utiq; in Eccleſia nota omnium lingua proponendum eſt.*

At Scriptura *univerſa ad omnium doctrinam & Conſolationem ac ſpem fovendam edita eſt.* Ergò, *Notà omnium linguà in Eccleſia proponenda eſt.*

Fruſtra autem *hic rimas quærit elabendi* Jeſuita, Cap. 16. libr. 2. Object. 4. *quaſi ſatis ſit, ſi notà lingua è ſuggeſtu Scripturæ populo explicentur à Concionatoribus, etſi non prælegantur.* Nam de Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum ipſis loquitur Apoſtolus, eorum doctrinam & Textum uſui communi eſſe deſtinatum: *non verò de nugis & fabulis Sacrificulorum.*

X. ARGVMENTVM.

A Conſuetudine Eccleſiæ & *univerſali* πράξει *eiuſdem, inde à Chriſto & Apoſtolis obſervatâ benè longo tempore. Ac Chriſtum quidem & Apoſtolos ſua Sacra vulgari & notà linguà in unaquaq; Eccleſia celebraſſe, ex ipſa hiſtoria N. Teſtamenti, ex Epiſtolis, ex inſtitutione Cenæ repetita.* 1. Corint. 11. *ex manifeſtò teſtimonio Pauli,* 1. Corinth. 14.

rinth. 14. verſ. 18. *ubi ait: Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrum lingua loquor, Sole meridiano clarius eſt. Et hoc ipſum obſervatum fuiſſe ab Eccleſiis poſterioribus, teſtes* Bellarminus *ipſe adducit*, cap. 16. libr. 2. De verbo Dei. Juſtinum Apolog. 2. pro Chriſtian. Chryſoſtomum in Leiturgia. Cyprian. ſermon. de Oratione Domin. Hieron. præfat. lib. 2. in Epiſt. ad Galat.

Plura teſtimonia allegat Chemnicius parte 2. Examin. Titulo de Sacris linguâ peregrinâ peragendis, fol. 322. *Inprimis verò ex Pontificali, in quo lectoribus hoc præceptum datur: Studete lectiones Sacras diſtinctè & apertè legere, & ad intelligentiam ac ædificationem fidelium proferre:* Item, *ex decreto* Innocentii III. *circa annum Chriſti 1200. in Concilio Lateranenſi, quod ita ſonat: Quoniam in pleriſque partibus permiſti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub unâ fide varios ritus, & mores; diſtrictè præcipimus, ut Pontifices huiuſmodi Civitatum ſive diœceſium provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitatem rituum & linguarum divina illis officia celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrent, inſtruendo eos pariter Verbo & Exemplo.* Bellarminus, *ut aliquid ſaltem reſpondeat, hoc decreto Latinam tantùm & Græcam linguam comprehendi &*

ad Vr-

ad Vrbem Conſtantinopolin dirigi vult Ob-ject.3. *Verum reſpondemus: Non hic de unâ, ſed de varijs diœceſibus & Civitatibus agi. 2. Græca & Latina lingua duæ ſunt, non variæ linguæ: Varietas n. multitudinis & pluralitatis argumentum eſt, non verò dualitatis. 3. Hiſtoria etiam temporis repugnat reſponſioni* Jeſuiticæ, *ſiquidem anno 1200. Latina lingua vulgaris eſſe jam deſierat, teſte ipſo* Bellarmino *ex* Rodevico *circa annum Chriſti 1170.* lib.2. De verbo Dei, cap.15. *Decretum verò Concilij de vulgaribus & popularibus linguis agit: ut taceam, quod Conſtantinopolis eo tempore non à Græcis & Latinis tantùm, ſed* Francis *etiam capta erat. 4. Etſi duæ iſtæ tantùm fuiſſent decreto Concilij comprehenſæ, nihil tamen hoc cauſſam* Jeſuitæ *juvaret: ſiquidem ex fine Decreti, qui eſt intellectus & inſtructio populi validiſſimè refellitur. Si enim propterea familiari lingua celebranda fuerũt Sacra, ut omnis populus ea intelligeret & perciperet: durante ergò fine ſeu cauſſa, eadem ratio peragendorum Sacrorum durabit.* Idem *de exemplo Moravorum circa annum Domini 900. ſtatuendum eſt. Quòd verò* Bellarminus *obtendit, ideò non potuiſſe Sacra Latinâ linguâ celebrari inter Moravos, quia Miniſtri periti linguæ haberi non potuerint, effugium eſt Chriſtiano homine indigniſſimum.*

Etſi enim Moravi forſan defuerint, poterant tamen ex alia natione pij & periti haberi.

XI. ARGVMENTVM.

Ex dicto Eſa.29.& Matth.15. *Appropinquat populus iſte ore ſuo & labijs ſuis honorificat me, Cor autem eius longe eſt à me & timuerunt me mandato hominum & doctrinis, ſine cauſſa ſeu fruſtrà, quo dicto duo peccata recenſentur & damnantur. 1. Traditiones humanæ in Eccleſiam ſine expreſſo Dei verbo opinione Cultus introductæ.* 2. Preces, *quæ in ore tantùm naſcuntur, & ſine omni intellectu, ac Cordis ſenſu effutiuntur, ac propterea in ore evaneſcunt. Inde ergò hoc modo argumentamur:*

Vbicunq; nulla eſt attentio, ibi Deus labijs tantùm honoratur.

At in Sacris, *ubi mens non percipit, quæ linguâ pronunciantur, nulla poteſt eſſe apud populum attentio. Attentio enim Cordis ac mentis actio eſt interna, quâ inter precandum ſerio & ardenti affectu, qui non niſi ex precibus intellectis oriri poteſt, ad Deum erigimur & aſſurgimus. Ergò in Sacris iſtis, labijs tantùm honoratur Deus.*

Idem ex altero membro, *nempè quòd Conſtitutio tantùm ſit Pontificia ſine verbo Dei, & contrà manifeſtum Chriſti mandatum & Apoſtolorum conſuetudinem poſterioribus ſe-*

ribus ſeculis introducta: quâ in re ipſum Jeſuitam *confitentem habemus in ſuperiore argumento ex conſuetudine Eccleſiæ.*

CONTRA.

Prima tria argumenta *unius & eiuſdem generis ſunt, nempè ab uſu & conſuetudine Eccleſiæ Vet. & N. Teſtamenti, inde ab Eſdra & Apoſtolis ad noſtra uſque tempora derivata: quæ ratio ſi à Pontificijs liquidò oſtendi & probari poſſet, plurimùm omninò momenti ad cauſſam obtinendam* Jeſuitæ *afferre & vel una ipſi ſufficere poſſet. Atqui, id unquam vel feciſſe vel in animo ſaltē habuiſſe Prophetas, Apoſtolos, & Propheticam ac Apoſtolicam Eccleſiam nos* διαῤῥήδην *negamus: quod ſuperiùs jam allatis teſtimonijs & exemplis non tantùm evidētiſſimè demonſtravimus, ſed etiam exempla ipſa, quæ* Bellarminus *adducit*, lib. 2. cap. 15. De verbo Dei, *oſtendunt, adeoque cauſſam* Jeſuitæ *penitus evertunt.*

I. OBIECTIO.

ESDRA lectionem *Bibliorum in Concione lingua Hebraica, tum temporis Judaico populo propter diuturnam captivitatem oblivione ſurrepta & ignotâ, inſtituit.*

Ergò *Biblia & ignotâ linguâ proponi & Sacra eadem celebrari debent.*

Reſp.

Reſp. *Primum, poſito non conceſſo Eſdrâ linguâ tum ignotâ populo Judaico Biblia prælegiſſe, id tamen ad rem nihil facit, ſiquidem factum tantùm commemoratur, idq́ unum & ex calamitate Eccleſiæ atq́ occaſione temporis illius natum, non verò lex ſancitur.* 2. *Atqui textus contrarium planè docet, ac Jeſuitæ in faciem contradicit, ſiquidē* ꝟ 2 *eius capitis dicitur. Eſdrā legiſſe coram ijs,* qui intelligere poterant, & verſ 8 Legiſſe eum diſtinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur. *Ac etiamſi Eſdras ſuas explicationes addidit, quod ex* verſ. 10. 11. 12. & 13. *apparet, non tamen id de interpretatione & verſione Grammatica intelligendum eſt, ut* Jeſuita *ſibi imaginatur, ſed de illuſtratione & explicatione textus ac doctrinarū, in uſum, commonefactionem & conſolationem populi ad præſentem Eccleſiæ illius temporis ſtatum directa.* 3. *Quod de Christi & Apoſtolorum tempore* Jeſuita *dictitat, quaſi Hebræa lingua Judaico populo ignota fuerit, habet ſibi manifeſtam N. Teſtamenti Hiſtoriā denuò obloquentem*, Actor. 21. verſ. 40. *Ubi dicitur*, Paulum Hebraica linguâ Judæos, plebem, allocutum eſſe; *Sicut etiam non ſequitur: Judæi Chaldaicè vel Syraicè promiſcuè locuti ſunt inter ſeſe. Ergò Hebraicè non intellexerunt. Dialectus enim non tollit linguam*

linguam ipſam & eius cognitionem, ſed ſimplicitatem tantùm linguæ. 4. *Cur non incipit* Jeſuita *à tempore potius Moſis, quò Eccleſia & integerrima & puriſſima fuit. Jam verò ipſe novit, non valere conſequentiam à facto ad debitum, à depravato Eccleſiæ alicujus ſtatu & præſente ruinà, ad ſtatum lege & Verbo Dei definitum, ad quòd omnia dirigi & inſtitui debent, quo ad fieri poteſt. Quod autem de reprobis noſtri ſeculi Judæis præterea affert: imitentur ſanè Pontificij eorum exemplum: dignos enim omninò diſcipulos magiſtris cenſemus.*

IV. OBIECTIO.

Apoſtoli non ſcripſerunt *linguis omnium gentium quibus prædicârunt, ſed Græcè tantùm. Ergò, Verſiones vulgares meritò non curantur.*

Reſp. *Hinc verò ſequetur, nec Latinam Verſionem in uſu publico eſſe debere. Verum ad rem: Epiſtolæ Apoſtolicæ, quæ exſtant, earum gentium & Eccleſiarum lingua ſcriptæ ſunt, quib. dedicatæ fuerunt: ijsq; vel vulgaris fuit, vel notiſſima ſaltem ſeu communiſſima. Contrarium ergò adverſus* Jeſuitam *concludi poteſt: nempe, Epiſtolæ & libri Apoſtolici & Prophetici Eccleſiis vel vernaculà vel ꝑbè cognita ac prætereà latiſſimè diffuſa lingua ſcripti & exarati ſunt. Ergò idem adhuc hodiè obſervari debet.*

III. OB-

III. OBIECTIO.

Ex univerſali Eccleſiæ uſu, *quæ trib. tātùm linguis, Hebræa ſcil: Græcà & Latinà contenta fuit, & tum communi, tū publico Scripturarū Sacrarum uſu eaſdem obſervavit, cùm jam dudum vulgares eſſe deſierant. Ergò & nos peregrinis iſtis linguis contenti eſſe debemus.*

Reſp. *Celebrationem Sacrorum populari vel notà Eccleſiarum lingua inſtitutam eſſe,* Bellarminum *ſuprà, ex teſtimonijs Patrum ab ipſo adductis confitentem habuimus. Falſum ergò eſt antecedens ipſius confeſſione.* 2. *Manifeſtò falſum, quod Græca & Hebræa lingua Eccleſiis gentis iſtius ignota fuerit unquam. Quòd verò in Italia, aliisq; Occidentis Eccleſiis Latina lingua, poſtquā familiarijs eſſe deſiit, nihilominus in uſu Sacrorum obtinuit, tyrannidi iſtud* Antichriſtianæ *debetur, & deſidia ac imperitia Sacrificulorum, quorū culpam Eccleſia fidelium præſtare nec poteſt, nec debet. Verùm non hoc ſolum tyrannidis Pontificia argumentum eſt: quod Sacra ignotà linguà celebrata fuerunt. Quia etiam populus ab auſcultatione Sacrorum planè prohibitus fuit, Sacrificulo in angulo vel privatim, nemine præter cuſtodem præſente, ea celebrāte, vel ita ſecreto ſecum demurmurānte, ut nemo verba ipſius audire, ne dum percipere & intelligere poſſet. Atqui nos paulò antè probavimus,*

bavimus, & omnes debere Sacra Biblia cognoſcere, & publicis Sacris intereſſe. Ergò neceſſaria eſt verſio Bibliorum & tractatio Sacrorum vulgaris.

IV. OBIECTIO.

Ex Scriptura & Sacris *vernaculis rudis populus non tantùm fructum nullum caperet, nec ea intelligeret: ſed etiam facilimè iis offendi poſſet. Adducit* Jeſuita *in rei probationem exempla ex Cantico Canticorum & aliarum hiſtoriarum Vet. Teſtamenti. Nam ſi populus rudis, ait, audiret linguâ vulgari ex Canticis Canticorum: Oſculetur me oſculo oris, & lava eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur. Et illud Oſeæ: Vade & fac tibi filios fornicationum: nec non adulterium Davidis, inceſtum Thamar: mendacia Judith: & quemadmodum Joſeph fratres ſuos inebriavit: Sara, Lea & Rahel dederunt ancillas ſuas Viris ſuis in Concubinas, & multa alia eorum, quæ in Scripturis magna cum laude commemorantur, vel provocaretur ad hujuſmodi imitanda, vel contemneret cunctos Patriarchas, ut olim Manichæi, vel putaret mendacia eſſe in Scripturis. Et cum tàm multas apparentes Contradictiones in Scripturis videret & ſolvere non poſſet, periculum eſſet, ne tandem nihil crederet. Hactenus* Bellarminus, lib. 2. cap. 15. fol. 182. 183.

Reſp.

Reſp. *Argumentum eſt fide, pietate, religione & Caſtitate* Jeſuiticâ *digniſſimum. Quî enim fieri poſſit, ut Contemtores iſti ſancti Matrimonij, qui ſemper uruntur, puras illas & ſanctas, Spiritualis amoris Sponſi Chriſti, in Cantico laudes decantantas erga Eccleſiā ſpōſam ſuam, puro Corde excipere poſſint. Et quî fieri poſſit ut lapſus & peccata Sanctorū ad ſui commonefactionem excipiant, qui quottidiè ſceleribus polluuntur, nec quicquam prætereà in animo fovent. Locum enim hîc potius habet illud Chriſti*, Matth. 15. *Quæ procedunt de ore, ex Corde exeunt &c. De Corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria fornicationes, falſa teſtimonia, blaſphemiæ &c.*

Et his ipſis malis *cùm ſcateant animi* Jeſuitarum *& Sacrificulorum* in Papatu, *quæ indè cogitationes, verba & res geſtæ laude digna exſpectari poſſunt? Alium longè uſum & fructum lectionis Bibliorum, nobis Deus ipſe deſcribit*, Deut. 31. *Paulus* Rom. 15. 2. ad Timot. 3. *Et David* Pſal. 119. & 19. *iſti accuſationi* Antichriſtianæ *ſufficientiſſimè reſpondet, eamq; redarguit*, verſ. 8. *cùm inquit. Lex Domini immaculata, convertens animas, Teſtimonium Domini fidele, Sapientiam præſtans parvulis: Juſticiæ Domini rectæ lætificantes Corda. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Scurras *verò Jeſuitarum* *diſcipulos*

diſcipulos, non curamus: ſiquidem illi optima quæq; ad malitiam ſuam detorquere poſſunt. Atqui propter abuſum uſus rei minimè tollendus eſt. Vtrum autem non appoſitè in Adverſarios quadret illud Irenæi, *cuilibet pio perpendendum relinquimus.* Hæretici, ait Iræneus, cùm ex Scripturis arguuntur in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum.

V. OBIECTIO.

Quæ ita ſonat: *Tolleretur Vnitas & communio Eccleſia, ſi non unitas & Communicatio linguæ in uſu Bibliorum & Sacrorum obſervaretur. Ergò Latinà linguà omnia Sacra ſunt peragenda, & Biblia in ſolà iſtà linguà legenda.*

Reſp. *Negamus antecedens: Communio enim & unitas Eccleſiæ nequaquam linguæ & ſermonis unitate aut Communione, ſed ſola doctrinæ unitate definienda eſt. Vnitas autem doctrinæ in omnibus linguis firmiſſimè & ſanctiſſimè obſervari poteſt, veluti Apoſtolica Eccleſia evidenti exemplo eſſe poteſt. Et in unitatem doctrinæ ac Eccleſiæ, die Pentecoſtes,* Actor. 2. *Omnes linguæ ſanctificatæ ſunt.* Deinde, *ſi linguæ alicujus habenda omninò ratio eſſet, cur Latina Græcæ aut Hebrææ præferri deberet, nullam rationem aſſignare poterunt. Præſertim cum Græca hoc privilegio præ La-*

tina gaudeat, quod inde ab aliquot ſeculis in Eccleſià, quin etiam toto orbe terrarum & communior & auguſtior fuerit, & ipſis etiam Apoſtolis frequentata. Verùm contra Tyrannidem Pontificiam nullæ vel rationes vel argumenta valent: ſiquidem axioma iſtud jamdudum obtinuit: Penes *unum Papam eſſe, de rebus omnibus pro arbitrio, etiam contra expreſſam Scripturæ litteram diſpenſare: nihilq; bonum aut ſanctum eſſe poſſe, niſi quod Romanum ſimul, hoc eſt Idolatricum fuerit.*

VI. OBIECTIO.

LINGVÆ vulgares *ſingulis ſeculis magnà ex parte mutantur. Ergò vel vulgares Tranſlationes Bibliorum inutiles ſunt: vel ſingulis ſeculis, præſentiſſimo periculo, mutandæ erunt.*

Reſp. *Celi ruinam minatur* Jeſuita, *ut homines à ſpe vitæ celeſtis abducat. Alian. reſponſione digna non ſunt* Jeſuiticæ *iſtæ nugæ, ſiculis gerris leviores. Mutentur ſanè linguæ (id quod tamen nobis adeò extimeſcendum non eſt) num interim toto aliquo ſeculo pijs à lectione Bibliorum abſtinendum eſt. Aut num deerunt pij Eccleſiæ Doctores, qui poſteribus ſeculis, ſi qua futura ſunt, Eccleſiæ Dei conſulere poterunt.*

VII. OBIECTIO.

Majeſtas divinorum *officiorum requirere vi-*

THEOLOGICAL SEMINARY
THE LIBRARY

re videtur linguam magis gravem & venerandam, quàm ſint illæ vulgares: multaq́ue in Sacris myſteriis inſunt, quæ ſecreto eſſe debent. Ergò & verſionibus & ſacris vulgaribus abſtinendum.

Reſp. *Ineptias iſtas hiſtoria Pentecoſtes refutat, ubi dicitur, magnalia Dei omnium gentium linguis publicè propoſita ac prædicata eſſe,* Actor. 2. *De ſecretis autem Miſſaticis nos minimè ſolliciti ſumus. Nam ſi magnalia ſua Deus omnibus innoteſcere & quidem vulgari linguà innoteſcere voluit, ſequitur, in divinis nihil ſecretum eſſe debere: Verùm potiùs in id incumbendum, ut omnibus innoteſcant. Deinde* Bellarminus *hoc argumento uſum Bibliorum planè prohibet, ſi valere debet. Nam & Latina & Græca aliquando vulgaris fuit. Si ergò vulgaribus linguis tractanda Sacra non ſunt, utiq́ue nec Latina tradi debuerunt.*

VIII. OBIECTIO.

At ſi vulgari *lingua Biblia ederentur, & Sacra celebrarentur, tunc omnes promiſcuè opifices, Sutores ac garrulæ anus Biblia legerent, Sacra profanarent, & facultatem dicendi & diſputandi de ijsdem ſibi ſumerent. Poſterius cavendum eſt. Ergò & prius.*

Reſp. *Hic ſeſe invidiæ Spiritus prodit, & idcircò aſſumtionem eidem adſcribimus. Nos*

enim optamus potius cum Moſe, ut omnes prophetent. Ac Deo gratias agimus, quod Sutoribus noſtris & mulierculis Sacræ literæ uſu adeò tritæ ſunt, ut cum Sacrificulis Papatus in doctrina certare, ac in arenam diſputationis deſcendere cum laude poſſint. Notum enim eſt, quid tyrannis Antichriſtiana *ſibi quærat, nempè ut uſum Bibliorum iterum prohibeat, omnesq; Salutis ſuæ amantes in Scriptura hoſpites faciat. Ac tales quidem ante ætatem* Lutheri *ferè omnes, etiam inter doctiſſimos & digniſſimos fuêre, ut vix unum dictum rectè allegare potuerint. Quod verò profanationem Verbi divini & Sacrorum metuit* Jeſuita, *prudentior hac in parte, ipſo Deo & Apoſtolis ſuis, ſibi videtur. Verùm ex vulgari regula reſponderi poteſt, propter abuſum (qui merum rei accidens eſt) uſum rei non eſſe tollendum. Sacra verò apud nos nemo celebrat, aut doctrinæ munus ſibi arrogat, niſi qui per legitimam vocationem debet. Poteſt autem quorundam maleferiatorum impietas redargui & quotidianis admonitionibus corrigi (quod medium Deus corrigendis vitiis ipſe conſtituit) etſi Biblia non prohibeantur.*

PROPOSITIO XXVI.

EST enim Scriptura unica illa regula aut norma fidei & pietatis Chriſtianæ, ad quam ceu ad Cynoſuram omnibus

reſpi-

reſpiciendum, & velut ad vocem Judicis recurrendum eſt, quoties de negocio pietatis, de fide & ſalute, ſivé in tentationibus, ſivé in diſputationibus, quæſtio ſeu Controverſia incidit. Quæ cauſſa eſt, cur etiam Judex Controverſiarum dicitur.

EXPLICATIO.

INTER rationes, *cur omnibus legenda ſint Biblia eademq́ in uſum vulgi exponenda: Hæc omninò haud poſtrema eſt, ſed prima, quod ſcriptura norma & regula eſt omnium Controverſiarum, quæſtionum & dubitationum, quæcunq́ circa fidem, vitam & mores ac pietatem Chriſtianam accidere & contingere poſſunt. Theſis ergò iſta priorem magis magisq́ illuſtrat & confirmat. Nam cum omnibus hoc officium, rationem ſcilicet reddēdi de fide ſua cuilibet quærenti,* 1. Petr. 3. *commune ſit: utiq́ regula, ex quà ratio fidei petenda eſt, nemini ignota, ſed omnibus cognita & perſpecta eſſe debet. Eſt autem hæc quæſtio à primâ & ſecundâ accuratè diſtinguenda, ſiquidem in illis abſolutè de Scripturarum autorite & certitudine tractatum fuit, quæ ab autore, miraculis, antiquitate, Doctrinæ genere, fructu, efficacia, aliisq́ teſtimonijs fuit confirmata.* In iſta verò de autoritate, quæ in uſu & officio Scripti verbi conſiſtit,

ſtit, agitur, nempè Scripturam non tantùm in ſeipſa verè divinam eſſe; ſed in hunc etiam finem traditam & exaratam, ut à nobis tanquam certa unica & perpetua regula obſervetur, juxta quam Deus coli velit. *Quæ aſſertio inprimis* Bellarmini *impiæ voci oppoſita eſt, quam* libr. 4. cap. 12. fol. 317. *effutiit: dicens.* Scripturæ finem proprium & præcipuum non eſſe, ut ſit regula fidei, ſed ut ſit cõmonitorium quoddam utile, quod nos adjuvet in hac peregrinatione. *Nam quòd hic proprius & primarius Scripturæ finis ſit, rationibus firmiſſimis nunc quidem in ſpecie demonſtratum eſt.*

De Metaphora autem *vocis, normæ & regulæ, ſuprà jam dictum eſt. Vox verò aut ſententia Judicis ſcriptura propriè dici poteſt, ſiquidem in Scripturis, tãquam in tabulis, definitum eſt, quid Deus, tanquã ſupremus Judex, à nobis requirat, quid de eo ſciendum ac credendum ſit, quæ ſit pietas ipſi grata & accepta, quomodo coli, & qua ratione nos, in filios & hæredes vitæ æternæ, ſcribere velit. Eſt ergò Sacra ſcriptura vox & ſententia Judicis ſcripta, per quam Spiritus ſanctus loquitur, velut Judex per legem, & Imperator per publica Edicta ac Juris præſcripta.*

Puerilis enim & planè *futilis eſt Sophiſtica, quã in vocabulis (vox, ſermo, loquor)* Jeſuitæ ludere ſolent, quaſi ea de ſono tan-

tùm oris, qui auribus percipitur, intelligēda ſint: cùm in autorib. nil magis uſitatum ſit, quàm quòd litteræ etiam loqui, & nos per literas loqui dicimur. *Sic ergò, quod ſemel per os Prophetarum & Apoſtolorum Deus loquutus eſt: Ipſeq́; Filius Dei proprio ore, ſonorâ voce conteſtatus, nunc quottidiè per Sacras litteras idem Deus repetit, ſic Paulus* Rom. 3. verſ. 9. *expreſſè ait: Legem loqui.* Hebr. 11. verſ. 4. *dicitur, Defunctum Abelem per fidem ſuam adhuc loqui. Et quid frequentius eſt in Scripturis his vocibus, Dicit Dominus, Propheta, Scriptura, cùm tamen teſtimonia Prophetarum ex Scripturis adducantur. Et exempla duo cum primis illuſtria ſunt,* Johan. 19 verſ. 24. & 37. *ubi* Johannes *Scripturam loquentem introducit.*

Porrò Fidei & pietatis Chriſtianæ *regula dicitur Scriptura, ne quis ulterius, quàm par eſt, hoc officium eius extendat.* Nam in Adiaphoris Eccleſiæ ſuæ eſt libertas, non minus, quàm in Politicis, quæ non ita in ſpecie & ſingulatim ſicuti dogmata fidei & religionis, ſed quo ad genus duntaxat, in Scriptuiis definiuntur.

Quod verò in Propoſitione *annectitur, ipſam Scripturam*, quia vox judicis eſt, judicem etiam Controverſiarum dici, *quilibet facilè animadvertere poteſt, quo ſenſu &*

quo modo, id dicatur. Eſt autem Judicis vox vocabulum forenſe, quod vulgus hominum, ex uſu & conſuetudine loquendi communi, non niſi de perſona in judicio locum ſuum occupante, & voce ac facto ſententiam ferente, accipit & intelligit. *Eo modo nec Deus nec Scriptura Judex dici poteſt. Eſt tamen nihilominus Deus unus & ſolus omnium Controverſiarum Judex per Scripturam ſententiam ferens. Scriptura verò quæ Dei vox eſt, & opus ſeu effectum, ab ipſo Deo tanquam* Vicarius, & Subdelegatus quidam Judex, Eccleſiæ Propoſita eſt: Suo ergò modo & gradu nomen Judicis veriſſimè & rectiſſimè eidem cõvenit. *Et hac Explicatione vocabuli Judicis cõſideratâ iterum fraus quædam* Jeſuitarum *circa ſtatum quæſtionis pateſcit, quem illi ita formant, quòd ſcilicet Scriptura* ſola propriè non ſit Judex controverſiarum. *Judicis voce ſcilicet, vulgari ſignificatione, pro perſonâ Judicis accepta, qui viva & ſonorâ voce ſententiam in loco judicij pronunciat, quo ſenſu Scripturam judicem non dici, ipſi fatemur.* Siquidem Scriptura, non eſt perſona aliqua, *quæ Judicis locum occupat, ac ut à partib. litigantibus auditur, ore pronunciat. Atqui hoc modo ipſe etiam Spiritus ſanctus à Judicis officio excludetur: ſiquidem nec ille in loco conſpicuo aliquo ſedet,*
&

& ore ſententiam pronunciat: quàm Jeſuitæ *in ſuis ſibi tabulis depingunt. Etſi igitur Sermonis figura aliqua hîc concurrit, qua Scriptura ſuo modo & gradu Judex dicitur: ea tamen ita uſitata & communis eſt, ut in Judicijs vix quicquam frequentius occurrat, quàm quòd Lex judex etiam dicitur. Taceo nunc quod Grammatica ſignificatio uſui Theologico nihil detrahere poſſit. In Theologia autem ad tropos non eſt recurrendam, niſi cum Analogia fidei hoc requirit.*

Et hoc ſenſu tandem *etiam accipiendum eſt*, quòd unicus Judex, ſola Judex, nec ullus alius Judex, præter Scripturã, admittẽdus eſſe dicitur. Iſtæ enim excluſivæ particulæ nec Dei, nec Eccleſiæ Orthodoxæ judicio, *ſed ſuperbiæ Pontificiæ tantùm opponuntur, quia Pontifex ſibi & Concilijs ſuis hanc autoritatem & poteſtatem, ac etiam jus quoddam abſolutum ac planè prætorium, Fidei Controverſias decernendi, novos Articulos condendi, ac Cultus divinos erigendi, ſumit & arrogat.* Demonſtrabimus *igitur nos ex immotis fundamentis*, regulam & normam Cultus divini ac pietatis & fidei ſalvificæ ſolam Scripturam eſſe, ac rectè etiam judicem dici. *Quòd verò in ſpecie attinet ad Cõtroverſias, quæ circa ipſum Scripturæ Codicem moventur, de ijs in quæſtione 7. dicetur.*

Hic enim de fine & uſu Scripturarum in genere nobis ſermo eſt.

CONFIRMATIO.

I. ARGVMENTVM.

QUI A eo fine Scripta eſt, *ut doctrinam patientiæ ac ſpei & mediũ haberemus, per quod omnes tentationes & dubitationes, quæcunq; in hac Vità nobis accidunt, evadere & ſuperare poſſemus.* Rom. 15. verſ. 4. *Quæcunq; n. ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationẽ Scripturarum ſpem habeamus; in quo Pauli loco ſequentia obſervanda ſunt.* 1. *Quod de ſolo ſcripto Dei verbo expreſſè loqtur.* 2. *Quod generali axiomate finem & uſum verbi iſtius definit ac declarat, qui eſt doctrina patientiæ, & conſolatio adverſus omnis generis calamitates, quæ ſpem Vitæ æternæ in dubium vocare poterant.* 3. *Spem iſtam beneficio unius Scripturæ ſalvam nobis & integram eſſe. Inde ergò argumentamur.*

Si Scriptura eo fine exarata eſt, *ut inde doctrinam petamus, patientiam in vita præſtandi, omneſq; tentationes ſuperandi, ſpemq; vitæ æternæ obtinendi, tùm Scriptura unica Vitæ & fidei Chriſtianæ regula & eſt, & meritò habetur. Nihil n. omninò Chriſtiano in officio ſuo obeundo reſtat, quod in his partibus à Paulo deſcriptis non contineatur, & quia iſta omnia Scriptura præſtat, eo ipſo omnes aliæ*

norma tanquã inutiles rejiciuntur. At prius verum. *Ergò & poſterius.*

II. ARGVMENTVM.

Quia in omni negocio vitæ & fidei *noſtra ad unius Scripturæ præſcriptum remittimur.* 2. Timoth. 3. verſ. 14. 15. 16. & 17. *Tu verò permane in ijs, quæ didiciſti & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & quia ab infantiâ Sacras litteras nôſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in* CHRISTO *Jesu. Omnis n. Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendũ in Juſticia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Hîc notandum, quod Apoſtol. Paulus totum negociũ vitæ & fidei Chriſtianæ diſtinctis ſuis partib. complectitur, neq; de fide tantùm Laicorum implicitâ (quam* Papiſtæ *fingunt) ſed de officio* Paſtoris & Doctoris Eccleſiæ *agit, quem ita inſtruit hoc loco, ut & cum dignitate auditorib. ſuis praeſſe, eosq; ad ſalutem, ſine omni offendiculo deducere, ac ipſe ſimul, in quemcunq; eventũ, paratus eſſe queat. Ad fidem ſpectant illa duo,* διδασκαλία & ἔλεγχος, *doctrina & confutatio. Ad vitam reliqua:* ἐπανόρθωσις & παιδεία ἡ ἐν δικαιοσύνῃ. *Adhortatio & inſtitutio in juſticia Chriſtianâ. Remittit autem Timotheum cum omnibus fidelib. tàm Paſtoribus,*

quàm auditoribus ad unam Scripturam. Concludimus itaque:

Ad cujus unius præſcriptum, *in omnibus partibus officij, Chriſtiani remittuntur, id unū etiam norma & vitæ & fidei noſtræ eſſe debet, ac eo fine etiam editum eſt. Atqui ad unius Sacræ Scripturæ præſcriptum in omnib. partibus officij, Chriſtiani remittuntur. Ergò &c.*

Deinde ſi Doctores & Paſtores, *qui non implicite, ſed explicatiùs omnia credere tenentur* (ut Andradius loquitur, libr. 3. Orthodox. Explication. fol. 58.) *in ſuo officio rectè obeundo, in unius Scripturæ præſcripto, perſiſtere debent, utiq; Scriptura norma & regula officij fideiq; Chriſtianæ erit.* At priùs verum. *Ergò & poſterius.*

Neq; refert, quod Pontificii *in vocabulo* (utilis) *Sophiſticantur, quaſi utilis quidem ſit, ad fidem Chriſtianam diſcendam, ſed proptereà nec norma, nec una etiam norma. Ita enim Apoſtolus uſum hunc deſcribit & utilitatem, ut ei totum momentum & omne punctū, ſalutis ac religionis Chriſtianæ, acceptum referat. Vna ergò norma eſt & manet, quia omnia confert.*

III. ARGVMENTVM.

Quia Scriptura certum teſtimonium *eſt, ex quo ſolo Chriſtum agnoſcere & vitam æternam conſequi poſſumus, quæ cauſſa eſt, cur ad eam*

tam excutiendam mandato Chriſti adſtringimur, Johan.5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. At teſtimonium hoc fine editur, ut ſit regula veritatis, juxta quod ſententia etiam in judicio fertur, ſi certum ſit. Ergò & Scriptura eo fine edita eſt, ut regula veritatis ſalvifica eſſet. Et quia certa eſt, alia quærenda non eſt, cum ex ea ſola Chriſtum agnoſcere & vitam conſequi poſſimus.*

IV. ARGVMENTVM.

A ratione nominis, quod Sacra *Scriptura Teſtamentum Dei vocatur*, 2.Cor.3.verſ.14. *uſq; in hodiernum diem id ipſum velamen in lectione Vet. Teſtamenti manet non revelatū*, Hebr.9.verſ.4. *Tabulæ Decalogi vocantur tabulæ Teſtamenti.* Hinc argumentum ducimus:

Omne Teſtamentum *ideò erigitur, ut ex uno illo, quid de voluntate Teſtatoris faciendum ſit, hæredibus conſtet. At Scriptura eſt Teſtamentum Dei. Ergò eo fine edita, ut ex unâ illâ hæredes Vitæ æternæ agnoſcant, quid de voluntate Dei faciendum ipſis ſit.*

V. ARGVMENTVM.

Johan.20.verſ.31. *Hæc ſcripſi, ut credatis, quia* JESUS *eſt* CHRISTUS *Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.*

Quo

Quo dicto Johannes *finem & uſum Scripturæ, à nobis deſignatum, verbis expreſſiſſimis proponit, quod nempè ratio fidei & ſalutis noſtræ inde petenda ſit, & hanc unam cauſſam fuiſſe ſuſceptæ ſcriptionis ab Euangeliſtis & Apoſtolis.* Concludimus ergò.

Quod eo fine *editum eſt, ut inde Chriſtus agnoſceretur, & ſalutis ratio à nobis peteretur, id unum norma fidei & vitæ noſtræ eſſe debet. Nam ſi fidem & ſalutem inde habere poſſumus: Nil prætereà quod deſideremus, aut quæramus reliquum eſt. Atqui Scriptura eo fine eſt edita. Ergò unica Scriptura norma & fidei & noſtræ vitæ eſſe debet.*

VI. ARGUMENTUM.

Ab Exemplo & autoritate Chriſti, *qui hæreſes & Objectiones quaſcunque, ipſi de fide oppoſitas, ex ſolâ Scriptura refutavit, cauſſamq; Erroris uni Scripturæ ignorantiæ imputavit*, Matth. 22. verſ. 29. *Erratis neſcientes Scripturas, neq; virtutem Dei.* Inde Concludimus:

Norma cavendorum & *refutandorum Errorum eſt norma fidei.*

At unica Scriptura *norma eſt cavendorum & refutandorum Errorum. Ergo, unica etiam norma fidei erit.*

VII. ARGUMENTUM.

Sic in Veteri Teſtamento *inſtitutio & repurga-*

purgatio doctrinæ ac Cultus divini ad ſolius verbi divini præſcriptum peracta eſt: Velut omnia exempla hiſtoriæ Vet. Teſtamenti demonſtrant Judicum; Regum, *ut* Ezechię, Joſiæ, Samuelis &ç. Nehemiæ, Eſdræ, Hiſkiæ, &ç. *Norma igitur religionis & ipſis Scriptura fuit, & nobis adhuc hodiè eſſe debet, ſiquidem non, alia hodiè, alia heri norma fuit, ſed unum eſt verbum Dei, quod manet in æternum. Eſt argumentum Colloquij* Ratisbonenſis 2. pag. Protoll. 90. &ç. *ad quod Pontificij ne gry quidem hactenus reſpondere potuerunt.*

VIII. ARGVMENT.

A fide & officio Pauli *Apoſtolico,* Actor. 26. verſ. 22. *Auxilio autem adjutus Dei uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ loquuti ſunt futura eſſe, & Moſes,* verſ. 24. *Hæc loquente eo, &* RATIONEM *reddente.* Actor. 24. verſ. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundum Sectam, quam dicunt hæreſin, ſic deſervio Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt. Notandum hîc, quod dicitur, Paulum hic rationem fidei ſuæ dediſſe & expoſuiſſe. Ratiotionem verò petit ex ſolo Dei ſcripto verbo. Ait enim ſe nihil extra id credere aut dicere.* Concludimus itaque:

Si Scriptura unica *norma ſeu ratio fidei & vitæ Paulinæ fuit, juxta quam & illæſa cõſcientia Deo ſervire, & munus Euangelici Doctoris feliciter obire potuit & voluit: unica Scriptura univerſæ fidei & vitæ Chriſtianæ norma eſſe debet.*

At prius verum. *Ergò & poſterius.*

IX. ARGVMENTVM.

Superiùs jam Propoſitione 7. *docuimus: Scripturam Canonem, & Regulam dici, ab ipſis etiam Prophetis & Apoſtolis, ipſius igitur Etymologiæ & appellationis Apoſtolicæ ratione, regula ac norma fidei noſtræ eſſe debet.*

X. ARGVMENTVM.

Hæc autoritas, & *hic uſus Scripturæ à Deo prolixè cõmendatur ac deſcribitur, ex ipſa forma & fine Canonis: Cujus univerſa ratio in eo conſiſtit, ut ad eius formam & præſcriptum omnia alia ſint dirigenda, ipſę verò nec additionem nec detractionem ullam patiatur. Et cum in Cultu divino exercendo, Scripturæ nec adjici nec demi aliquid, ſine violatione, poſſit, utiq; Scriptura unica regula & norma religionis & Cultus divini erit* (probatio.) Deuter. 4. verſ. 1. & 2. *Et nunc Iſraël audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, vivas &ç. Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

Cap. 12.

Cap. 12. ℣ſ. 28. & 32. *Obſerva & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, ut benè ſit tibi, & filijs tuis poſt te in ſempiternum, cùm feceris, quod bonum eſt, & placitum in conſpectu Domini Dei tui. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, ne addas quicquam, nec minuas.* Cap. 17. verſ. 10. 11. & 19. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judices illius temporis, quæresq́ ab eis, qui judicabunt tibi judicij veritatem, & facies, quodcunq́ dixerint & docuerint te, juxta legem Domini, nec declinabis ad dextram, nec ad ſiniſtram. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, &c. & habebit ſecum, legetq́ illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & Ceremonias ſuas, quæ in lege præcepta ſunt. Item,* cap. 10. verſ. 12. 13. Joſuæ 23. verſ. 6. *Tantum confortamini & eſtote ſolliciti, ut cuſtodiatis cũcta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moſis, & non declinabitis ab eis, neq́ ad dextram, ad ſiniſtram.* 3. Reg. 2. verſ. 3. *Obſerva ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, ſicut ſcriptum eſt in lege Moſis, ut intelligas univerſa, quæ facis, & quocunq́ te verteris.* Proverb. 30. verſ. 6. *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſpirantibus in ſpe: ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniarisq́ mendax.*

Eccleſ. 3. 114. *In quibus alijsq; dictis eius generis ſequentia obſervanda ſunt.*

Primò quòd *de ſcripto verbo expreßè loquuntur. 2. Ad quos iſta mandata de ſcripto Dei verbo directa ſint: nempè non ad populum tantùm, & communem hominum fecem, ut* Jeſuitæ *impudenti ore fingunt, ſed ad Sacerdotes & reges cumprimis, qui diſertis nominibus exprimuntur.* Deuter. 17. Exod. 34 verſ. 27. 2. Reg. 2. Proverb. 30. *Ac* Exodi *quidem* 24. verſ. 27. *Deus, ſecundum hæc verba, cum ipſo etiam Moſe, ſe fœdus inijſſe dicit: adeò ut Moſes etiam ad præſcriptum verbi in ſuo officio, & fide ac vitâ adſtrictus fuerit. Et quid aliud agitur? quàm quòd Sacerdotibus ratio Cultus divini præſtandi præſcribitur: cujus rei innumera exſtant in Pentateucho Moſis teſtimonia, quæ* Jeſuitarum *prodigioſam Scripturarum inſcitiam, & impietatem* Antichriſtianam *evidentiſsimè cōdemnant.* 3. Autoritas *& uſus huius Scripti verbi explicatur, ad quod omnes, quicunq; in officio & vitâ ſuâ Deo placere, ac in fœdere Domini perſiſtere cupiunt, tanquam ad certam normam remittuntur. 4. Et quidem ad unius ſcripti verbi normam. Nam ubiq; excluſiva hæc additur, quòd ab ipſo recedendum non ſit, neq; ad dextram, nec ad ſiniſtram, ſed quod in una eius obſervatione & meditatione*

fideli

fideli vita conſiſtat. 5. Quin imò ea omnia mendacij arguuntur, quæ ſine verbo traduntur, & in illo expreſſè non exſtant. Hinc igitur nullo labore concludi poteſt, unum Dei verbum ſcriptum, normam vitæ ac fidei noſtræ eſſe debere. Nam ideò editum eſt, ut ſecundum iſtud greſſus noſtros dirigamus, à quo ſalva conſcientia ne latum quidem unguem diſcedere licet, quin protinùs mendacij crimen incurramus. Ad quod igitur omnes, omnium ordinum homines, in exercendo verò Cultu divino remittuntur: ita ut nec addere, nec detrahere, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, hoc eſt, *nullo omninò modo & prætextu ab eo deflectere debeant: illud unũ eſt unica religionis & Cultus divini norma. Atqui ad ſolũ ſcriptum Dei verbum &c. Solum ergò ſcriptum Dei verbum univerſi Cultus divini norma ac regula erit.* De hoc 10. Argumento prolixe agitur in Colloq. Ratisbon. fol. 36. & 90.

XI. ARGVMENTVM.

A vindicta Dei & *pœna petitum exſtat,* fol. 97. & 101. dicti Colloquii, *hoc modo:*

Quicunque reprehendit *& punit eos omnes, qui à ſcripto Dei verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextram vel ſiniſtrã deflectunt, is hoc ipſo facto perſpicuè teſtatur, ſcriptum Dei verbum debere eſſe unicam normam, ad quàm Cultus omnis conformari de-*

 bet.

bet. DEUS in Vet. Teſtamento reprehendit & punit eos omnes, qui à ſcripto Dei verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextram vel ſiniſtram deflectunt. Ergò, Hoc ipſo facto perſpicuè teſtatur, ſcriptum Dei verbũ debere eſſe unicam normã ad quam omnis Cultus conformari debet. Minor *Exemplis & teſtimonijs manifeſtiſſimis cõfirmatur.* Nadab & Abihu, Levit. 10. verſ. 1. & 2. *arreptísque* Nadab & Abihu *filij* Aaron *thuribulis, impoſuerunt ignem & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum,* quod eis præceptum non erat. Gedeonis *Ducis pij,* Judic. 8. ℣ſ. 27. *Fecitq; ex eo* Gedeon Ephot *& poſuit illud in Civitate ſua* Epha *fornicatusq; eſt omnis Iſraël in eo, & factum eſt* Gedeoni *& omni domui eius in ruinam.* Jerobeam. 3. Reg. 12. verſ. 28. *qui Vitulos aureos non aliâ de cauſſa, quàm in memoriam & honorem veri Dei conflavit & conſtituit,* 1. Regum. 15. *Exemplo Saulis, qui privatâ intentione, de preda* Amalekitarum, *eaq; quidem præſtantiſſima, Deo ſacrificium offerre voluit, &c. Sed omnes reprehenſi & puniti ſunt, propterea, quòd præter verbum ſcriptum aliud ſuſceperunt, nihil minus cogitantes, quam hoc Deo adverſum fore, ſiquidem in memoriam & honorem ipſius omnia ſuſcepta fuerunt.*

Connexio Majoris, *quòd à* Ieſuitis *negatur,*

tur, malitiæ ipſorum tribuendum eſt & deſperationi. Nam ſi de cauſſa quæritur reprehēſionis & pœnarum, hæc utiq; reprehenſio ex locis iſtis petenda eſt: quod in Cultu Dei à pſcripto verbi diſceſſum ac præter expreſſum mandatum, optimâ licet intentione, aliud quippiam ſuſceptum & inceptum fuit. Eſto porro: ab aliquibus præceptum divinum in Scripturis violatum eſſe, ſtabit nihilominus nexus conſequentiæ in majore immotus: Quia eo ipſo præceptum Domini violatū, fuit, quod præter iſtud in Cultu divino *ſtatuere aliquid auſi fuerunt ij, quorum mentio facta eſt. Fecerunt enim, quod præceptum ipſis non fuit. Quare contra portas inferorum conſequentia hæc immota permanebit.*

Si in omnibus hiſtoriis & *exemplis cauſſa reprehenſionis & pœnarum ea affertur, quod homines in Cultu divino præſtando, ſcripto Dei verbo ac expreſſis mandatis, non ſteterunt & acquieverunt: ſequitur, Cultus divini rectè riteq; præſtandi Scripturam unicam normam eſſe.*

At prius verum. *Ergò & poſterius.*

Nam ſi omnia *rejiciuntur & improbantur, quæ absq; verbo ſcripto circa Cultum Dei proprio arbitrio ſuſcipiuntur, utiq; ſcriptum verbum unicè ob oculos habendum; ſi verò ob oculos unicè habendum, unica igitur regula,*

iuxta quam nos in cultu gerere debemus, neceſſariò erit.

XII. ARGVMENT.

Ab exemplo, Luc. 16. verſ. 29. & 31. *Vbi Deus Epulonis fratres ad Moſen & Prophetas unicè remittit; & aliud medium effugiendi æternam damnationem non agnoſcit.* Hinc fit Syllogiſmus. *Si Scriptura Moſis & Prophetarum unica via & ratio eſt effugiendi æt. damnationem & ad ſalutem perveniendi, præter quam alia nulla reſtat, ea etiam unica fidei vera ratio ſeu regula erit.*

At Scriptura unica *ratio eſt, per quam æternam damnationem effugere licet, propter quam alia non reſtat. Ergò Scriptura vera etiam fidei unica ratio ſeu regula erit.*

XIII. ARGVMENTVM.

Paulus Galat. 1. ℣. 9. *Omnia ea damnat & anathematizat, quæcunq; extrà Euangelium ab ipſo annunciatum, & à Prophetis priùs præſcriptum, proferuntur.*

At ſi nihil eſt *pro verbo Dei habendum, quod in Euangelio Pauli non cõprehenditur, Euangelium iſtud unica regula fidei erit.*

At prius. *Ergò & poſterius.*

XIV. ARGVMENTVM.

A certitudine verbi ſcripti: *Illud unum eſt regula fidei, unde de conſilio Dei quàm certiſſimè & pleniſſimè conſtare poteſt.*

At

At ex ſolo ſcripto *Dei verbo de Conſilio Dei certiſſimè & pleniſſimè nobis conſtare poteſt. Omne enim Conſilium Dei in Scripturis comprehenſum. Ergò ſolum ſcriptum Dei verbum regula fidei erit.*

XV. ARGUMENTUM.

Scriptura eam doctrinam *continet, quæ certo & immediatè Prophetica & Apoſtolica eſt.* Unde Concludimus:

Qui liber eam doctrinam *comprehendit, quæ immediatè Prophetica & Apoſtolica eſt, ſuper quam ſolam in fide noſtrâ exſtructi ſumus,* ad Epheſ. 2. 1. Cor. 3. *Is liber unica fidei Apoſtolicæ regula & norma eſſe debet.*

At liber Scripturæ *eam doctrinam comprehendit &ç. Ergò, liber is unica fidei veræ regula & norma eſſe debet. Connexio majoris evidens eſt. Minorem autem non negabunt Pontificij, nec negare poterunt, niſi ſuas traditiones ſe ex ore & Calamo Apoſtolorum excepiſſe ſimiliter dictitent: quod tamen dicere non audent, ſiquidem omnia tantùm ex relatione majorum ſe habere profitentur, & idcirco Apoſtolicas eſſe credunt, quia ex majorum relatione hoc cognoſcant. Sola igitur Scriptura hoc privilegio gaudet, ut à Prophetis & Apoſtolis primis fidei dictatoribus perſcripta ſit: Et ea ipsâ de cauſſa pro Apoſtolica certiſſimè habenda.*

XVI. ARGVMENTVM.

A forma & normâ judicii *ultimi, quod ſecundum Euangelium in Scripturis comprehenſum inſtituetur, teſte Paulo*, Rom. 2. verſ. 16. *In die cùm judicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per* JESUM CHRISTUM. *Chriſto.* Johan. 12. verſ. 48. *Qui ſpernit me & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum in noviſſimo die*, Apocal. 20. verſ. 12. *Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.*

Quæ eſt futura *norma examinis operum & fidei omnium hominum in ultimo judicio, ea utiq; unica & non alia in hac Vitâ norma fidei & vitæ ſemper eſſe debet.*

At Euangelium & ſermo *Chriſti in Scripturis comprehenſus, eſt illa norma. Ergò, Scriptura unica norma vitæ & fidei noſtræ eſſe debet.*

CONFIRMATIO II.

De Scriptura judice.

NUNC ad *alteram Theſeos partẽ, quod ſcilicet Scriptura verè ſit fidei & controverſiarum Judex à nobis in omnibus reſpiciendus & obſervandus.*

I. ARGVMENTVM.

A nomine: ſiquidem *in ipſa Scripturâ dicta ma-*

cta manifeſta exſtant, quibus Judex dicitur, Johan.12.verſ.48. *Qui ſpernit me & non accipit verba mea,* habet qui judicet eum: *ſermo,quē locutus ſum,*judicabit eum in noviſſimo die. Joh.5.verſ.45. *Nolite putare, quia ego ſim accuſaturus vos apud Patrem:* Eſt qui accuſat vos, Moſes: *Ubi etiamſi accuſationis tantùm meminit Chriſtus, hæc tamen accuſatio ita comparata eſt, ut ſententiam judiciariam ſimul comprehendat, quemadmodū ex decretis Legis patet.* Galat. 3. Deuter. 27. verſ. 26. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius, nec eos opere perficit & dicet omnis populus* AMEN. Inde autem quod Chriſtus non ſeipſum, ſed ſermonem ſuum ac Moſen in Scripturis loquentem, inter ſe & Judæos judicem conſtituit, & quidem ſolum judicem, *manifeſtò ſequitur, ſermonem divinum, in Scripturis comprehenſum, nobis etiam in omnibus vitæ & fidei noſtræ actis, judicem propoſitum ac conſtitutum eſſe. Nam ſi Chriſtus in ſuo officio docendo ac demonſtrando, doctrinâ & autoritate aſſerenda, ac erroribus contrarijs refutandis, ſolâ Scriptura judice ſtetit, ſola utiq; Scriptura nobis etiam Judex eſſe debet.*

At priùs. *Ergò & poſterius &c.*

II. ARGUMENT.

Ab opere & officio Scripturæ, *de quo*

 agi-

agitur, Galat.3. Deut. 27. *Verbis antè adductis.* Roman.7.verſ.7. *Peccatum non cognovi niſi per Legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi diceret, non concupiſces. At dicere & pronunciare ſententiam in reum aliquẽ, proprium judicis opus & officium eſt. Quod cum Scripturæ tribuitur, judicis loco meritò habetur. Idq́ꝫ eo magis, quòd non muta eſt, ut* Papiſtæ *ſomniant, ſed vivum omninò & efficaciſſimum verbum: Teſte* Gregorio de Valentiâ Anal.fid. fol.342. *Habet modus ille Canonici ſcriptoris neſcio, quid majoris dignitatis &c. Propterea quòd non tam ipſe ſcriptor agit in eà re, quàm agitur, nec videtur proinde, niſi Deus ipſemet per Scripturam loqui.*

III. ARGUMENT.

A Virtute & efficacia *Verbi huius, qui* Hebr.4.verſ.12. *Vivus & efficax ſermo, ac diſcretor cogitationum dicitur, ad animum uſqꝫ penetrans.* Hinc Concludimus:

Qui animum & cogitationes *uſqꝫ ad intimàs penetrat, easq́ꝫ diſcernit ſeu judicat (mediante ſcilicet propria conſcientiâ) is verè Judex omnium actionum noſtrarum dici & haberi debet. At Scriptura &c. Ergò &c.*

IV. ARGUMENT.

A formâ judiciorum, *cùm in Vet. Teſtamento, tum in omnibus benè conſtitutis Rebuſpublicis obſervatâ, ubi Lex primarius Judex*

dex ſemper habetur, ac in conſeſſu Judicij in medium producta & evoluta, vota & ſententium Aſſeſſorum dirigit. Judex autem cum Senatu ſuo Legis potius advocatus, adminiſter & exſecutor eſt, quam abſolutus Judex teſte Nicodemo, Johan. 7. verſ. 51. *Nunquid Lex noſtra* judicat hominem, *niſi priùs audierit ab ipſo & cognoverit, quid faciat? Multò ſplendidiùs loquitur & ſentit* Nicodemus *Chriſti auditor de Scriptura, quàm* Jeſuitæ, *qui Spiritui ſancto omnem poteſtatem audiẽdi, cognoſcendi, judicandi ac dicendi ſententiam per Scripturas, in* Colloquio Ratisbonenſi *impiè & præfractè denegârunt. Etſi autem dictionis genus in verbis* Nicodemi *non negemus, ſed fateamur, Scripturæ nec aures nec os eſſe, quibus partes audiat & clarà voce pronunciet (ſicut etiam nec Spiritui ſancto tale quippiã tribuendum eſt) Hoc tamen nunquàm probabunt Pontificij:* Judicem non eſſe, nec ullum eſſe poſſe, niſi oculatum, *auritum & coràm locum ſuum explentem, ac aperto ore pronunciantem ſententiam. Niſi ipſum quoq; Deum (cui neutrum iſtorum competit) ſimul à judicis dignitate & gradu dejiciant. Omnes ergò vident & advertunt, quemadmodum judicis vocabulo praviſſimè adverſarij abutantur: quaſi non alium ſignificet, quàm quem modò deſcripſimus, Contra*

quam

quam ματαιολογίαν conſtantiſſimè tenendum eſt, quis ſit verus vocabuli judicis uſus, ac quibus rebus, quo ordine competat: nempè Deo, Scripturæ, legi in judiciis, & perſonæ in Judicio præſidenti ac locum ſuum occupanti. Etſi ergò Scriptura nec aurita nec oculata eſt, manet tamen ſuo nihilominus modo Judex, à Deo nobis noſtræq́ fidei præfectus, per quem Deus videt, audit, loquitur & de ſuo Cultu pronunciat: ut verba Nicodemi *perſpicuè habent. Nec enim evanida ſunt verba Dei in Scriptura, ſed efficaciſſima, veritati teſtimonium clariſſimum ſine ulla intermiſſione perhibentia, & ſententiã in ἑτεροδιδασκαλίας ſubinde pronunciantia.*

V. ARGUMENTUM.

Hujus ſententiæ ſunt *ipſi quoq́ Patres, qui & de unica norma, & de Judice Scriptura clariſſima ediderunt teſtimonia, quorum ex abundanti, quædam adjicere libet.* Baſilius Tom.2. Epiſtol. 80. Stemus igitur arbitratu inſpiratæ à Deo Scripturæ: & apud quos inventa fuerint dogmata divinis oraculis conſona, illis omninò veritatis adjudicetur ſententia. Jeſuitæ Colloquii Ratisb. *agnoſcunt à* Baſilio *Scripturam judicem controverſiarum vocari, ſed Impropriè. Nos Confeſſionem accipimus, uſum autem & genus loquendi non ex* Jeſuitarum, *ſed Spiritus*

ſancti

ſancti ore determinandam eſſe cenſemus: cui non adverſa eſt Philoſophorum ſchola, qui legem judicem primarium, quem & Magiſtratus & Cives reſpicere debent, conſtituunt. Ariſtot. lib. 10. Nicom. Ethic. cap. 10. libr. 4. de Rep. cap. 16. Auguſtin. lib. de Grat. & libr. arbitr. Cap. 18. Tom. 7. fol. 1318. *Sedeat inter nos* IUDEX Apoſtolus Iohannes, *& dicat nobis, Chariſſimi diligamus invicem, &* lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. Tom. 7. cap. 33. fol. 859. *Iſta controverſia* IUDICEM *requirit judicet ergò Chriſtus &c. Judicet cum illo & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur* CHRISTUS. *Quibus verbis etiam (ut hoc obiter addamus)* Papæ *tribunal & Judicium, & cuiusvis, per quem* IMMEDIATE *Chriſtus non loquitur, penitus proteritur.* Optatus Milevitanus cōtra Parmeninum, *lib. 5.* Enangelicam Scripturā tanquam judicē appellat, *in Controverſia de non rebaptiz. hæreticis. Patribus ergò & Veteri Eccleſia Scriptura Controverſiarum Judex perpetuus fuit.*

Auguſtinus contra Creſc. libr. 2. cap. 31. fol. 240. *Neq; enim ſine cauſſa tam ſalubri vigilantia* Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt: *ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant,* quos omnes judicare non audeamus, & ſecundum quos de ceteris

teris libris vel FIDELIUM vel INFIDELIUM, liberè judicamus. *Idem* libr. eod. cap. 32. Chryſoſt. 2. ad Conrinth. 7. hom. 13. circa finem. Habemus omnium exactiſſimam trutinam, gnomonem & regulam &c. *deq; his in Scripturis hæc omnia inquirite. Et* Pſal. 95. Col. 960. *Si quid dicitur* ſine Scriptura, *auditorum cogitatio claudicat. & in* Matt. 49. hom. Tom. 2. Nulla ꝓbatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, nque refugium poteſt *eſſe Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere* FIDEI VERITATEM, NISI SCRIPTURÆ divinæ. *Antea enim multis modis oſtendebatur, quæ eſſet Eccleſia Chriſti & quæ gentilitas:* Nunc autē nullo modo cognoſcitur, volentibus cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per Scripturas. Hieronym. in Matt. cap. 23. Tom. 2. *Hoc quia de Scripturis non* habet autoritatem eadem facilitate contemnitur, *qua probatur*, & Tom. 8. Pſalm. 86. fol. 127. & Tom. 3. fol. 84. in Epiſt. ad Theophil. Auguſtin. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 18. Tom, 5. & contra fauſt. Man. Tom. 6. lib. 11. cap. 5. Baſil. in Eth. definit 26. fol. 210. Tom. 2. Quodcunq; vel verbum vel factum corroborandum eſſe divinæ Scripturæ teſtimonio, *ad plerophoriam bonorum & confuſionem malorum. Notandum, quod in genere*

nere loquantur Patres, de omnibus dictis & factis Chriſtianorum confirmandis & examinandis, ſecundum regulam Scripturæ, non de Contrarijs tantum erroribus, ut ſomniant Ieſuitæ Ratisbon. 2. *Quod exactiſſimam omnium iſtorum normam prædicent Scripturam. Scriptura ergò Patrum teſtimonio unica & ſola ac univerſalis fidei norma eſt.*

CONTRA.

OMMNIS regula eſt opus continuum. *Scriptura non eſt opus continuum. Continet enim varia & diverſa opera, Hiſtorias, Conciones, Vaticinia, Carmina, Epiſtolas, &c.*

Igitur finis Scripturæ *præcipuus non eſt, ut ſit regula fidei.* Bellarminus lib. 4. De verbe Dei, cap. 12. fol. 317.

Reſp. *Argumentum ab Analogia ductũ eſſe & falſa hyopthesi, quaſi eadem ratio ſit regulæ & normæ ſcientiarum & artium, quæ operarum mechanicarũ, quæ ſibi opus aliquod ſolidum & continuum ſubjectum habent, non verò ſi operi continuo, regula continua reſpondet, idcircò id in alijs etiam rebus non cõtinuis ita eſſe oportet. Ratio ergò Conſequentiæ primùm* Ieſuitæ *oſtendenda eſt, quam cùm non affert, in fumos abit ſeipsâ Objectio. Major igitur vera eſt non ſimpliciter, propter ambiguita-*

guitatem vocis continui, quod eſt vel Mathematicum & pro eo accipitur, cujus partes ſimul ſunt, aut Communiter pro eo, quod unũ eſt, *& ſuis partibus quovis modo cohæret. Ad minorem. Etſi Scriptura non eſt continuum Quantum ſeu Mathematicum, ſicut nec ulla regula artium, ut Grammatica, Dialectica, quæ omnes in ſuas diſtinctas partes ſunt diſtributæ: Ratione tamen Syſtematis ſeu Corporis totius, ſuo modo continuum,* ſeu potius unum quoddam integrum, eſt Scriptura. *Probatio autem minoris nullius eſt momenti. Hiſtoria enim, Conciones, Vaticinia &c. unitati normæ non tantùm non obſtant, ſed eam clariorem & explicatiorem reddunt, ſiquidem iis velut exemplis quibuſdam regulæ illuſtrantur, & uſus earundem demonſtratur. Porrò Scriptura non fidei tantum regula eſt, ſed vitæ etiam Chriſtianæ, ad inſtructionem & admonitionem noſtram data & exarata,* 2. ad Tim.3. Rom.15. *Ad quem uſum exempla & hiſtoriæ, ceu vivum ſpeculum vitæ, maximè faciunt.*

II. OBIECTIO.

SI Scripturæ hic *præcipuus finis eſſet, ut regula eſſet fidei, tum & omnia & ſola illa, quæ ex ſe ad fidem pertinent, continere deberet: ſicut videmus factum eſſe in Symbolo Apoſtolico, quod & verè regula dicitur, & ideò*

compo-

compoſitum eſt, ut brevis quædam fidei regula eſſet.

At in Scripturis plura ſunt, *quæ ex ſe non pertinent ad fidem*, id eſt, *quæ non ideò ſcripta ſunt, quia neceſſariò credenda erant, ſed neceſſariò creduntur, quià ſcripta ſunt, ut patet de omnibus hiſtoriſs Vet. Teſtamenti, de multis etiam hiſtoriſs Euangelij, & Actuum Apoſtolicorum, de Salutationib. Pauli, aliisq; id genus rebus. Et multa etiam ſunt credenda, quæ non ſunt in Scripturis.*

Ergò finis Scripturæ *præcipuus non eſt, ut ſit regula fidei, ſed ut varijs documentis & exemplis, adhortationibus, nunc terrendo, nunc minando, nunc conſolando adjuvet nos in hac peregrinatione.*

Repſ. Primum *fraterculorum* Ieſuiticorum *Concordiam obſervari volumus*. Bellarminus hîc negat omnia ad fidem pertinere, *quæ in Sacris litteris exarata ſunt, omnesq; hiſtorias Vet. Teſtamenti, plurimas Novi, à fidei articulis excludi*: At Tannerus in Colloq. Ratisbon. ſingulas lineolas Scripturæ ſingularem fidei articulum *conſtituere dictitabat, etiam hiſtoriolam iſtam* de Cane Tobiæ *caudam movente*, fol. 353. *Et inceſtum* Iudæ, fol. 351. Seſſion. 11. 2. *Conſequentiam majoris dicimus eſſe falſiſſimam, & merum* Jeſuiticæ *arrogantiæ figmentum.*

S Minor

Minor duas habet partes. *Primò plurima ineſſe in Scriptura*, quæ ad fidem ex ſe non pertineant, *& multa non ineſſe, quæ ad fidem* ex ſe pertineant. *Hæc duo membra, vel mutuò ſeſe ipſa convellunt, vel in Spiritū ſanctum injuria & blaſphema ſunt. Nam ſi plurima inſunt, quæ ex ſe ad fidem non pertinent, ut vult* Bellarminus: *Ergò multò magis ea inerunt univerſa, quæ ex ſe ad fidē pertinent.* Aut (*cenſentibus Ieſuitis*) Spiritus ſanctus relictis τοῖς ἔργοις in παρέργοις fuit occupatus. *Quod ſine impietate de divinâ ipſius ſapientiâ & providentia ne cogitare quidem licet.* 2. Quod ait Ieſuita, NULLAS HISTORIAS Veteris Teſtamenti ad fidem ex ſe pertinere, *perquàm abſurdū eſt. Num n. prima Bibliorum hiſtoria, deſcriptio Creationis, ex ſe ad fidem non pertinebit? Fides* Abrahami, Geneſ. 15. *Inſtitutio Circumciſionis, agni Paſchalis, promiſſiones de Chriſto, quæ omnia hiſtoricè proponuntur: & hiſtoriâ quidem* Abrahami *Paulus formam & modū noſtræ Iuſtificationis deſcribit.* Rom. 4. *Non ergò Paulo cum* Ieſuitis *convenit. Nos autem antea diximus:* Hiſtorias ipſas quoque ad regulæ ſeu normæ integritatem & illuſtrationem pertinere: *ſiquidem ex vivis exemplis inſtruunt, docent, admonent &c. non in vita tantùm, ſed etiam in fide, ut exemplo*

Abraha-

Abrahami, *Paulus* Roman. 4. *luculentiſſimè oſtendit.*

III. OBIECTIO.

Si Apoſtoli doctrinam ſuam *literis ex profeſſo cōſignare & Canonem religionis Chriſtianæ conſtituere voluiſſent, certè* Catechiſmum *aut ſimilem librum confeciſſent, vel ſinguli Apoſtoli edidiſſent ſcriptam doctrinam Euangelicam, cùm ſinguli haberent curam alicuius provinciæ, vel certè omnes ſimul congregati, antequam diſcederent in ſuas provincias, Communem aliquem librum edidiſſent, ſicut conſtat, Symbolum fidei compoſuiſſe.*

At hoc factum non eſt. *Scripſerunt enim vel Hiſtoriam, ut Euangeliſtæ, vel Epiſtolas, ex occaſione aliqua, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Johannes.* Et in iis non niſi obiter diſputationes de dogmatis tractaverunt. *Ergò, nec primaria ipſorum intentio fuit, vel literis conſignare doctrinam, vel Scripturam fidei regulam conſtituere.* Bellarminus lib. 4. de verbo non ſcripto, Cap. 4. fol. 263. *Quod argumentum, etſi ipſe eâ de cauſſâ attulit, ut probaret Scripturas, nec neceſſarias eſſe, nec ſufficientes, eò tamen propriè ſimul ſpectat, ut prorſus negetur, Scripturam propterea editam eſſe, ut regula fidei eſſet.*

Reſp. *Igitur primò, Majoris Connexionem eſſe falſiſſimam, & Cerebelli* Jeſuitici *va-*

num delirium. Nam Apoſtolis, ad conſtituẽdam regulam fidei non demum longâ in Conventu aliquo deliberatione opus fuit, cuiuſmodi deliberationes & diſceptationes poſteriorib. ſeculis, ad eruendam & conſervandam puritatẽ doctrinæ, & ad politiam rectè inſtituẽdam, in Concilijs & Comitijs neceſſariò inſtitutæ ſunt, & ſemper inſtitui debent. Sed omnes & ſinguli immediatum Actorem & Doctorem unicum habuerunt Spiritum ſanctum, qui in omnem veritatem eos deduxit, Iohan.16. *Cujus juſſu & dictamine interno, omnia ab ipſis facta, dicta & ſcripta ſunt, quæcunq; legimus & videmus,* 2.Petr.1.verſ.21. *Hanc differentiam docendi & ſcribendi inter Apoſtolos & alios poſteriorum ſeculorum & inferioris gradus Doctores ipſi etiam Adverſarij agnoſcunt, & clariſſimo teſtimonio confirmant.* Gregor. de Valent. *in Analyſi de ſua fidei,* parte 8. fol. 334. Bellarminus *Controverſia generali,* 4. lib.2. cap. 12. Tom. 1. *Non ergò hîc perſonæ Apoſtolorum, ſed unus & idem autor ac dictator Scripturæ & doctrinæ Chriſtianæ reſpiciendus eſt, qui Apoſtolos locis remotiſſimis conſtitutos, animis coniunctiſſimos habuit, & in unica doctrinâ & veritatis normâ conſtantiſſimè ſervavit.*

Minor etiam falſiſſima eſt i *Habuerunt enim Apoſtoli cõmune fidei Symbolum, nempè*

Scripturam Propheticam, juxtà quam docuerunt, Actor.17.24.26. *Ad quàm etiam tanquam normam fidei auditores & diſcipulos ſuos remiſerunt*.2.ad Tim.3.verſ.14.2.Petr.1. 2. *Congregati fuerunt, ante diſperſionem ſuã, & abitum in ſuas provincias, die Pentecoſtes, ubi de formà doctrinæ, effuſione Spiritus ſancti miraculosâ inter ipſos convenit, nec alia prætereà opus fuit.* 3. *Impium eſt, quod* Ieſuita *dicit, Apoſtolos non niſi obiter in Scriptis ſuis diſputationes fidei attigiſſe. Contrarium enim & dicta & argumenta ſuperiùs in Confirmatione recitata docent*, Roman.15.2.Timoth.3.Ioha.20, *Hæc ideo &c. Falſitate igitur utriusq; Propoſitionis demonſtratà, Objectio in fumos abit, manetq;*, Scripturam & neceſſariò editam & ex inſtituto Apoſtolorum, ipſiusq; Spiritus ſancti ideò editam, ut norma fidei & vitæ Chriſtianæ eſſet.

4. Objectio. *In omni Republica benè inſtituta & ordinatà diſtinctæ res ſunt, Lex & Judex. Lex enim docet quid agendum, & Judex legẽ interpretatur, & ſecundum eam homines dirigit.* Ergò, *Scriptura quæ Lex eſt, Judex eſſe non poteſt, vel ſaltem impropriè Judex dicitur, velut interdum à Juriſtis Juſtinianus.* Bellarm.libr.3.de verbo Dei, cap.9. fol.237. Tannerus in Relatione Colloquii Ratisbonenſis, Cap.5. fol.9. &c.

Reſp. *Fatemur eo modo judicem nec eſſe nec dici, quomodo Deus, aut Magiſtratus in cauſſis Politicis Iudex dicitur. Si ergò is tantùm Iudex* Ieſuitis *propriè dicitur, qui oculatus & auritus eſt, locumq; ſuum in judicio occupat, tunc ſanè non tantùm Scriptura, ſed ipſe etiã Deus impropriè Judex dicetur, quod impium. Quare licet Scriptura ſignificatione vocabuli cõmuni & vulgari Judex non dicatur, ſuo tamen modo judicem dici, negari non poteſt, ut paulò antè demonſtravimus.*

In Antecedenti igitur, abuſu Analogiæ à republicâ & judiciis Civilibus ad Eccleſiam ductæ, peccari, nemo non videt. 1. *Enim à formâ Politiæ Monarchica* Jeſuitæ *argumentantur: Cùm Eccleſiæ adminiſtratio non ſit Monarchica, ſed Ariſtocratica, ut alibi demonſtravimus.* Deinde *vitium Collationis in eo conſiſtit, quod exiſtimant, in Eccleſià oculato & aurito Judice viſibili perinde opus eſſe, qui reliquis imperet, & ad obedientiam cogat, atque in Politia: quod nos διαῤῥήδlw negamus. Nullum n. in Eccleſia Dominiũ aut imperiũ fidei locum habet, teſte Apoſtolo Paulo,* 2. Cor. 1. & Petr. 1. Cap. 5. *Si autem Apoſtoli à ſe omne dominium removent in fidẽ auditorum, multò minùs ergò id alijs concedendum eſt. 3. Falſam nobis mentem affingit, quaſi Scripturæ eo modo Judicium tribua-*

buamus, ut differentiam inter judicẽ & vocem judicis prorſus negemus, vel nullum præterea judicem agnoſcamus. Agnoſcimus enim ſupremum judicem Deum, agnoſcimus etiam judicium Eccleſiæ, Doctorum, Paſtorum, & omnium fidelium: Paſtorum quidem, quorum officium eſt ſecundum legem, hoc eſt, *Scripturam auditores dirigere, ut* Bellarmines *rectè loquitur: Auditorum verò omniumq; fideliũ, qui Paſtorum doctrinam & explicationem ſecundum legem examinant, exemplo* Berroënſium, Actor. 17. *Eo ipſo autem, quod ſecundũ legem ab Eccleſia judicium fieri & ſententia ferri debet, legi ſeu Scripturæ in Judicio iſto primæ tribuuntur.*

Tandem ut in Republica & *Civilib. negocijs præter Magiſtratum & Legem Civilem: ita in Civitate Dei, & negocio fidei præter Deum & Scripturam nemo judicijs ita* præeſſe poteſt, *ut eius ſententia neceſſariò, & ſimpliciter acquieſcendum ſit. Et ut Magiſtratus iudicium in Leges, quæ ſupra ipſum ſint, nihil ſtatuere poteſt, ſed earum advocatus & adminiſter eſſe debet: ita nemo hominum, ac ne univerſa quidem Eccleſia in Leges fidei, quæ originem à Deo unicè ducunt, aliquid ſtatuere poteſt: ſed earum perpetuus advocatus & adminiſter eſſe & manere debet.*

PROPOSITIO XXVII.

Hujus autoritatis (Scripturæ) agnoſcendæ, non unum, ſed plura ſunt argumenta, tàm interna & eſſentialia Scripturæ, quàm externa, de quibus ſuprà egimus. Una tamen Eccleſiæ opera & teſtificatione, tanquam uſitato & ordinario medio Deus utitur, quo librum iſtum nobis proponere, & verbum, in Scripturis comprehenſum, cōmendare & docere conſtituit.

EXPLICATIO.

Nota eſt diſtinctio Papiſtarum, *qua abſurdum ſuum, de autoritate Eccleſiæ, quam ſupra Scripturam efferunt, caſtigare & caſtrare ſolent: nempè quod Eccleſia non efficiat, ut Scriptura aliqua Canonica ſit, & divina, ſed quod Canonicā eſſe pronunciet, illiusq́; nobis Judicio innoteſcat, quænàm Scriptura à Spiritu ſancto afflata ſit: Vel hoc modo:* Scripturæ autoritatem non per ſe, & ſimpliciter ab Eccleſiâ dependére, ſed quò ad nos, *hoc eſt,* quòd nos ſcimus', *qui libri in Canonem recipiendi ſint, ex Eccleſiæ judicio dependet.* Andrad. Defenſione Trident. Concil. libr. 3. fol. 475. & 486. Stapletonus *in duplicatione adverſus* Withackerum, Sectione 1. & 4. *Quærimus in hac Controverſiâ, non, quare Scri-*

re Scriptura hæc vel illa ſit Sacra & divina, & unde hoc habeat quòd ſit divina. Bellarm. Tom. 1. Controverſiâ generali 4. de Concil. lib. 2. cap. 12. fol. 151. & 153. *Ac prima quidem fronte, externoq; verborum ſono diſtinctio iſta, nec abſurda omninò, nec incommoda, ſed per eam omnis Controverſia ac diſputatio inter nos & Pontificios jam ſublata eſſe videtur. Siquidem nos ipſi Eccleſiæ, miniſterium, ad agnitionem verbi divini, ex ſingulari ordinatione, & ſanctione Dei, tàm neceſſariam ducimus, quàm ad fidem & Converſionem hominis, quæ fit voce miniſterij,* Rom. 10. Luc. 8. 1. Cor. 4. 2. Corint. 6. *Nec enim quicquam cum* Enthuſiaſtis, *alijsq; hominibus fanaticis commune, vel unquam habuimus, vel habere volumus.*

Quare ſi eo ſenſu *à Pontificijs diſtinctio acciperetur, res jam compoſita, ac inter nos Cōcordia ſancita eſſet. Verùm in explicatione diſtinctionis animus eorum ſeſe prodit, quòd non ita apertè & ſimpliciter cauſſam hanc agant, ſicut videri volunt, ſed quòd veteres errores & blaſphemias* Pighii, Hoſii, Eccii, & Hermanni, *ſub terminorum involucris ſenſuq; ambiguo occultent: Id quod proprijs ipſorum verbis demonſtrabimus.* Primum *itaq; membrum diſtinctionis eſt:* Eccleſia non efficit, *ut Scriptura Canonica.* Non facit, *ut*

S 5 *ipſi*

ipſi libri ſacri ac divini Spiritus fœtus ſint. Stapletonus Sectione 2. dupl: *ſuæ*: Scripturæ autoritas non per ſe ab Eccleſiâ dependet, non in ſeipsâ hanc autoritatem ab Eccleſiâ habet.

Quibus verbis *etſi magnificè de Scripturæ dignitate loqui videntur, quod dignitatem & majeſtatem eius ad auctorem Spiritum ſanctum referunt: ita tamen maieſtatem illam includunt & recondunt in Scripturam, ut ea ad ſui vindicationem nil quicquam per ſe conferat, ſed planè* ἀργὸς λόγος, otioſus, ignavus & mutus ſermo ſit, & propterea unius Eccleſiæ advocatione & auxilio *in lucem prodire & conſpicuus eſſe poſſit.*

Alternm membrũ diſtictionis eſt: *quod* Eccleſia pronunciet, *hos libros eſſe Canonicos* & illius judicio nobis innoteſcat, *quæ Scripturæ Spiritu ſancto afflatæ ſint: quod Scripturæ autoritas ab Eccleſià dependeat*, quò ad nos, & non aliunde nobis niſi ex Eccleſia Constare, *quòd hæc Scriptura divina ſit.*

Hîc attendendum eſt *ad verba illa, Eccleſiam pronunciare: Iudicio eius innoteſcere, dependere & conſtare ex Eccleſia, quæ Scriptura Canonica ſit*: Ea enim non Communiter & διακονικῶς accpiunt Pontificii, ſed planè prætoriè δικαστικῶς. *Ita námque* Stapletonus *in duplicatione ſua contra* Withacke-

thackerum, Sectione 9. *ea interpretatur Quid eſt, ait, eas (Scripturas) promulgare alijs & commendare,* Nisi Id Efficere, *ut ab alijs certò intelligatur, eas à Deo prodijſſe: Certò inquam intelligatur,* quia Eccleſiæ teſtimonium ab omnibus ſuſcipi oportet. *Et* Cap. 5. Sectione 1. *Judicium hoc ita authenticum eſſe vult, ut qui propter Eccleſiæ vocem Judicium & teſtimonium id non credat amplìus, Chriſtianus eſſe deſinat. Et* Andradii *vox nota eſt,* lib. 2. Defenſ. Concil. Trident. fol. 257. de quâ ſuprà Propoſitione 24. Confirmatione 1. fol. 175. *Quare etſi aliquando voculâ inſtrumentali* (per Eccleſiam nos accipere & credere verbo) *utuntur, & ita nobiſcum loquuntur, faciũt tamen id cùm perpetuâ iſtâ appendice,* nos ſcilicet per Eccleſiam ita accipere Scripturam, ut propter Eccleſiæ vocem & autoritatem *Scripturæ fides & autoritas divina inter nos & in nobis Cõcilietur, & idcircò Scriptura pro divinà à nobis haberi & credi debeat,* quia ita Eccleſia vult, edixit & cõſtituit. *Quâ de re clara ſunt verba* Andradii *antè citata. Et* Bellarm. lib. 4. cap. 2. Controverſia generali 4. fol. 268. Scriptura, *ait,* pendet ab Eccleſiâ, non contrà. *Et* Stapleton. Cap. 8. Sect. 18. dupl: *Sacræ Scripturæ, ait,* libros Canonicos ab Eccleſiæ autoritate accipimus. Et ut Has

esse

esse Scripturas Canonicas, certò credamus, Eccleſiæ autoritas fecit. Quo enim infallibiliter docente aliquid credimus, eius haud dubiè autoritate credimus. *Sect. 6. Cap. 2.* Eccleſia Facit, ut Scripturæ pro veris habeantur. *Nunc igitur, quæ ſit Pontificiorum ſententia, & quid ſub vocabulis iſtis forenſibus occultent, habemus. Nempè, quòd Scriptura ipſa ſibi ad fidem faciendam, & debitam autoritatem ac certitudinem dogmatib. in ipſa comprehenſis conciliandam & aſſerendam planè in efficax ſit,* & idcircò non niſi ad Eccleſiæ authenticum judicium, & autoritatem multò *evidentiorem, ſit confugiendum, quâ unà conſtet & efficiatur, quicquid fidei & autoritatis Scriptura ac doctrina in Scriptura cōprehenſa, tribui debeat. Quare ut clariſſimis agamus verbis:* In iſto Statu Controverſiæ, quem Pontificii ſuis verbis exprimunt, non de miniſterio Eccleſiæ ac officio Concionatoris ſeu paſtoris agitur: Non de demonſtratione hiſtoriæ & certitudine actorum, rerumq; geſtarum, quæ in Scripturis deſcribũtur: ſed de ratione & ꝓbatione fidei, de fundamentis & argumẽtis religionis, quibus probatur, *quòd hæc Scriptura hoc verbum, hæc doctrina & fides in Scripturà comprehenſa* certò & immediatè à Deo originem ducat, & Prophetis & Aopoſto-

Apoſtolis inſpirata ſit. *Hîc ſi quæras à Pontificio aliquo, cur Scripturam ſacram & divinam à Deo inſpiratam eſſe credat, non aliam tibi rationem reddet,* quàm quia Eccleſia ita credit & credere juſſit. Cochlæus *& ex illo* Stapletonus duplic: ſuæ Cap. 2. Sect. 6.

Nobis ergò, *ut circa ſtatum quæſtionis definiendum, rem dextrè accipiamus, neceſſariæ diſtinctiones præmittendæ ſunt, quæ plurimùm faciunt ad explicationem terminorum, quorum ambiguitate aliâs Pontificij & ſibi & alijs turpiſſimè imponunt.* Primò *enim cum de certitudine & autoritate Scripturæ quæritur, de duobus diverſiſſimis Capitibus quæſtio iſta accipi poteſt* : Vel enim de certitudine hiſtoriæ, & actorum ſeu rerum geſtarum, *quæ in Scripturis commemorantur, quæritur*, an ſcilicet ea certò ita geſta, dicta & facta fuerint, *ſicuti Scriptura teſtatur, & an ab his, quorum nomina inſcripta ſunt, in litteras relata fuerint*; vel autoritate & majeſtate rerum geſtarum quæritur, *an ad Deum autorem referenda, & tanquàm divinitùs inſpirata Scriptura accipienda ſit. Ad Certitudinem & probationem hiſtoriæ fatemur, omninò plurimùm momenti afferre teſtimonium Eccleſiæ, quod inde à primis annis exaratæ Scripturæ perhibet. Et vel unum hoc argumentum adverſarium*, qui fidem hiſtoriæ in Scri-

Scripturis comprehenſæ derogat, *convincere poſſe. Hîc enim nondum eſt quæſtio de fide ſalvificâ, ſed hiſtoricà. At ſi de autoritate & majeſtate eius ſit quæſtio, an ſcilicet ad Deũ autorem referenda ſit Scriptura:* & an ſit verbum ſalutis æternæ. *Hîc verò nihil probare poteſt Eccleſia ſeu multitudo Chriſtianorum proprio ſuo ſuffragio, quia id ipſum ſuffragiũ Eccleſiæ ipſius* Scripturæ internis argumentis, *alijsq; probationibus, vel à cauſſa, vel ab Effecto petitis, demonſtrandum eſt. De quib. ſuperius egimus* Propoſition. 16. & 17. *Deinde verò, cùm non eſt quæſtio, de argumentis Veritatis,* ſed de medio agnoſcendæ veritatis, & majeſtatis Scripturæ externo, hic verò ſolius Eccleſiæ operam & vocem, tanquam ordinarium medium conſtitutum agnoſcimus, *ſiquidem Eccleſiæ hæc provincia à Deo demandata eſt, ut verbum Dei in Scripturis comprehenſum publicè proponat, omnibusq; prædicet & commendet: & qui hoc Eccleſiæ miniſterium negligit, ad agnitionem veritatis nunquam perveniet: veluti ſuperiùs* Theſi 2. & 16. *jam demonſtravimus articulo* Confirmationis 3. pag. 84. *Adverſamur n. & exſecramur planè ſtupiditatem & impietatem* Enthuſiaſtarum, Swenckfeldianorum & Stancari, *qui neglecto hoc Eccleſiæ Miniſterio ſua ſomnia & arcanos raptus ſe-*

quun-

quuntur, quâ de re Theologorum noſtrorum opera & Scripta in luce & oculis omnium verſantur, quib. ſimilia à Pontificijs adhuc hodie exſpectamus. Miniſterium ergò *concedimus Eccleſiæ*, erga Scripturam, non magiſterium: Illudq; non abſolutum, quaſi credendum, *& pro divino accipiendum ſit, quicquid dicat* Eccleſia, ſed limitatum omninò, *& ad præſcriptū Verbi ſeu Sacroſanctam normam Script. adſtrictum. Atq; ita ad quæſtionem propoſitam in Theſi noſtrà hac diſtinctione adhibità reſpondetur. Scripturæ ſcilicet divinam autoritatem & majeſtatem ab Eccleſià ne tantillum dependere, ſivé per ſe, ſivé quò ad nos: ſed ex ſolis argumentis illis à cauſſa, à doctrinæ genere, à teſtimonijs, à miraculis, ab effectu ductis docendam eſſe. Conſtare tamen nobis ex Eccleſia de autoritate Scripturæ divinà, tanquam cauſſa miniſtrante, quâ Deus in prædicatione verbi ſui utitur, & per eam veritati & certitudini hiſtoriæ teſtimonium perhibet, quod à primis inde annis oculatà demonſtratione Eccleſia deducit. Argumenta autem & rationes, quibus verbum iſtud divinum eſſe, oſtendit non aliunde, niſi ex ipſis Scripturæ fundamentis derivare popoteſt: Inſanientibus interim* Enthuſiaſtis, *qui ſine hoc medio, & ſine voce Eccleſiæ, ex Scriptura de Scriptura teſtante, agnitionem Dei & verbi eius quærunt.*

Con-

Confirmatio
ἀποφαλική,

Confirmatio primi, Eccleſię vocem, ne reſpectu noſtri quidem argumentum eſſe, quo divina Scripturæ autoritas nitatur.

A*Rgumenta* ſuprà *in Confirmatione Propoſitionis 17. propoſita ſunt, quibus iſta ſubſternimus.*

Primum ab Antitheſi.

Eccleſiam ſuam *autoritatem & dignitatem ex Scriptura demonſtrare & derivare oportet. Ergò Scripturæ autoritas, ab Eccleſiæ teſtimonio ſeu* voce, etiam quò ad nos, *non dependet.*

Antecedens exemplo *& teſtimonio Pontificiorum clariſſimè docetur. Nam ſi quæras ex ipſis cur arbitrentur ſe & Eccleſiam eſſe, & Romanam aliarum Eccleſiarum magiſtram, omneq; id tanquam verbum Dei accipiendũ eſſe, quod à Pontifice Romano decernitur, illicò dicta Scripturæ proferunt,* Roma. 1. verſ. 8. *quia fides veſtra (intelligunt ipſi Pontificiam) annunciatur in univerſo mundo,* Johan. 16. verſ. 12. & 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos* (ſcilicet Pontificem) *omnem Veritatem.*

Matth. 16.

Matth.16.verſ.18. *Ego dico tibi, quia tu*(hoc eſt, Papa) *es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferorũ non prævalebunt adverſus eam.* Matth.18.✝.17. *Dic Eccleſiæ* (hoc eſt, Romanæ, id eſt Papæ & Prælatis, qui repræſentat totam Eccleſiam) *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & Publicanus*, Joh.21. verſ.15.16.&17. *Ter dicit Chriſtus ad Petrum, Paſce ovas meas, & agnos meos. Et quia quæcunq; dicta ſunt Petro ſub perſona Petri ad Pontifices Romanos ſpectant ac pertinent, univerſa itaq; Eccleſia, tàm oves*, hoc eſt, *Judæi, quàm agni*, hoc eſt, *gentes*, Papæ *imperio & arbitrio ſubjecta eſt.*

II. Si teſtimonum *alicujus cætus aut multitudinis hominum, ad probandam divinam autoritatem & majeſtatem religionis ſuæ valet, ut propterea divina eſſe credatur relligio, quia tot homines id dicunt & aſſeverant: Tum quæ relligio majorem apud homines applauſum, & copioſiora ſuffragia habet, reliquis omnibus præferenda, & ſola pro divina habenda erit.*

At poſterius abſurdum *& maximè adverſum religioni ac fidei Chriſtianæ, quæ vix locum in mundo invenit, arctiſſimisq; ſemper terminis, reſpectu Paganiſmi, clauditur, unde etiam Puſillus grex dicitur.*

Ergò ad *probandam divinam autoritatem Scripturæ, Eccleſiæ teſtimonium non valet.*

III. Scriptura Veteris Teſtamenti, *ab Eccleſià Vet. Teſtamenti, autoritatem ſuam non accepit, ut ꝓpterea divina fuiſſet habita, quia Eccleſia eius temporis ita ſenſiſſet aut ſtatuiſſet, ſed propter illuſtrem patefactionem & mi*racula *ac teſtimonia interna. Exemplo eſto unus* Naëman Syrus, 4. Reg. 5. verſ. 15. 11. & 12. *qui fidem verbo Prophetæ habet, non propter perſonam, ſed propter ipſius verbi efficaciam, & externo miraculo & internâ perſuaſione in Corde ipſius teſtificantem.*

Ergò, *nec ab Eccleſia N. Teſtamenti fides & dignitas Scripturæ N. Teſtamẽti dependebit,*

IV. A puritate & ſinceritate Scripturæ. *Id quod errore omni vacat, nõ poteſt autoritatem & argumentum Veritatis ex eo accipere, quod Errori obnoxium eſt. At ſola Scriptura, in divinis omni errore vacat, cùm contrà Eccleſia erroribus obnoxia ſit.*

Ergò, *Scriptura ex Eccleſia autoritatem & argumentum, ſeu probationem Veritatis, accipere non poteſt.*

Connexionem majoris *nemo ſanâ mente præditus negabit:* Antecedens minoris *etiam extra Controverſiam eſt. Conſequens verò hiſtoriâ Eccleſiæ tum Vet. tum Novi Teſtamenti evidentiùs confirmatur, quàm vel cupimus,*

vel

vel Eccleſiæ honorificum eſt. Erravit Eccleſia Iſraelitica: Erravit Judaica: quæ tamen non minùs illuſtres & certas habuerunt promiſſiones, quàm Eccleſia Novi Teſtamenti. Eccleſiam verò in N. Teſtamento ab Erroribus non fuiſſe immunem, exemplum Pontificiorum oſtendit, qui ſuæ Eccleſiæ gremiò univerſalem, & Catholicam omnium fidelium Collectionem, comprehendi & concludi (ſed falsò) *aſſeverant. De univerſali verò defectione ſub tempore* Antichriſti *loquitur Paulus*, 2. Theſſal. 2. *& Chriſtus*, Luc. 18. verſ. 8. *Tàm raram, ait, eſſe futuram fidem in terris tempore adventus ſui, ut Eccleſiam ad paucos Electos, ſub multis varijsq́ue Calamitatibus oppreſſos, redigat.*

V. A ratione & fundamento fidei Chriſtianæ. *Si Scripturæ autoritas reſpectu noſtri ab Eccleſiæ arbitrio & autoritate dependeret, Fides & Salus noſtra ex arbitrio & autoritate hominum dependeret, ac fundamentum merè humanum haberet.*

At poſterius falſum, *impium & Certitudini Salutis ac fidei planè adverſum. Ergò & prius &c.*

Connexio majoris *ipſis verbis Adverſariorum probatur, qui contendunt, nos Scripturæ non niſi propter Eccleſiæ teſtimonium credere, illamq́ue tanquam divinam accipere &*

revereri debere. In quibus verbis Eccleſia & Scriptura, verbum hominum & verbum Dei, mutuò ſibi opponuntur: & quod verbo Dei fides reſpectu noſtri tribuitur, iſtud verbo & teſtimonio humano ſimpliciter vendicatur.

VI. Ab Abſurdo. *Si Scripturæ, quæ comprehendit verbum immediatè à Deo editum & inſpiratum, non niſi propter Eccleſiæ vocem & autoritatem à nobis crederetur, autoritati humanæ plus fidei à nobis tribueretur, quàm autoritati & voci divinæ: ſiquidem propter quod alteri credimus, illud reſpectu noſtri plus fidei meretur.*

At poſterius in Eccleſiâ *Dei & abſurdum & inauditum. Ergò, & prius &c.*

VII. Ab adverſis. Eccleſia eſt exſtructa ſuper fundamenta Scripturæ, Epheſ. 2. verſ. 20. *Ergò Scriptura non dependet ab Eccleſia, ſed contrà Eccleſia à Scriptura dependet. De Scriptura locum Pauli eſſe accipiendum, non infitetur* Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei, cap. 10. fol. 246. *Nec aliter poteſt, niſi de Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum accipi, quia Prophetarum doctrina ab Apoſtolis non alibi, niſi in Scriptura quæſita fuit.* Actor. 26. verſ. 23. &c. Rom. 16.

VIII. A diſtributione hominum. *Si Eccleſiæ teſtimonium argumentum eſt, propter quod Scripturæ credendum, & dogmata eius*

pro

pro divinis habẽda, fidẽ ei faciet vel apud fideles vel infideles. Atqui ad demonſtrandã divinam majeſtatẽ Scriptura contra infideles nihil facit, quia illi ſuorum hominum ſtant teſtimonio, quos majori multò numero Chriſtianis opponere poſſunt: erga fideles ſimiliter; credunt enim iſti Scripturæ propter Deũ, non propter homines. Eccleſiæ ergò teſtimonium argumentum non eſt propter quod Scripturæ credendum, & dogmata eius pro divinis habenda.

IX. Teſtimonium Chryſoſtomi clariſſimum eſt, in hom. 4. Matth. *Ex quo hæreſes, ait, Eccleſiam obtinuerunt nulla probatio poteſt eſſe Chriſtianitatis, neq; refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud, volentium Scripturas cognoſcere veritatem, NISI SCRIPTURÆ DIVINÆ.*

CONFIRMATIO II.

κατασφαλική.

De neceſſitate miniſterii Eccleſiæ.

EA ſuperiùs Propoſition 16. *parte cõfirmationis tertiâ* p. 84. *uno atq; altero argumẽto deducta eſt: nunc ergò ad alia quædã.*

I. Ab expreſſo mandato Chriſti, Matth. 28 Marc. 16. *Euntes docete omnes gentes, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Mandato hoc ſub perſona Apoſtolorum Chriſtus*

ſingulos fideles verbi miniſtros inſtruxit, & ad prædicationem Evangelij ablegavit, per quam ſe efficacem fore recepit. Nec enim unius tantùm ætatis mandatum hoc eſt, ſed univerſale & perpetuum, uſq; ad finem ſeculi perdurans.

Si ergò omnes, *quicunq; ſalvi eſſe cupiũt, ad unicam verbi prædicationem remittuntur, ijsq; omnibus ſalus denegatur, qui hanc prædicationem fuerint averſati: ſequitur, fidem per unicam verbi illius prædicationem, miniſtrorum operâ in Fidelibus plantari & foveri.*

At prius ex mandato *Chriſti atq; annexâ promiſſione & comminatione patet. Ergò & poſterius.*

II. Ab Abſurdo. *Si alia via agnoſcendi Chriſti, & verbi eius data eſſet, quàm per teſtificationem Eccleſiæ, ac miniſtrorum eius, fruſtrà ijs judicium damnationis decerneretur, qui medium iſtud non arripiunt, ſed aliam rationem & viam Salutis quærunt.*

At non fruſtrà *aut iniquè damnantur. Eſt enim hæc ſententia Dei perpetua & juſtiſſima.* Luc.10.verſ.16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit,* Matth.10.verſ.40. *Qui recipit vos, me recipit,* & verſ.14. *Quicunq; non receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros, exeuntes foras, vel de domo, vel de Civitate, excutite pulverem de pedib. veſtris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodome-*

domorum & Gomorræorum in die judicij, quàm illi Civitati. Ergò &c.

III. A fine miniſterii *à Chriſto inſtituti, quem imprimis apertè deſcribit Paulus*, ad Epheſ. 4. verſ. 11. 12. 13. 14. *Et ipſe quoſdam quidem dedit Apoſtolos &c. Alios autem Paſtores & Doctores ad Conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei &c. Vti jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni Vento doctrinæ in nequitia hominum &c. Ex quibus Apoſtoli verbis ita argumentamur:*

Quicunq; ad agnitionem *Chriſti pervenire cupiunt, per unam Paſtorum prædicationem eò deduci oportet. Agnitio Chriſti eſt agnitio Scripturarum. Ergò, quicunq; ad agnitionem Scripturarum pervenire cupiunt, per unam Paſtorum prædicationem eò deducendi ſunt.*

IV. Et iterum. *Ideò inſtitutum eſt miniſterium, ut de Chriſto & verbo eius teſtetur, nec aliud medium revelatum eſt. Ergò una miniſterij prædicatione ad agnitionem Chriſti & verbi eius pervenimus.*

V, 1. Cor. 1. verſ. 21. *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Nulla eſt ſalus niſi per prædicationem mini-*

ſtrorum. Ergò nulla eſt agnitio verbi ſalutis, niſi per prædicationem eorundem.

Ne autem quis dicat, *dictum iſtud, àliaq; eius generis de ſolo miniſterio Apoſtolorum accipienda eſſe, Apoſtolus Paulus* ad Epheſ. 4. *hoc officium & hanc efficaciam prædicationis ad finem uſq; mundi continuat & extendit,* verſ. 10. 11, 12. 13.

VI. A Pari. *Quæ fuit ratio audiendi & agnoſcendi Prophetas in Scripturis tempore Veteris Teſtamenti, ea quoq; & non alia in Novo Teſtamento exiſtit: Ordinem enim ſalutis Deus non mutat.*

At per unius miniſterii *prædicationem audiri & agnoſci Prophetæ in Scripturis potuerunt & debuerunt, ut eſt* Luc. 16. verſ. 29. & 31. *Vbi Deus Moſen & Prophetas cum prædicatione miniſterij expreſſò mandato ita connectit, ut mortuorum apparitionib. eam præferat & omnem aliam rationem ſeu viam ſalutis deneget & obſtruat. Ergò ea & non alia ratio in Novo Teſtamento quoq; eſt.*

VII. A contrariis. *Vbicunq; eſt contemptus* Dei, *ibi nec fides, nec ulla ibi verbi divini ſalutaris agnitio locum habet. At in omnibus ijs, qui miniſterij ordinariâ opera uti nolunt, eſt contemptus Dei,* Luc. 10. verſ. 16.

Ergò, *nulla vel fides vel ſalutaris verbi divini agnitio in ijs eſſe poteſt.*

VIII. Hoc

VIII. Hoc ipſo privilegio *Deus Eccleſiam ſuam exornavit, ut uni illi Verbum ſuum commiſerit, & cuſtodiendum tradiderit,* Pſalm.147.verſ.19.& 20. *Qui annunciat verbum ſuum* Jacob, Juſtitias & Judicia *ſua Iſraël, non taliter fecit omni nationi, & Judicia ſua non manifeſtavit eis.* Deut.4.ver.6. & 7. *Hæc eſt n. veſtra ſapientia &c. nec eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deus appropinquantes ſibi. Ergò ab unâ Eccleſiâ hoc verbum petendum & requirendum eſt.*

IX. Exemplis & Parabolis *hunc eundem effectum & fructum miniſterij Chriſtus evidentiſſimè docuit, Exemplo* Lidiæ, Actor.16. Cornelii, Actor.10 *Qui cùm miniſterij opera ad agnitionem Veritatis pervenerunt, via utique alia nemini eſt reliqua. De ſemine.* Matth.13.Luc.8.

CONTRA.

OBjectiones Pontificiorum in 7.Cap. *de Interpretatione Scripturæ, in quem locum eas ſine ordine congeſſit* Bellarminus, *excutiemus.* Swenckfeldianorum & Enthuſiaſtarum *Objectiones contra prædicationem verbi, quod attinet, ea ex ſuperioribus facilè dilui poſſunt, & in loco de miniſterio commodius tractantur.*

PROPOSITIO XXVIII.

ITA ergò Eccleſia de Scriptura teſtatur, ut

argumenta teſtimonii ſui deſumat & explicet ex ipsâ Scripturâ, ad quam Chriſtianos omnes & ſingulos agnoſcendæ Veritatis & Salutis cauſſa remittit. Nec enim obſcuri & incerti ſenſus eſt Scriptura, ſed hæc ei laus omninò debetur, quòd in Articulis & Capitibus doctrinæ ſalutis ita perſpicuè loquatur, ut lectorem pium & attentum, in veritate feliciſſimè ſemper & ſufficientiſſimè inſtruere, ac cõtra omnes pernicioſos damnatosque errores, quàm certiſſimum de ſua fide & ſalute reddere poſſit.

EXPLICATIO.

THesi iſtâ 6. Quæſtio, *quæ eſt de perſpicuitate & obſcuritate Scripturæ excutitur. Nam ut Pontificij obtinerent nec utilem nec licitam eſſe Laicis ſeu Idiotis Scripturarum lectionẽ, nihil, quod ad earum contemtum facere potuit, intentatum reliquerunt. Quare & hoc nomine Scripturas accuſarunt, eas ita obſcuras eſſe, ut ſola ac nuda à nemine cum fructu legi, aut ſenſus ex ijs certus erui poſſit, ſed ſcrinium pectoris Pontificij recludendum, Conciliorum Decreta requirenda, Patrumq; explicationes conſulendas eſſe.* Hanc enim eſſe amuſſim & regulam veri ſenſus Scripturarum, nempè videre, quomodo

modo eas Eccleſia Romana explicet. *Eo verò auxilio cum ſimpliciores ac tenuiores in cœtu Chriſtianorum deſtituti ſint, neq́ vel per ocium vel per ſimplicitatem in ingentia illa voluminum & Commentariorum plauſtra inquirere ipſis licitum ſit, nullis præterea argumentis Pontificio Satellitio opus fuit, ad excutienda Biblia è manibus hominum, tyrannidemq́ & Idolomaniam* Antichriſtianam *ſtabiliendam,*

Ex his igitur ſcopus & *mens Theſeos noſtra ſatis liquet, tùm etiam, quæ deinceps nobis explicanda reſtant, videlicet*, Num Scripturarum in explicatione Capitum & Articulorum religionis Chriſtianæ tanta ſit obſcuritas, ut nec ſolæ cum fructu legi, neque inde certa & definita ſententia immediatè colligi queat.

II. Tùm deinde *quæ ſit regula ſeu norma veræ ſentẽtiæ ac interpretationis Scripturarũ.*

III. De adminiculis & *inſtrumentis ad verum intellectum Scripturarum neceſſarijs.*

IV. An interpretationes *Scripturarum ſint neceſſariæ & utiles.*

V. Quid de Patrum & *Conciliorum interpretatione ſit ſentiendum.*

Quæ Capita quæſtionum *ab Autore* Margaritæ, quæſt. 7. *de inſtrumentis ad diſcendam Scripturam & doctrinam Chriſtianam*

nam miniſtro Eccleſiæ neceſſariỹs, & decimâ, de Scriptis Patrum & Conciliorum Decretis. ac in altero errore Pontificiorum Satellitum breviter attinguntur, à nobis verò latiùs paulò juxtà ordinem hactenùs obſervatum enodanda, ſuiſq; argumentis & rationibus confirmanda erunt, ſubjectâ Adverſariarum Objectionum confutatione.

De I. igitur Quæſtione primo loco agemus: *nempè de perſpicuitate & obſcuritate Scripturæ, ubi antitheſis ſententiæ veræ & falſæ, & quid potiſſimum in diſceptationem inter nos & Pontificios veniat, obſervandum eſt.* Nos in Articulis fidei tradendis Scripturam per ſe claram & perſpicuam eſſe; Pontificii nec claram nec perſpicuam, ſed obſcuram ac ſenſu ambiguam, & intellectu difficilimam eſſe contendunt. *Nos cauſſam obſcuritatis & ignorantiæ, ſi qua occurrit,* non in ipsâ Scriptura, ſed in hominibus quærendam: *Pontificỹ cauſſam obſcuritatis & ignorantiæ* ipſi Scripturæ *imputandam cenſent. Vt igitur antitheſis ſeu pugna καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως Pontificiæ rectè percipiatur, notandum &c.*

I. Non de univerſa Scripturâ *& quibusvis eius membris aut particulis, ſed tantùm de articulis Chriſtianæ religionis, ad ſalutem cognitu neceſſariỹs, agi.*

II. Ne-

II. Neque hæc eſt ſententia *noſtra, quòd, ubicunq; Scriptura de Articulis fidei loquatur, ibi etiam claris, proprijs, perſpicuis*, & ſimplicibus ſemper Vocabulis utatur, *ſed quod nullus ſit fidei Articulus,* qui non alicubi in Scriptura claris, *proprijs, perſpicuis & ſimpliciſſimis proponatur & explicetur Verbis: ibi præſertim, ubi ſedes cuiusvis articuli propria & domeſtica eſt.*

III. Inter perſpicuitatem ac facilitatem verborum, ac rerum ipſarum diſtinguimus. *Rem ipſam non tantùm difficilimam, verùm propter ſublimitatem, nec cōprehenſibilem quidem eſſe humanæ menti, & fatemur, & docemus: ſiquidem omnes fidei Articuli non tantùm obſcuri, ſed & natura ignoti nobis planè ſunt. At poſtquàm in Scriptura ij revelati & exarati ſunt*, de ipſo medio revelationis, ac ut ita loquamur, τρόπῳ παιδείας ſeu modo docendi, *nempè littera ac verbis Scripturæ eſt quæſtio: Quo reſpectu Scripturam ita perſpicuam & dilucidam aſſeveramus, ut ab omnibus legi, & ſenſus verborū diligenter attendenti manifeſtus eſſe queat.*

IV. Inter cognitionem *ſeu intelligentiam etiam Scripturæ diſtinguendum eſt:* Alia enim eſt literæ ipſius nuda cognitio ſeu noticia, alia autem Veritatis per litteram revelatæ in Corde agnitio, *quæ etſi cum illâ*

ſemper

ſemper, in credentibus & renatis conjuncta eſt, non tamẽ à noſtro arbitrio, ſtudio, labcre, prudentia & ſapientià dependet, ſed merum donum eſt Dei, intùs Corda noſtra aperientis & illuminantis. Litteræ autem noticia non renatis & incredulis etiam cõmunis eſſe poteſt, Cordibus ipſorum nihilominus ingenti rerum Caligine & dubitatione occupatis. Duæ iſtæ diſtinctiones teſtimonijs & Exemplis Scripturæ manifeſtis nituntur. Feſti, Actor. 25. verſ. 19. *Cui quæſtio inter Paulum & Judæos ſecundum litteram probè cognita erat: ſed an verè & rectè doceret Paulus,* JESUM *ſcil: vivere, id verò ſtatuere ſecum non poterat.* Judæornm & Saducæorum &ç. *qui Chriſtum concionantem & diſputantem audierunt, ac intellexerunt, verùm eidem non crediderunt.* Parabola *Chriſti de quadruplici Semine,* Luc. 8. *idem clariſſimè oſtendit. Exemplum Apoſtolorum, quibus ob præconceptã falſam de Meſſia opinionem, Concio Chriſti de paſſione ſecũdum litteram evidentiſſima, planè erat incognita & incredibilis. Quin etiam David ſuo Exemplo idem confirmat, cùm precatur, ut Deus ſibi det intellectum, ubi profectò non de litteræ noticià & Grammatico ſenſu ſeu intellectu agit, ſed de intellectu fidei ac Veritatis agnitione ſalutari ac Deo gratà: ut ſcilicet tenebris Carnis depulſis, Spiritus illuminatio ſemper illuſtrior fiat & efficacior.*

V. Neq; tàm de rivulis *Verſionum*, *quàm de fontium perſpicuitate hîc agitur. Fatemur enim in Verſionibus (obvernaculum dicendi genus neglectum) multa eſſe obſcuriora, quæ in fontibus ſunt manifeſtiſſima.*

VI. Perſpicuitatem & facilitatem non *Commentarijs*, *non explicationi Eccleſiaſticæ opponimus, quaſi Commentaria nec utilia, nec neceſſaria cenſeamus, ſed accuſationi tantùm Pontificiæ, qua Scripturam obſcuritatis ideò inſimulant, quia ambigui ſit & incerti ſenſus, qui ex Patrum & Conciliorum demum Decretis, Pontificum Statutis, Eccleſiaſticis Traditionibus ſit determinandus & definiendus. Nunc ad confirmationem.*

CONFIRMATIO

I. ARGUMENTUM.

A Mandato Dei, *qui lectionem Bibliorum omnib. promiſcuè præcepit.* Deuter. 6. verſ. 6. 8. 9. & 17. verſ. 18. 19. & 27. verſ. 1. 2. 3. 8. & 31. verſ. 11. 12. Johan. 5. verſ. 39. *Cujus lectio omnib. demandata eſt, illud legentibus haud ita obſcurum erit, ut inde certam ſententiam deprehendere nequeant.*

At Bibliorum lectio *omnibus demandata eſt. Ergò &c. Connexio majoris evidens eſt, Cur enim id ad legendum proponeretur, cuius non poſſet ex lectione certa noticia impetrari aut ſententia certa elici. Fruſtrà enim legitur,*

tur, cujus ſententia arcana, occulta & incerta eſt. Eſa. 29. verſ. 11. & 12.

II. ARGVMENT.

A fine mandati. *Ideò Lectio mandatur & inſtituitur, ut inde fructus aliquis ad lectorem redeat, propter quem lectio ſuſcipitur. At fructus iſte ad lectorem redire non poteſt, niſi ex Scripturâ intellectâ. Quod enim latet, illius nullus uſus eſſe poteſt. Ergò, ideò mandatur lectio Scripturæ, quia obſcura non eſt.*

III. ARGVMENTVM.

A dedicatione Scripturæ & Epiſtolarum inprimis Apoſtolicarum. *Scriptura univerſæ Eccleſiæ dicata eſt. Ergò ita exarata, ut ſenſus eius in Capitibus fidei neceſſarijs certus & perſpicuus cuivis attentè eam legenti eſſe queat. Ac Paulus quidem* ad Epheſ. 3. verſ. 3. *ait: Epheſios legentes Epiſtolas ſuas intelligere poſſe prudentiam Apoſtoli in myſterio Chriſti. Si ergò tanta eſt claritas & evidentia Scripturæ, ut legentes fideles* inde de ſcientiâ Apoſtolicâ *judicare poſſint ac debeant, ſequitur Scripturam nequaquam obſcuri & incerti ſenſus eſſe poſſe.*

At prius affirmat Paulus. *Ergò & poſterius.*

IV. ARGVMENTVM.

A fine promulgationis verbi divini, qui à Moſe ipſo exprimitur. Deuter. 30. verſ. 11. 12, 13.

12.13.14.15.& 16. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non ſuprà te, neque procul poſitum, nec in celo ſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad celum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atq; opere compleamus: neq; trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſq; deferre, ut poſſimus audire & facere, quod præceptum eſt. Sed juxtà te eſt ſermo valdè, in ore tuo, ut facias illum, conſidera, quod hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum. Quæ ſententia repetitur ab Apoſtolo Paulo,* Rom.10.verſ.6. *Vbi obſervandum eſt, non de aliqua parte tantùm verbi, nempè lege, ſed de univerſo opere verbi divini in genere ſermonem eſſe. Id quod & vocabula ſeu termini Moſis, quibus utitur,* (ut ſunt præcepta, Ceremoniæ & judicia Domini, quæ pœnitentiam & Converſionem operantur) *& ipſa explicatio Pauli,* Roman. 10. *luculentiſſimè oſtendit.* 2. *Loquitur Moſes & de* audiendo & faciendo, *atq; prætereà ex auditu iſto Judæis, omnem ignorantiæ prætextum adimit. Quare auditus iſte noticiam ſeu intelligentiā verbi conjunctam habet, aliâs enim non valeret argumētum Moſis adverſus Judæos ab auditu ductum, hoc modo: Vos Iſraelitæ audiſtis verbum. Ergò nullam inobedientiæ excuſationem habere poteſtis.*

V 3. *Ait*

3. *Ait Moſes, hoc verbum in ore & Corde Iſraelitarum eſſe. Quod verò in ore & Corde noſtro eſt,* hoc eſt, *quod credimus & profitemur, illud obſcurum & ignotum nobis eſſe nequit.* 4. *Moſi non cum Sacerdotibus tantùm, ſed cum univerſa Iſraëlitarum multitudine hîc res eſt, quib. verbi divini evidentiam commendat, quod in Scripturas jam relatum erat, ut patet ex hiſtoria,* Exod. 24. verſ. 5. Concludimus itaque:

Quod ideò promulgatur *ac in medium univerſæ Concionis ſeu cœtus alicujus proponitur, ut ſine diſcrimine & immediatè ab omnib. audiatur, celebretur, credatur & obſervetur, illius ſententia obſcura aut incerta eſſe nequit.*

At Scriptura ideò *promulgatur & in medium &c. Ergò &c. Connexio majoris evidens eſt: Quî enim aliquid rectè proponi & omnib. immediatè obſervandum injungi poſſet, cuius ſenſus ſecundum ipſum verborum ſonum obſcurus & incertus eſſet, abſurdum hoc, & homine quidem ingenuo, maximè igitur omnium Deo indigniſſium, omnium ſalutis cupientiſſimo.*

V. ARGVMENTVM.

Ab Epithetis, *quæ Scripturæ ferè ab effecto & ſimilis tribuuntur.* Pſalm. 19. verſ. 8. & 9. *Lex Domini immaculata convertens ani-*

mas.

mas. Teſtimonium Domini fidele Sapientiam præſtans parvulis: Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes Corda, Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Pſalm. 119. verſ. 105. 130. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Proverb. 6. verſ. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* 2. Petr. 1. verſ. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. In quibus dictis non tantùm ſumma perſpicuitas & lux Scripturæ*, quam in ſe habet, ſed etim ſingulare quoddam opus ſeu ἐνέργεια, *& vis quædam perſpicuitatis iſtius commendatur*, nempè quòd ſit perſpicuitas illuminans, imperitos erudiens ac ignorantiæ tenebras à mente humanâ depellens. *Quod effectum, de ſpirituali & ſalutari veritatis agnitione ac luce, intelligendum eſt: Ea enim noſtri laboris & induſtriæ opus non eſt, ſed hoc recepit Deus, ut per diligentem Scripturarum lectionem, ac Verbi conſiderationem ac meditationem, Cor humanum aperire, ac luce intelligentiæ illuſtrare velit, A quo opere ſeu Virtute verbi ad perſpicuitatem litteræ, tanquam à majori ad minus, à conſequente ad antecedens, ab effectu ad cauſſam validiſſimè concludimus, hoc modo:*

Si Scriptura ejuſmodi *lux eſt, quæ mentẽ illuſtrat, tenebras ignorantiæ ſpiritualis diſpellit, multò magis in ſenſu externo, quam litteræ oſtendit, non involuta aut incerta erit. Ratio Connexionis evidens, quia lux ſpiritualis cognitione litteræ poſterior, & quod ignorantiam rerum tollit, neceſſum eſt, ut ignorantiæ etiam prius litteræ medeatur.*

At prius. *Ergò & poſterius.*

Cum hoc argumento *ſecundum huius loci conſentit.* Bellarminus *autem duas affert reſponſiones, quibus ſe elabi poſſe exiſtimat.* 1. *Loca iſta de præceptis Decalogi loqui:* Verùm *à Paulo iterùm redarguitur, qui* Pſalm. 19 in Epiſt. ad Rom 10. cap. *de verbo Apoſtolorum & Concione Euangelij expreſſè interpretatur: & verba Prophetica etiam per ſe expreſſa ſunt, ſiquidem de doctrinâ convertẽte, & conſolante loquuntur. At hoc proprium Euangelij effectum eſt. Non ergò de lege tantùm, ſed in genere de Euangelio etiã loquitur.*

2. Dicit Jeſuita, *Scripturam vocari lucẽ; non quòd facilè intelligatur, ſed quòd intellecta cùm fuerit, mentem illuſtret. Sed reſpondemus,* Jeſuitam *ſibi adverſum eſſe. Nam ſi Scriptura non illuſtrat mentem ſpirituali luce, niſi priùs intellecta. Ergò neceſſum eſt, ut lux illa ſecundũ litteram omnib. in medio poſita ſit, ut quamvis luce illâ ſpirituali non fruantur,*

antur, niſi intelligentes; Scriptura tamen ipſius culpâ nemo à luce iſta arceatur. Vt taceamus, quod Scriptura non demum intellecta lux ſit, ſed talis lux, quæ ſua naturâ illuminat, & lucem iſtam omnib. præfert, intellectum etiam dat parvulis. Pſalm. 119. *Vnde Apoſtoli etiam & doctrina ipſorum lux mundi dicuntur* Eph. 3.9. Matth. 5.

VI. ARGVMENTVM.

Eſt verò adhuc *alia loci Petrini Emphaſis diligenter obſervanda, quòd nempè Petrus, ut & Pſalmi de Propheticâ Scripturâ loquãtur, & moneant non Sacerdotes tantùm, ſed omnes omninò Chriſtianos & fideles (quibus ſuam Epiſtolam nuncupat Petrus) ut attendant ad eam Scripturam, tanquam ad lucernam lucentem in caliginoſo loco, omnesq; tenebras ignorantiæ ſpiritualis diſcutientem. Hinc ergò iterum Concludimus:*

Si Scriptura *Vet. Teſtamenti, ad eam attendentibus, lucem ad effugiendos errores, & ad Viam vitæ æternæ* præfert*, multò magis Scriptura N. Teſtamenti hoc faciet.* At priùs. *Ergò & poſterius.*

Porrò Scriptura *in eum finem data eſt, ut omnibus attendentibus ad effugiendam errorum Caliginem, facem præferat & tenebras ignorantiæ abſtergat. Ergò, Scriptura in articulis fidei ad ſalutem neceſſarijs maximè lu-*

cida & perſpicua eſt. *Neq; valet quod* Bellarminus *uerũ ait*, Scripturam intellectam demum illuminare. *Longè n. alius ſenſus eſt dictorum Scripturæ*, in quibus lux Caligini & ignorantiæ humanæ opponitur. *Ergò, non hic tantùm eius uſus eſt*, ut jam aliquantum illuminatos magis illuminet: ſed ut in tenebris ignorantiæ hærentes illuminet.

VII. ARGVMENTVM.

A diverſitate auditorum & *lectorũ Scripturæ, quos in duas Claſſes diſtribuit Apoſtolus*, 2.Cor.4. verſ 3. *Si opertum eſt Euangelium noſtrum, ijs qui pereunt opertum eſt.* Concludimus:

Nemini opertum eſt *Euangelium, præter impios contemtores, qui pereunt, & Sacras literas vel planè non curant, vel occupati prius erroribus, & obſtinato malitià animo, eas obiter tantum adſpiciunt. Ergò per ſe Scriptura, circa articulos ſalutis, lucidiſſima & clariſſima eſt. Et quod non omnes veritatis agnitionem inde conſequuntur, non Scripturarum obſcuritati: ſed impietati hominum debetur.*

VIII. ARGVMENT.

Omnium articulorum fidei (*quorum ſumma in Catecheticis libellis cõprehenſa eſt*) *ac Capitum doctrinæ Chriſtianæ perſpicua fundamenta & teſtimonia in Scripturis oſtendi poſ-*

di poſſunt, indéq; à Chriſto, Apoſtolis, piisq; Eccleſiæ Doctoribus ſemper prolata & oſtenſa ſunt; quotieſcunq; Controverſia de aliquo Articulo incidit. Ergò Scriptura in articulis fidei tradendis clara & perſpicua eſt. Conſequentia manifeſta eſt: Nam quod ignotum & incertum eſt, per notius & certius ſemper probari debet. Nulla enim certitudo probationis in mente noſtra ex re obſcurà, ambiguâ & non intellectâ eſſe poteſt.

IX. ARGVMENTVM.

Ab eadem gratiâ *Spiritus in procuranda & juvanda Salute Eccleſiæ.*

Syllogiſmus.

Quo modo primitiva *Eccleſiâ legere & intelligere Scripturas potuit, eo etiam omni tempore, & adhuc hodiè Eccleſia eas legere & intelligere poteſt* (probatio) eundem enim adhuc fidei Spiritum Eccleſia Catholica habet, *quem in ſui principio ſemel accepit.*

At legere & intelligere *potuit Scripturas nudas & ſimplices ac ſine Commentariis, quibus annos bene multos caruit. Ergò eodem Spiritu adhuc hodiè id poteſt. Argumentum eſt* Lutheri, Tom. 2 Jenenſ. Latino, fol. 249. contra Bullam Leonis. *Reſpondet* Bellarminus, *Patres & fideles adiiſſe Cõmentarios vivos Apoſtolos. Verum cavillantẽ* Bellarminum *refutat Paulus ipſe, qui ait, Epheſios le-*

gentes intelligere. ad Epheſ.3 ver.4. *& Corinthios legere & cognoſcere,* 2.Cor.1. verſ. 13.& *Petrus ait, rectè facere eos, qui ad Propheticum ſermonem ſeu Scripturam attendunt: Innuens intelligentiam Scripturæ non ex aliorum demùm opinione & relatione, ſed legendo & attendendo acquiri poſſe.*

X. ARGVMENTVM.

Roman.15.verſ.4. *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Joh.20. verſ.31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia* JESUS *eſt* CHRISTUS *Filius Dei:* quibus dictis uſus & finis Scripturarum ejuſmodi exprimitur: *ut legentes inde erudiantur & doctrinam, fidem ac cognitionem* JESU CHRISTI *haurire queant.* Concludimus itaque:

Ideò ſcriptæ & exaratæ *ſunt Sacræ literæ, ut inde legentes doctrinam, Conſolationem & cognitionem* JESU CHRISTI *petamus & accipiamus.*

At doctrina, *Conſolatio & Cognitio non poteſt eſſe, niſi ex Scriptura intellecta. Ergò ideò ſcriptæ ſunt & exaratæ Sacræ literæ, ut eas, quantum ad doctrinam, Conſolationem & cognitionem Chriſti attinet, omnes attento animo legentes intelligere, certumq; ex verbis eius ſenſum colligere queant.*

XI. AR-

XI. ARGVMENT.

Si in Scripturis, *ad univerſalem Eccleſiarum multitudinem exarandis, Apoſtoli non eâdem perſpicuitate & certitudine verborum uſi eſſent, quâ uſi ſunt in Concionibus, non eadem fide verbum ſcriptis reliquiſſent, quâ fide, ſermone tradidiſſent.*

At poſteriùs abſurdum, *eoq; magis abſurdum, qui Scripturæ uſus latiùs & longiùs ſeſe extendit, quàm Concionum & Sermonum. Conciones enim & ſermones Apoſtolorũ, non niſi unius ætatis homines, auribus excipere potuerunt, ex ore Apoſtolorum, cùm tamen Scripturæ omnibus omnium ætatum & ſeculorum Eccleſiis, indè à primo exordio & origine, uſq; ad finẽ mundi, dicatæ & nuncupatæ ſint. Quare ſi Conciones de Articulis fidei, ad unum aliquem Cœtum, eâ perſpicuitate habitæ fuerunt, ut nemo ex auditoribus, de ullà obſcuritate meritò conqueri potuerit, aut debuerit, multò magis igitur ex officio & inſtituto Apoſtolorum fuit, ut Scripturæ hac eadem perſpicuitate, circa eoſdem fidei Articulos, Eccleſiæ proponerentur. Neq; eſt, quòd hic ad traditionum Collyrium confugiant Pontificij.* Nunc enim ſepoſitis traditionibus, quibus alii quidam articuli (*fatentibus Adverſarijs*) *in Scripturâ non comprehenſi, traduntur, de Articulorum ἐγγεγραφων perſpicuitate & intelligentiâ quæritur.*

XII. ARGVMENTVM.

Examen Prophetiarum & *doctrinarum ſecundum Scripturam omnibus eſt commendatum. Ergò Scriptura ita propoſita & exarata erit, ut ab omnibus veritatem amantibus intelligi, & certus inde ſenſus elici queat.*

Antecedens probatur, 1. Theſſ. 5. verſ. 22. *Omnia probate.* Galat. 1. verſ. 7. 8. 9. *Si quis vobis Euangelizaverit prater id quod accepiſtis, anathema ſit.* 1. Cor. 2. verſ. 15. *Spiritualis dijudicat omnia.* Epiſt. Iohan. 2. verſ. 10. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, ne ave ie dixeritis.*

XIII. ARGVMENT.

Quibuſcunq; ratio fidei & *vita, cùm in hoc ſeculo, tum in noviſſimo judicio coram tribunali Dei danda, & quicunq; ex libris Scriptura judicandi & examinandi ſunt, illis utiq; norma fidei, & examinis operum, perſpicua & cognita eſſe potuit ac debuit.*

At ratio fidei & *vita omnibus danda, omneſq; ſecundum unam & ſimplicem normã librorum Scriptura examinandi. Ergò &c.* *Connexio majoris evidens eſt.* Ea enim ſolùm in examinibus exiguntur, quæ nota eſſe & potuerunt & debuerunt. *Minor patet & manifeſta eſt dictis Pauli,* Rom. 2. verſ. 16. Galat. 1. verſ. 9. *quod dictum* Auguſtinus

guſtinus *de Scripturis legalibus & Euangelicus clariſſimè interpretatur*, Tom.7. *contra literas* Petiliani, lib.3 cap 6. Hebr.4. *Vocatur hic ſermo Dei* κριτικὸς, *diſcretor & Judex Cogitationum: Chriſti*, Johan.12.℣ſ.48. Mar.16.ver.16 Apoc 20.ver.12 Eſa.8.℣.20.

XIV. ARGVMENT.

Teſtimonia Patrum *in promtu ſunt plurima, quibus tamen recenſendis tutò ſuperſedere poſſumus, cùm Scripturam tàm perſpicuè nobis ſuffragantem habeamus*. Epiphanius Epiſcopus Conſtantiæ Cypri, 67. *Hareſi Anomæorum* fol 300. Omnia clara ſunt in divina Scriptura his, qui piâ ratiocinatione divinum ſermonem adire volunt, & non Diabolicam operationẽ in ſeipſis conceperunt, ac ſeipſos in Barathrum mortis conjicere conantur. *Clariſſimus etiam eſt locus, quem* Bellarmin. *adducit ex* Chryſoſtomo, Homil 3. de Lazaro reſuſcitato Bellarmin. argum.8. cap.2 libr 3. *Non ad inanem gloriam quemadmodũ Ethnici, ſed ad audiẽtium ſalutem hæc omnia compoſuerunt, quod ab initio dignatus eſt; Deus gratia Spiritus. Siquidem hi, qui ſunt à Chriſto alieni Philoſophi, dicendi artifices, rhetores, ac librorum conſcriptores*, non quod in Commune cõducit, quærentes, *ſed illud ſpectantes*, ut ipſi ſint in admiratione, *etiamſi quid utile dixerint*.

rint, hoc quoq; quemadmodum Caligine quadam Sapientiæ conſueta illis occultavit obſcuritas. Apoſtoli & Prophetæ omnia contrà fecerunt manifeſta claraq; quæ prodiderunt, expoſuerunt nobis velut communes orbis Doctores, ut Per Se quiſque diſcere poſſit, quæ dicantur è Sola Lectione. *Ac non minus perſpicuus eſt locus eiuſdem* Chryſoſtomi, Tom.4.Homil.3.in 2.ad Theſſal.3. Omnia clara ſunt, & plana in Scripturis divinis, quæcunq; neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt. Irenæus *contra* Valentinianos *ait: Regulam Veritatis* (Scripturam) *in aperto eſſe poſitam: ſatisq; ex ipſis conſtare, unum eſſe Deum, qui omnia fabricavit conſervat & procurat*, Andrad, fol. 56. *Commune eſt dictum* Auguſtini, Tom.3. lib.2. de Doctrina Chriſtianâ, Cap.6.dicentis: *Magnificè & ſalubriter Spiritus ſanctus, ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertiorib. fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret.* Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. *Quæ verba de iis eſſe myſteriis intelligenda*, quæ credere hominem neceſſe eſt. ait Andrad. in expl. Orth. lib.2.fol. 56 a. *Id quod nos volumus: Sequitur ergo myſteria fidei omnia in Scripturis perſpicuè eſſe tradita. Adducit etiam* Andradius *locum*,

Epiſt 3.

Epiſt. 3. ad Voluſ. Tom. 3. & Cap. 9. In iis, quæ apertè in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq́; vivendi, ſpem ſcilicet atque charitatem.

CONTRA. I.

A Precibus Sanctorum, *ut Davidis, Pſalm. 119. verſ. 18. 34. 134. Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam. Et: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Item: *Faciem tuam illumina ſuper verbum tuum, & doce me juſtificationes tuas: quæ Davidis preces hunc videntur Syllogiſmum ſuppeditare.*

Cujus revelationem & *intellectum David à Deo precatus eſt, illud verbis & ſententiis adeò obſcurum, & intellectu difficilè eſt, ut ex lectione eius, nulla certa & ſimplex ſententia elici queat.*

At legis intellectum & *revelationem David à Deo petit. Ergò &c.*

Reſp. *Aliud in argumento concluditur: Aliud Scriptura teſtimoniis docetur. Major ergò confuſione diverſiſſimi generis quaſtionum laborat: ſiquidem Antecedens de internâ ac fideli Verbi divini agnitione, illuminationeq́; ſpiritus: Conſequens autem de Cognitione literæ, phraſeos & ſententiæ verborum loquitur. Concedimus intelligentiam*

legis.

legis, ſeu verbi divini ſpiritualem, omninò à Deo peculiari & paternâ revelatione, impetrari & donari. Ac de hac gratioſâ & ſalutari legis intelligentiâ loquitur David in locis adductis. Verùm hoc ad ſtatũ quæſtionis præſentis nil facit. Ubi de intelligentiâ verborum & ſententiâ Scripturæ, quàm juxta literam præ ſe fert, agitur.

2. Committitur *ignoratio Elenchi, quia opponuntur, quæ ſunt inter ſeſe conjunctiſſima alterumq; alterum comitatur. Non enim ſequitur: intellectus Scripturæ petendus eſt à Deo, quippe cuius lectio ardenti voto & precibus ad Deum inchoanda & inſtituenda eſt. Ergò ea eſt obſcuritas & incertitudo ſenſus, ut is per lectionem Scripturarum non poſſit impetrari. Vtrumq; potius Deus requirit: Vult nos legem meditari,* Pſalm. 1. *& Scripturas ſcrutari,* Iohan. 5 *Vult etiam, ut juxta diligentem lectionem, ſimul pro aperiendo ſenſu & intellectu Scripturarum eum rogemus.*

3. Nos ergò inde *contra Pontificios potius argumentamur: Si intellectus in legenda & perveſtiganda lege à ſolo Deo (ad quem fidelibus in precibus ſuis liber acceſſus permiſſus ac mandatus eſt) petendus & expetendus eſt. Ergò fruſtrà ex Patrum Scriptis, &* Papæ *dictis intellectus Scripturarum promittitur: quinimò abſq; Patrum, &* Papæ *adminiculis ſenſus*

ſus Scripturæ à fidelibus obtineri & haberi poterit. Deinde *arrogantia & ſuperbia* Papæ, *dictis Davidicis apertiſſimè detegitur. Nam ſi David intelligentiam Scripturarum à Deo petijt, ignorantiam ſuam ſpontè profeſſus: cur* Papa & Emiſſarii Papę *univerſalem ſibi Scripturarum ſcientiam arrogant, qui in omnibus & ab omnibus propterea velut oraculũ quoddam conſuli volunt? Plúsne ſapiunt iſti in Scripturis, quàm David?*

4. Ad Abſurdum *deducitur eadem argumentatio.* 1. *Si de obſcuritate Scripturarum ſecundum literam & phraſin hoc loco David Propheta ageret: ſequeretur, illum nil planè in Scripturis intellexiſſe, & verba ac phraſin Scripturæ adhuc ignoráſſe, ſiquidem revelationem legis, univerſaliter & in genere à Deo petit.* 2. *Fruſtrà ſtudium & induſtria aliqua in lectione Scripturarum & cognitione Phraſeos poneretur.* 3. *Omnis quicunq; veram loci alicuius ſententiam teneret, à Deo gratioſo fidei lumine donatus eſſet. Illuminatio enim intellectus, quam David petit, juſticiam, fidem, amorem & gratiam Dei in ſeſe complectitur, ut patet ex* verſu 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas,* & verſ. 133. *Greſſus meos dirige, ſecundum eloquium tuum &c.*

5. Error ergò argumenti *hoc modo corrigen-*

gendus: quia ſcil: revelationem & intellectum Scripturarum petit David, ad obſervationem legis. Ergò nec à nobis ipſis eſt, quod intelligimus, credimus & aſſentimur Scripturæ, nec induſtriâ ac virib. noſtris obſervationem legis præſtare poſſumus.

6. Concedimus, *non pauca in Scripturà eſſe arcana & difficilia intellectu, ac propterea Deum pro verà intelligentià Scripturæ orandum. Ergò & hac ratione Objectio* Bellarmini *à ſtatu quæſtionis aliena eſt. Probandum enim eſt* Papiſtis *Scripturã ita obſcuram eſſe in doctrina articulorum fidei, ut nullus inde certus ſenſus elici poſſit, ſed ex Patribus, Pontifice ac Conciliorum Decretis vera intelligentia petenda ſit.*

Tandẽ obiter notari *iſtud volumus, quod vocem legis hic* Jeſuita *pro universà Scripturà accipiat, ut &* Cap. 6. *in ſolutione altera* Object. 1. *Contra in reſponſione ad alteram Objectionem ſeu argumentum noſtrorum ex dicto eiuſdem Pſalmi (Lucerna pedibus meis Verbum tuum)* nomen generale VERBI DIVINI, *de ſola lege audet interpretari.* vid. fol. 308. Nota ergò *hic lector elegantem dictorum* Jeſuiticorum *conſtantiam.*

II. OBIECTIO.

Luc. 24. verſ. 27. & 32. *dicitur Chriſtus interpretatus eſſe & aperuiſſe Scripturas Diſcipulis,*

pulis, pijs & fidelibus Chriſtianis, Act.8.verſ. 31. *Eunuchus Præfectus theſaurarius Reginæ Candaces, ſanctus, pius & humilis, fatetur, ſe non poſſe Scripturas intelligere, niſi quis oſtenderit.* Hinc ita Concludendum eſt.

Ad intelligenda vaticinia *Prophetica de Chriſto, Apoſtoli & Eunuchus interprete & doctore opus habuerunt. Ergò Scriptura ita obſcura eſt, ut inde nequaquam certus Verborum ſenſus elici poſſit.*

Reſp. *Iterum peccari ἀγνοίᾳ τ͂ ἐλέγχου, quod interpretatio textui Scripturæ opponitur, ex quo tamen illa deducenda & derivanda eſt. Deinde in locis adductis de Propheticis Vaticinijs agitur, quorum integra & plena revelatio diei Pentecoſtes & Concioni Apoſtolicæ in N. Teſtamento erat reſervata, teſte Paulo*, ad Epheſ.3.verſ.4. & 5.

Quam Concionem *cùm nondum audiſſet Eunuchus, mirum non fuit, ipſum mentem Prophetæ aſſequi non potuiſſe. Aut ergò quatuor termini ſunt in argumento, aut à particulari ad univerſale proceditur: utrumq; vitioſiſſimè: nec quicquam ad rem pertinens. Non enim hic de vaticinijs, ſed ijs dictis Scripturæ eſt ſermo, quib. Articuli fidei explicitè & ſimpliciter proponuntur. Non de Vet. Teſtamento tantum, ſed de Scriptura Vet. & Novi Teſtamenti.*

X III. Igno-

III. Ignorantia Apoſtolorum *non obſcuritati Scripturæ, ſed præconceptæ opinioni de regno Meſſiæ mundano imputanda eſt.* Præconcepta autem opinio planiſſima quæq; obſcuriſſima facit. *Eunuchus verò licet vaticinia aliqua de Chriſto non intellexit, id tamen Bibliorum lectione, & meditatione percepit, ut verà fide illuminatus & ad Deum converſus fuerit. At hoc eſt, quod nos pugnamus, nempe Scripturæ eam eſſe evidentiã, ut piâ & attentâ lectione ſenſum Spiritus ſancti nobis demonſtret, Cor aperiat, & tantum doceat, quantum ad ſalutem cuiq; fideli neceſſarium eſt; licet non omnia ſtatim aſſequãtur omnes.* 4. *Interpretatione & prædicatione verbi opus eſſe non negamus, ſed ſummam eius neceſſitatem conſtantius urgemus, quàm Pontificij. Nam ideò miniſterium inſtituit Deus, quia Eccleſia Doctorib. & Paſtoribus carere non potuit*, Epheſ.4. *Hoc ergò extra Controverſiam poſito, quæritur num propterea ita obſcura ſit Scriptura, ut certus eius ſenſus aliundè potius ingerendus, quàm inde eruendus ſit? Et non potius interpretationis fundamẽta perſpicua, circa Articulos fidei, in Scripturis exſtent. Tandem Eunuchi exemplum in ipſos Pontificios retorquemus, nam ſi tantum profecit Eunuchus lectione Scripturæ, ut inde verum Deum agnoverit, & ad adorandum et-*

iam Hieroſolymam aſcenderit, Scriptura ergò ita evidens eſt, ut cuilibet, in piâ & attenta lectione, ad agnoſcendam viam ſalutis, clariſſima luce praeat.

III. OBIECTIO.

2. Petr. 3. verſ. 16. ait Petrus: *quædam difficiliora eſſe in Epiſtolis Pauli, quæ indocti & inſtabiles depravant.* Hinc argumentatio.

Quædam ſunt difficiliora in Epiſtolis Pauli. *Ergò Scriptura ita ambigua & incerta eſt, ut nec Idiotæ, nec docti, in lectione eius nudâ & ſimplici, cum fructu verſari poſſint. Dicit enim Petrus, ea non tantùm indoctis & inſtabilibus, ſed abſolutè difficilia, ait* Bellarminus, Cap. 1. lib. 3. fol. 199.

Reſp. *Iterùm à particulari ad univerſale concluditur, nec tantillum ſtatus quæſtionis attingitur: Agit enim Petrus dicto loco neque de universâ Scriptura, neq; de univerſis Pauli Epiſtolis. Quin etiam nec ipſa verbà Pauli obſcuritatis arguit, ſed de rerum difficultate ac myſteriorum quorundã ſublimitate loquitur, quorum eventus & revelatio ultimis mũdi temporibus erat reſervata, ut ſunt tempus ultimi adventus* CHRISTI, *aliæq; circumſtantiæ, quæ ad ſtatum ultimi ſeculi pertinent. Quæ & arcanu & difficultate plena, imò occulta futura eſſe, uſq; ad ipſum eventus tempus, ipſi fatemur. Eosq; qui hæc ſcrupulosè ri-*

mari cupiunt, periculoſiſsimè errare, atq; ita petulantiæ & ſuperbiæ ſuæ (petulántes enim & ſuperbos, qui non diſcipuli, ſed Magiſtri Scripturæ eſſe cupiunt, arguit Apoſtolus ſub nominibus οἱ ἀμαθεῖς & ἀςήρικτοι) pœnas luere, haud inviti largimur. Apoſtolum autem non de Epiſtolis ipſis, & ſententijs verborum, ſed myſterijs illis loqui, duo Relativa περὶ τούτων, & ἐν οἷς *evidentiſſimè oſtendũt.*

IV. OBIECTIO.

Nullus eſt locus *& articulus fidei in Scriptura, de quo non diſputationes in Eccleſia obortæ ſunt. Ergò Scriptura obſcura eſt.*

Reſpond. *Peccari fallaciâ accidentis. Nam Controverſiæ religionis non ipſi Scripturæ, ſed inconſtantia ac arrogantiæ Hæreticorum, & ſtudio captandi auram popularem, & venandi gratiam hominum tribuendæ ſunt, qui in locis etiam manifeſtiſsimis ſcrupulos ſibi ſingunt. Hanc cauſſam errorum adducit Petrus,* 2. Petr. 2. verſ. 15. & 18. & Cap. 3. verſ. 16. Paulus, 1. Timoth. 1. verſ. 6. & 7. 2. Timoth. 3. ad Epheſ. 4. verſ. 14. 1. Theſſal. 2. verſ. 4. 5. & Bellarminus *ipſe fatetur, myſteria fidei, de incarnatione & redemtione generis humani eſſe clariſſima, & aniculis, pueris & ruſticis familiaria,* Cap. 2. lib. 3. De verbo Dei, *& tamen à pravis hominibus, de his maximæ controverſiæ ſemper excitatæ ſunt, ut hiſtoria Eccleſiæ luculentiſſimè teſtatur.*

PRO-

PRPOSITIO XXIX.

ET ut ad rationem, facilitatemq; intelligẽtiæ in lectione & meditatione Scripturarum nemini quicquam deeſſet, in Eccleſiam DEUS interpretationis etiam donum contulit, cujus ſumma eſt, & utilitas & neceſſitas, ac ferè miniſtris & Doctoribus Eccleſiæ peculiare, quibus longâ exercitatione, uſu, meditatione & lectione Scripturarum iſtud acquiritur,

EXPLICATIO.

HAc Theſi quædam *attinguntur quæſtiones, quibus Pontificij ſeſe miſerè torquent, ac ratio demonſtratur ſimul, ad Objectionem iſtam reſpondendi, quâ contendunt Pontificij, Scripturarum interpretationes & Cõmentarios planè inutiles fore, ſi ſenſus Scripturarum tàm planus & perſpicuus eſſet, quẽadmodum* Lutherani *contendunt.*

Notandum ergò: *Primò, quod hic non tam de officio illo & curâ publicâ Miniſtrorũ paſcendi gregem Domini, verbumq́; Dei prædicandi, & Sacramenta adminiſtrandi ſermo ſit: quàm de officio ferè Scholaſtico Prophetarum & Doctorum, qui obſcuriora & controverſa Scripturæ loca dextrè explicare noverunt. 2. Cùm in Theſi dicitur, quòd non*

cuilibet facultas interpretandi Sacras litteras permiſſa ſit, ſed peculiari hoc ſit Dei donum, vel immediatè vel mediatè, & ſtudio linguarum, & perveſtigatione verbi divini aſſiduà ac diligenti donatum & conceſſum, hoc ipſo Jeſuitarum *Calumnia (qui hanc Confuſionē noſtris Eccleſiis imputant, quaſi quibuslibet ſine diſcrimine Laicis & deliris aniculis, imperioſè Scripturas tractandi, Anabaptiſtarum prorſus in morem, facultas conceſſa ſit) confoditur. Novimus enim aliud Auditorum, aliud Doctorum officium eſſe, aliisq́ discendi, aliis docendi partes incumbere, eorumq́ eſſe Scripturas interpretari, qui longâ exercitatione & meditatione ſibi earundem peritiam laudabilem compararunt. 3. Ordinis Eccleſiaſtici peculiare ferè donum eſſe dicitur: Non quòd aliis Eccleſiæ Ordinibus id à Deo penitùs denegatum ſit, ſed quia Theologi ex officio ſingularem & publicam ad interpretandas Scripturas vocationem habent, ac præter eos nemo in Scripturis legendis & perpendendis magis aſſiduus eſt, vel eſſe debet. Quod ergò ſibi ſoli facultatem, jus & ſcientiam interpretis* Papa *vendicat, tyrannidis eius non minimum argumentum cenſendum eſt. 4. Calumnia etiam eſt, quòd ex noſtra parte omnes Scripturæ interpretationes planè inutiles & tanquam ſupervacaneas judicemus & cenſeamus. Nam*

etſi

etſi quædam Scripturæ loca ita clara ſunt, ut nullâ prorſus interpretatione egeant, ſunt tamen alia multa, quæ ſine fideli interprete vix ſexcentiſſimus intelligere & aſſequi poteſt, neque hoc omnium eſt, ut in perveſtigandâ genuina ſententia eorum deſudent: Imò plurima inſunt Propheticis Scripturis loca, quorum veram intelligentiam non niſi eventus aliquando certò aperiet & docebit.

CONFIRMATIO I.

Interpretationes Scripturarum eſſe neceſſarias & utiles &c.

I. ARGVMENTVM.

A Cauſſa efficiente & origine. *Quia interpretationes & Prophetiæ, tanquã peculiare donum, in uſum & ædificationem Eccleſiæ à Deo conceſſum, ac merito & virtute mortis, reſurrectionis, & glorioſæ aſcenſionis Chriſti ad celos comparatum, laudatur & cõmendatur,* Epheſ. 4. verſ. 11. & 12. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* 1. Cor. 12. ver. 28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, 2. Prophetas, 3. Doctores, &c.* 1. Cor. 14. verſ. 14. *qui prophetat, Eccleſiam ædificat,* & verſ. 31. *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant & omnes*

exhortentur. Rom.12. verſ. 6. *Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſivé Prophetiam ſecundum rationem fidei.* Matth.23.verſ.34. *Ecce, ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas. Ergò, officium interpretationis Eccleſiæ néceſſarium & utile eſt.*

II. ARGVMENTVM.

Ab Exemplo. *Eunuchus Præfectus Theſaurarius Reginæ Candaces, fatetur, ſe intelligere non poſſe Concionem & Vaticinia Eſaiæ, de morte & paſſione Chriſti, ſine interprete. Quâ de cauſſâ Deus Philippum mittebat, ut ei Scripturas tamquàm imperito & valdè inexercitato interpretaretur. Ergò, cùm Eunuchi ſimiles nunquàm non ſint in Eccleſiâ, explicationes etiam Scripturarum nunquam non neceſſariæ erunt.*

III. ARGVMENT.

A praxi Chriſti. *Chriſtus interpretatus eſt Apoſtolis ſuis Scripturas, ad eximendũ iis ſcrupulum de falsâ opinione regni ſui,* Luc.24. *Ergò Scripturarum explicationes neceſſariæ ſunt.*

CONFIRMATIO II.

NON eſſe cujusvis Scripturas interpretari.

I. ARGVMENT.

Id Apoſtolorum & *Eunuchi exemplo jam antè conſtat: qui cùm rudiores & imperitiores, partimq; ſiniſtris opinionib. occupati erant,*

inter-

interpretatione Chriſti & Philippi Scripturas & Vaticinia de Meſſiâ intellexerunt. Auditores ergò fuerunt, non interprêtes. Nec n. ignorantia hoc ipſis permittebat.

II. ARGUMENT.

Inter hos duos Ordines *accuratè diſcernit Scriptura ut alij ſint Auditores, alij Doctores. Quæ quidem Ordinum diſcriminatio non ita accipienda eſt, quaſi auditores ipſi nũquam vel poßint vel debeant in Scripturas inquirere, eamq́ peritiam acquirere, ut & ipſi ſententiam obſcuriorum dictorum evolvere ac interpretari valeant: Verùm hoc tantùm vult, quòd ſemper rudiores ac ſimpliciores futuri ſint in Eccleſia, qui à Paſtoribus & Doctoribus in Scripturarum meditatione exercendi, inq́ Veritate ex officio & vocatione publica inſtituendi erunt. Hoc ergò modo non omnium eſt Scripturas interpretari, ſed doctorum & peritiorum tantum.*

III. ARGUMENT.

Quia enim non omnes ſunt *eiuſdem profectus, neq́ omnes Scripturas ipſas legere poſſunt, ac ſemper ſunt in Eccleſiâ & futuri erũt, qui in primis fidei Chriſtianæ Elementis inſtituendi ſunt*, ad Hebr.5.verſ.12.&13. *Ergò, non quivis interpretis officium ſuſtinere poteſt.*

IV. ARGUMENT.

Quidam tantùm ſunt Prophetæ, *Paſto-*

res & Doctores Eccleſiæ, quos Deus ſingularibus donis ad munus iſtud obeūdum inſtruxit, ad Epheſ.4.verſ.11. *Ergò facultas & ſcientia interpretandi Scripturas non omnibus promiſcuè competit.*

CONTRA.

Cõmunis eſt Objectio Pontificiorum: *Si Scriptura eſſet undiquaq́ perſpicua, interpretationes & Commentarij in eam fruſtrà ederentur. At perſpicua undiquaq́ eſt, fatentibus* Lutheranis. *Ergò.* Vel:

At non inanes *ſunt & inutiles interpretationes, ſed utiles omninò & neceſſariæ, teſtibus* Lutheranorum *copioſis & prolixis Poſtillis ac Commentarijs. Ergò perſpicua undiquaq́ non eſt Scriptura.*

Reſp. *Ad Propoſitionem primò, per negationem Connexionis. Poſito enim hoc (quod tamen ex noſtrà parte nemo dixit) quòd Scriptura ſit* UNDIQUAQUE *perſpicua, non tamen, ſi ea undequaq́ perſpicua eſt, interpretationes propterea non neceſſariæ & inutiles ſunt. Vult enim nihilominùs Deus verbum ſuum in univerſo mundo proponi & prædicari, quod absq́ fuſiori tractatione & explicatione (ferente ita auditorum conditione) fieri nec debet, nec poteſt. Nam in Concionibus uſus Scripturarum, & dictorum demonſtrãtus eſt, quomodo ad doctrinam, conſolationem & ad-*

& adhortationem noſtram omnia ſcripta ſint. Rom.15. verſ.4. *Vſus autem interpretationis non ultima pars eſt. Quamdiu ergò operà & opere Miniſterij in uſu Scripturæ diſcendo carere non poſſumus: tàm diu etiam interpretatione eiuſdem opus habemus.* Præterea *tanta eſt in rebus Spiritualibus humana ignorantia, & tàm ſupina negligentia, ut nonnunquam clariſſima quæq; nec intelligat nec curet. Carnis ergò ſecuritas iſta quotidianis Concionibus & interpretationibus verbi excitanda eſt, ut non tantùm incipiamus, ſed ſubindè magis magiſq; in intelligentiâ proficiamus.*

II. Valeret etiam *tum demum Conſequẽtia majoris*, ſi nullus prætereà finis aut uſus eſſet interpretationis, quam nuda Scripturarum intelligentia. *At plures ſunt fines ſeu uſus.* 1. *Vt quotidiana verbi interpretatione amor eius & attentio major in Cordib. noſtris excitetur.* 2. *Vt omnis excuſatio non intellectæ Scripturæ impijs & hypocritis adimatur.* 3. *Vt voce & interpretatione miniſterij publica, mundus ad agnitionem Dei in Scripturis revelatam ſemper vocetur & invitetur.* 4. *Vt quotidiano iſto exercitio & uſu donorum, in Eccleſiam divinitùs collatorum, pietas ad Deum, mutuaq; dilectio & charitas erga proximum ſubinde augeatur & creſcat.* 5. *Vt ij, quos Deus ad vitæ genus diverſum vocavit, nec*

nec vel legere, nec vel ipſi ſatis accuratè perpendere poſſunt Scripturas, promtum à miniſtris Eccleſiæ ſubſidium petere & habere poſſint. Quare licet *Scriptura in ſeſe maximè illuſtris & perſpicua eſſet, his tamen de cauſſis interpretationibus nihilominùs opus eſſet. Atq; hæc reſponſa ſunt ad Connexionem Majoris.*

Verùm ſi dèmus, *Majorem eſſe firmam, certam & ratam: Minor tamē neganda erit. Vel enim complectitur iniquam ſententiæ noſtræ depravationem, vel ad ſtatum quæſtionis planè nihil facit. Nemo n. ex noſtra parte unquam cogitavit aut ſcripſit, Scripturam* UNDIQUAQUE *ita perſpicuam eſſe, ut cuivis abſq; omni interpretione intellectu facilima ſit. In multis quidem ea Scripturæ perſpicuitas manifeſtò deprehenditur. Verùm multa etiam ſunt loca, quæ ne à peritiſsimis quidem planè intelligi poſſunt, ut ſunt viſiones & vaticinia, quorum eventui declaratio ſolida eſt reſervata.*

PROPOSITIO XXX.

SENSUS autem & interpretatio Scripturæ nec multiplex nec varia, ſed una tantùm & ſimplex eſt, quàm littera & ſtatus & conditio cujuſcunq; tractationis ſeu loci Scripturæ oſtendit & requirit.

EXPLICATIO ET CONFIRMATIO.

AD veram rationem *intelligentiæ Scripturarum id præcipuè pertinet, ut conſtet, an unus vel multiplex ſit ſenſus Scripturarum. Vniuſcujusq; autem dicti vel ſermonis vel orationis, ſi perfecta & verè enuncians eſt*, unum etiam & ſimplicem ſenſum eſſe debere, & Grammaticis & Dialecticis regulis præcipitur, Id nos in ſermone divino inprimis locum habere cenſemus. *Nam cum Spiritus ſanctus ſit ſummus & fideliſſimus ſermonis concinnandi artifex, imò autor & cōditor, ac præterea verbū ſuum ſalutis humanæ cauſſa omnib. proponat & proponi velit, utiq; hoc & animo & fide omnib. omninò præſumendum eſt*, quod eius dicta & eloquia unum certum ac genuinum ſenſum in ſe cōtineant, *qui ſine omnibus ambagibus, verbis quàm ſimpliciſſimis proponatur, ita ut pro ſtatu & modo tractationis ex illis ipſis perſpicuè elici & explicari queat. Dicimus autem & literam & ſtatum tractationis conjungendum eſſe: Nam ſi hæc duo diligenter conjungantur, facilè pateſcet, quis uſus & quæ ſignificatio, quarúm vis vocum, quovis in loco vel propria vel figurata exiſtat, ſive autem propriè ſivé figuratè verba accipiantur, unitati tamen ſenſus dictorum nihil decedit. Vnus enim proximus*

ximus & germanus eſt, quem littera & ratio dictorum oſtendit.

Sed quærat aliquis: *Num igitur diſtinctionem ſenſus Scripturarum* in hiſtoricum & myſticum negemus aut reprobemus: *Quæ tamen diſtinctio ſenſus duplicis & Eccleſiæ Doctoribus decantatiſſima, & ab ipſis etiam Apoſtolis in explicatione Scriptorum Veteris Teſtamenti obſervata eſſe videtur. Invenitur etiam apud Patres varia ſenſuum Scripturæ diviſio & diſtributio:* Auguſtino quadruplex eſt Scripturæ interpretandæ modus, Tom. 6. lib. de utilitate credendi, Cap. 3. primus ſecundum hiſtoriam. 2. juxta allegoriam. 3. juxta analogiam. 4. juxta Ætiologiam. Hieronym. triplex: in 4. cap. *Prophetæ Amos, qui tamen in ſua diviſione conſtituenda paulò inconſtantior eſt, ſicuti & Veteres omnes, annotante ipſo* Bellarm lib. 3. de verbo Dei, Cap. 3. fol. 213. *Quapropter is ex recentioribus, omnia Patrum dicta, ad bimembrem illam ſenſus Scripturarum diviſionem redigit:* Et quem nos hiſtoricum vocamus, *ille litteralem appellat, alijs etiam Grammaticus ſeu propinquus dictus:* Eſtq; is, quem textus Scripturæ ex ſe gignit, vel qui ex litterâ ſecundum modum tractationis ſivé propriè, ſivé figuratè intellectâ immediatè naſcitur: *modus enim & ſtatus tractationis*

ſignifi-

ſignificationem littera oſtendit. Myſticus ipſi Spiritualis dicitur, quem alii remotúm appellant: *Hic à Pontificijs iterum in tres Claſſes dividitur.* Primò *ſenſum Allegoricum, nomine allegoriæ non Grammaticè aut Rhetoricè accepto*; ſed Theologicè pro typo & myſterio. *Quales ſunt multæ hiſtoriæ Vet. Teſtamenti, quæ certâ typi ratione ad N. Teſtamẽtum reſpiciunt. Dicitur ſenſus Spiritualis, quia typorum Corporalium applicationem ad res Spirituales cōplectitur.* Secunda ſpecies *ſenſus Spiritualis eſt Tropologicus: qui eſt hiſtoriarum aut exemplorum ad uſum vitæ cōmunem applicatio, ſeu interpretatio Scripturarurum moralis* ἀπὸ τȣ̃ τρόπȣ, *quod converſationem ſeu morem vivendi inter alia ſignificat.* Hebr. 13. *Vt bovi trituranti non obligabis os.* Deuter. 25. *Quod dictum Paulus*, 1. ad Cor. 9. *ad quemvis operarium applicat.* Obadias *Aulicus tempore perſecutionis Prophetas Domini aluit ſecretò.* 3. Reg. cap. 18. ver. 13. *Hinc naſcitur Doctrina moralis. Ergò exſules omni ſtudio juvandi ſunt*; *Huc etiam uſus Conſolationis & Confirmationis fidei, quem Scripturæ dicta cōplectuntur, pertinet. Vt Calamum conquaſſatum non confringet.* Eſa. 42. ℣. 3. *hoc eſt hominẽ miſerijs oppreſſum & afflictũ non abjiciet. Ergò me miſerum non abjiciet Deus: ita totum*, Cap. Ezech. 34. & Cap. Johan. 10.

han.10. *Tropologicum vel etiam Allegoricum eſt: Vtitur enim Propheta & CHRISTUS perpetuâ ibi Metaphorâ ab ovili & ovibus petita, illis ipſis vocibus, fideles ſuos depingens ac patrocinium & auxilium adverſus omnis generis calamitates ipſis promittens.* Tertia ſpecies *ſenſus Spiritualis dicitur Anagogicus, qui eſt typorum ſeu hiſtoriarum ad vitam æternam, ad quam reſpectum aliquem habent, accommodatio, ut ſunt dicta de promiſſione terræ Canaan, & liberatione ex Ægypto, quæ typi rationem quandam habet liberationis ex hac miſeriarum valle, & promiſſionis vitæ venturi ſeculi.*

Cùm ergò tanta ſit apud *Autores Veteres interpretationis Scripturarum varietas, quam Pontificii ad evincendam obſcuritatem & incertitudinem ſententiæ Scripturarum demonſtrandam, ſatis rigidè urgent, quæſtio nunc eſt,* quomodo theſi noſtræ de unitate ſenſus Grammatici cum varietate iſta ſenſuum Spiritualium conveniat.

Verùm reſponſio in promtu eſt: *Senſus poſteriores myſticos ſeu Spirituales non immediatè* ex ſignificatione verborum Scripturæ, ſed ex ſignificatione & certâ quadam theſi rerum ipſarum, ſub verbis Scripturæ comprehenſarum, naſci & emergere. *Non enim ipſæ narrationes, deſcriptiones*, phraſes, ac ver-

ac verba Scripturæ typi rationem habent, ſed hiſtoriæ ipſæ, *res & perſonæ, de quibus Scriptura quolibet loco agit & loquitur. Id quod exemplis adductis perſpicuè declaratur. Vt Hiſtoria duarum Conjugum & liberorum Abrahami, quam adducit Paulus,* Galat. 4. *atque eandem myſticè ſeu Analogicè & typicè explicat, de Lege & Euangelio: De filijs ſecundum carnem & Spiritus. Hîc profectò Paulus verbis ipſis, quibus hiſtoria in Geneſi à Moſe deſcribitur, novum ſenſum aut ſignificationem nequaquam affingit: ſed manet hiſtoricæ narrationi ſua fides, ſententia & intelligentia, ſecundum literam propria & unica, quâ res geſta exponitur:* Myſterium verò explicatur, quod rei geſtę ipſi, ceu typo, ſubeſt, *adeoq; & ſcopus ſeu finis, Deo in actione ipsâ propoſitus, demonſtratur.* Diſtinguendum ergò ſemper eſt, inter ſignificationem verborum ipſius narrationis hiſtoricæ, *quæ à ſuo ſenſu ſimplici minimè deflectunt:* & inter ſignificationem hiſtoriæ, ſeu rei geſtæ, narratione iſta cõprehenſæ, ſeu expreſſæ. *Quæ ſignificatio novum ſenſum verbis neutiquam addit, ſed uſum & applicationem hiſtoriæ demõnſtrat. Ille igitur verborum Grammaticus eſt, & unicus ſimplex ac proximus ſenſus, qui nunquam variat. Hic verò uſus hiſtoriæ, & accommodatio ad myſterium hiſtoriâ ad-*

umbratum: Ac dicitur ſenſus Scripturæ myſticus, non quod verborum Scripturæ talis ſit ſignificatio, ſed quia per hiſtoriam ſeu rem verbis Scripturæ ſimplicibus expreſſam, ceu per typum aliquem ſive ſignum, adumbratur. Quæ cauſſa eſt, cur remotus etiam Scripturæ ſenſus dicitur, quia non ex verbis Scripturæ, ſed ex Analogiâ rerum, verbis comprehenſarum, colligitur & demonſtratur.

Sed quid verbis opus? *Cùm ſententiæ noſtræ, de uno vero & Germano Scripturarum ſenſu, ipſi etiam Pontificij perſpicuis axiomatis ſuffragentur. Ita enim ait* Bellarminus, libr. 3. Cap. 3. de verbo Dei. *Conſtat inter nos & Adverſarios*, ex ſolo litterali ſenſu peti debere argumenta efficacia. Nam eum ſenſum, qui ex verbis Scripturæ immediatè colligitur, certum eſt, ſenſum eſſe Spiritus ſancti. At ſenſus myſtici & ſpirituales varii ſunt, & licet ædificent, cùm non ſunt contra fidem aut bonos mores; tamen non ſemper conſtat, an ſint à Spiritu ſancto intenti. *Hinc tria deducuntur evidentia argumenta pro unitate ſenſus Scripturarum.*

CONFIRMATIO.

I. Quia nullus legitimus *poteſt eſſe ſenſus, niſi quem Spiritus ſanctus certiſſimè intendit: Et verò is certiſſimè intenditur; qui ex verbis rectè intellectis proximè colligitur: V-*

nus

nus ergò is verus Scripturarum ſenſus & legitimus eſt.

II. Quia nullus legitimus *eſſe poteſt, niſi inde efficacia argumēta, ad confirmanda fidei dogmata, duci poſſint: Et verò ex eo ſenſu tantum ducuntur argumenta certa, qui à Spiritu ſancto in ipſis verbis intenditur: Vnus ergò is verus Scripturarum ſenſus eſt, qui ex verbis ipſis colligitur.*

III. Solum ſenſum Grammaticum *verum, proximum, genuinum, germanum ac legitimum Scripturarũ ſenſum eſſe, ipſa Prophetarum & Apoſtolorum Conciones oſtendunt. Suas enim Conciones Apoſtoli, non ad doctos tantùm, ſed ad univerſam Eccleſiæ cujusq; multitudinem, habuerunt, in qua plurimi ſemper fuerunt, qui ne intellexêre quidem, quid Tropologia, aut Anagogia, aut Allegoria eſſet, quibus tamen propterea nec fides, nec ſalus deneganda fuit. Rectè ergò intelligit, & credit Scripturam, qui ex ipſa deſcriptione articulorum fidei, ſecundùm verba, quàm ſimpliciſſimè credit.*

Huc accedit Quartum, *quod Apoſtoli in omnibus Concionibus (niſi ubi de typis agitur) ad Verbum & teſtimonium Prophetarum, ſecundum ſenſum Grammaticum provocarunt. Ergò ſenſus Grammaticus veriſſimus eſt, & ſolidiſſimus Scripturarum ſenſus.*

Concludemus igitur *quæſtionem hanc verbis* Irenæi,lib.2.cap.46. *qui ait: Univerſas Scripturas & Propheticas & Apoſtolicas in aperto, & ſine omni ambiguitate eſſe, & ſimiliter ab omnibus audiri poſſe.*

PROPOSITIO XXXI.

Hujus (interpretationis ſeu ſenſus) & norma & judex eſt ipſa Scriptura, ſeu Spiritus ſanctus per Scripturam. Non enim alio Spiritu explicari & intelligi poteſt, vel debet Scriptura, quàm quo ſcripta & edita eſt: Atq; hæc Ipſa cauſſa eſt,cur nec Papæ judicium,nec Patrũ expoſitiones pro regula agnoſcamus, ſed tantum fidei iis tribuamus, quantum ex Scripturæ fundamentis docere & demõſtrare poſſunt.

EXPLICATIO.

HÆc Propoſitio *univerſum cauſſæ præſentis de Scriptura caput cõtinet. Nam ſi obtineant Pontificij, ſenſum Scripturarum verum & legitimum, ex Judicio* Papæ, *Conciliorum & Patrum placitis derivandum ac petendum, habent quod volunt. Siquidem hoc modo univerſa fides Chriſtiana,à* Papæ *judicio & arbitrio pendebit, ut quicquid is dicat, affirmet, neget, tanquàm à Spiritu ſancto dictum, factum, affirmatum & negatum arripien-*

recipiendum & tenendum ſit. Controverſiæ ſtatum ita proponit Bellarminus, lib.3.cap.3. de verbo Dei. Num Scripturæ interpretatio ab uno aliquo viſibili & Communi judicio petenda ſit, an verò uniuſcujusq; arbitrio relinquenda? *Et iterum:* Convenit inter nos & Adverſarios, Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ ſunt: *id eſt,* Spiritu ſancto &c. *Tota igitur quæſtio in eo poſita eſt, ubi ſit iſte Spiritus. Nos enim exiſtimamus, etſi multis hominibus privatis ſæpè conceditur*; tamen certò inveniri in Eccleſia, *id eſt,* in Concilio Epiſcoporum, confirmato à ſummo totius Eccleſiæ Paſtore, *ſivé in ſummo Paſtore cum Concilio aliorum Paſtorum. Sed hic in genere dicimus judicem veri ſenſus Scripturæ & omnium Controverſiarum* eſſe Eccleſiam, *id eſt.* Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici cõveniunt, *ut habetur expreſſè in* Concil. Tridentin. Seſſion. 4. *At Hæretici autoritatem interpretandæ Scripturæ,* ab Epiſcoporum Conciliis, ad privatorum hominum Spiritum deducunt, ut quivis ſuum Spiritum ſequatur, *vel alterius, quem viderit dono interpretationis præditum.*

In his verbis duo notanda ſunt. I. *Status Controverſiæ, quem corruptiſſimè proponit* Jeſuita: ſiquidem nos neq; uni cõmuni, neq;

pluribus privatis, *hanc poteſtatem concedimus, abſolutè & ex arbitrio de Religionis articulis, de Scripturæ ſententia judicandi, pronunciandi, ſtatuendi.*

II. Declaratio, quâ *ſtatum Controverſiæ male propoſitum peſſimè corrumpit: ut quod ait*, nos autoritatem interpretandi ab Epiſcopis in populum derivare, *cùm tamen nullam omninò autoritatem, vel Epiſcoporum, vel populi, Scripturas pro arbitrio explicandi agnoſcamus.*

III. Quod ait, nos ad privatum *cujusq; arbitrium ſeu ſpiritum rationem interpretandi Scripturas deducere, Calumnia eſt. Nam tantum abeſt, ut ex privato cujusq; hominis arbitrio ſenſum Scripturæ ſuſpendamus*, ut potius eâ ipſa de cauſſa Pontificis & Sacriculorum ipſius interpretationem, tanquã privatam, condemnemus, quia eam EXTRA Scripturam à ſuo Spiritu ſeu arbitratu deducunt. *Ideò ſcil: verum eſſe cenſentes*, quod dicunt, quia Pontifex ita ſtatuat, velit, præcipiat, decernat, & pronunciet. *Nec refert*, quod Jeſuita occurrit & pronunciat, hunc Spiritum Pontificis eſſe ipſum eum Spiritum, quo factæ ſint Scripturæ. *Nam hoc eſt κρινόμενον, & maximè controverſum. Quod enim non ſit idem Pontificis & Scripturæ ſpiritus, patet inde, quia Pontifex*, non ex ver-

PACIFIC LUTHERAN ... LIBRARY

ex verbo Scripturæ, ſed ex proprii pectoris Cenſurâ, & opinione pronunciat, *ac Scripturam interpretatur, quæ interpretatio tàm privata, tàm occulta & incerta eſt, tàm eſt ἰδίας ἐπιλύσεως, quàm ullius privati hominis, ex concepta mentis ſententia & opinione Scripturarum interpretantis.*

IV. In illis verbis tamen: *Num Scripturæ interpretatio &c. paulò propius ad ſtatum Controverſiæ accedit, ſecundum quem cum* Jeſuitâ *in poſteriorib. cominùs magis agere, & rem experiri poſſumus. Arrogat enim* Jeſuita, *Pontifici omnem interpretationis & judicij, in cauſſà Religionis, autoritatem, eamq; abſolutam & infallibilem, in quam non liceat inquirere, aut de eâ judicare,* Cap. 6. lib. 3. pag. 230. *Verba verò (in quo omnes Catholici cõgregati ſunt:) tribus modis intelligi poſſunt: Vel quòd omnes, qui in Concilio aliquo conveniunt, Catholici eſſe debeant, hoc eſt, Pontificis jurata mancipia. Vel quod fidei Chriſtianæ addicti eſſe debeant, quo modo nos ea hic accipimus. Vel quod in hoc omnes Catholici,* hoc eſt, *Papiſtæ conſentiant &c.*

Ad verum igitur *Controverſiæ ſtatum rectè percipiendum hi ſequentes limites conſtituendi ſunt. 1. Non eſt Quæſtio de Controverſiis Religionis in genere, quà de re ſuprà jam actum eſt: ſed de Controverſiis, quæ circa articulos fidei Chriſtianæ, & explicationem*

Scripturarum in Eccleſia oriuntur. 2. Non de publico & ordinario Doctorum & Paſtorum docendi officio. 3. Non de privato cujusvis hominis arbitrio, quaſi cuivis in Scripturas involare, & quidvis ſine diſcrimine ſtatuere liceat: Hoc enim nos ipſi conſtantiſſimè negamus & impugnamus. 4. Non de ipſo interpretationis dono. Num videlicet id ad certum ordinem hominum alligatum ſit: ſiquidem nunc utrinq; conſtat, donum ſeu ſpiritum interpretationis, etiam multis privatis à Deo, pro divinâ & liberrimâ voluntate ſuâ, concedi. 5. Quod olim miraculoſum erat in primitivâ Eccleſiâ donum, id nunc aſſiduâ lectione, meditatione & exercitio verbi donatur atq; conceditur, Pſalm. 119. 6. *Extra Eccleſiam donum hoc interpretationis nec eſt, nec quæri debet. Nam ut ſoli Eccleſiæ concreditum eſt verbum Dei,* Pſalm. 147. verſ. 19. & 20. *Ita & interpretatio verbi alibi quærenda non eſt.*

Status ergò Controverſiæ hic eſt: Num interpretatio Scripturarum ex Papæ ſententiâ & mente accipienda: An verò ex Scriptura ipsâ verus eius ſenſus eruendus ſit? 2. Num judicium de Controverſiis fidei & interpretationis Scripturæ, extra Scripturam, ex definitione Papæ abſolutâ & infallibili: An verò ex autoritate ipſius Spiritus

Sancti

Sancti in Scripturâ loquentis petendum ſit? *Vel:* Num Spiritus Sanctus de Controverſiis fidei Chriſtianæ, legitimoque Scripturæ ſenſu, ex Solo Pontificis pectore, extra Scripturam, an verò ex Sola Scripturâ, per os Miniſtrorum, judicium feſrat & decernat, atque hoc modo tàm Papam, quàm univerſam Eccleſiam ſibi ſubjiciat, paritérq; ad unam Scripturam omnes remittat & alliget.

Prius Pontificii, poſterius *nos tenemus & probamus. Ac quòd hic ſit verus Controverſiæ ſtatus, cùm ex ſcopo diſputationis, tum verbis ipſius* Bellarmini, *complicumq; ipſius liquet. Nam nos & Scripturam, & Spiritum ſanctum per Scripturam, & porrò Eccleſiam etiam, ſecundum Scripturam, judicem eſſe & damus & volumus: Eccleſiam ad Scripturæ normam cum judicio ſuo adſtringentes. Contrà Pontificij Scripturam à judicio iſto penitùs ſecludunt, & materiam litis ſeu rem ipſam, de quâ Controverſia eſt, nuncupant, ac idcircò ad dictamen pectoris Pontificij, ipſorum opinione abſolutè infallibile, confugiunt. Quin volunt etiam definitionem Pontificis, velut novum quendam fidei articulum, habendam, eoq; modo univerſæ Eccleſiæ accipiendam eſſe, etſi nulla eius in Scripturâ fundamenta oſtendi poſſint: unde pulcra illa, ſcilicet,* Jeſuitarum

Emblemata: Pontificis judicium abſolutè infallibile eſſe, eodemq; abſolutè & ſimpliciter, ac ſine omni hæſitatione ſtandum eſſe, Bellarmin. lib.3. de verbo Dei, cap.4. fol.217. *Et qui examinare ſententiam Pontificis definitivam auſus fuerit, ille continuò pro Hæretico habendus eſt.* Idem cap.6. lib eiuſd. fol.230.

CONFIRMATIO

Scripturæ verum ſenſum ex ipſis eius verbis eliciendum, eamque per ſeipſam explicandam, indeq; judicium de eadem faciendum eſſe.

I. ARGUMENTUM.

AB Exemplo CHRISTI & Prophetarum. *Ea unica, optima & perpetua interpretandi Scripturas ac judicij Controverſiarum forma eſt, & eſſe debet, quam Chriſtus, Prophetæ & Apoſtoli in officio ſuo obſervârunt.*

At quam obſervârunt *formam interpretationis & judicij, ea ex ipſis fundamentis ſcripturæ verborum exſtructa, ac collatione dictorum inſtituta eſt.* Ergò *ea, quæ Collatione Scripturarum inſtituitur, unica & optima interpretationis ac judicij forma eſt.*

Majoris Connexio firma eſt: *Cur enim aliam explicationis & judicij modum obſervemus, quàm qui à Chriſto in officio obſervatus,*

ac obſervatione conſtitutus eſt. Minor *exemplis Scripturæ, ubiq́; obviis, probatur: Controverſiam & Objectionē Phariſæorum, de Traditionibus, de Sacrificijs, explicat & refutat* CHRISTUS *ex Scriptura*, Matth. 15. verſ. 4. & 5. *Collatione ſcil. inſtituta 4. Præcepti, cū ipſo ritu Sacrificiorum, & ſeniorum Traditionibus.* Ibidem verſ. 11. *quæ de ijs paulò obſcuriùs dixerat, quæ hominem contaminant, poſteà* verſu 15. 16. 17. *ex ipſis verbis clariſſimè interpretatur.* Sic Matth. 16. *Sermonem figuratum, de fermento Phariſæorum, ex ipſis textus viſceribus metaphoram oſtendit.* Matth. 5. *Explicatio Decalogi ex verbis*, Deut. 6. *eruitur, ac contra alienas Phariſæorum interpretationes defenditur. Quæſtionem de divortio & repudio ſolvit Chriſtus ex Moſe*, Matth. 19. *Reſurrectionis articulum contra* Sadducæos *ex Scripturâ declarat, litemq́; determinat*, Matth. 22. *Articulum de perſonâ & officio ſuo ex Moſe & Prophetis explicat*, Lu. 24.

II. ARGVMENTVM.

Ab expreſsâ ipſiusmet *Dei determinatione, qui ex ſolâ Scripturâ agnoſci, indeq́; omnia, quæ de ſalute noſtra ſunt, peti vult.* Deuter. 12. ver. 8. 9. & 32. *Non facietis ibi, quæ nos hîc facimus, ſinguli quod ſibi rectum videtur, neq́; enim uſq́; in præſens tempus veniſtis ad requiē.* Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, *nec addas*

addas quicquam, nec minuas. Eſa.8.verſ.20. *Ad legem magis & teſtimonium. Si non dixerint ſecundum verbum hoc, non erit eis matutina lux*, Johan.17.verſ 17. *Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas eſt.* 1. Timoth.2. verſ.4. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Unde argumentamur.

Si Scriptura lex eſt & *fidei & vitæ noſtræ, quam in divino Cultu faciendo ante oculos habere, & ſequi debemus: intellectus Scripturæ, ex ipsâ Scripturæ litterâ petendus erit. Alioquin enim ſi interpretatio Scripturæ aliundè quàm ex ipſa Scripturâ peti poſſet, alia præter Scripturam lex & norma fidei, vitæ & ſalutis noſtræ exiſteret.*

At Scriptura *unica lex eſt. Ergò ex Scripturà ipsà, & non aliundè verus eius intellectus eſt.* Vel:

Unde Veritas & ſalutis *ratio petenda eſt, inde etiam vera intelligentia & ſenſus Scripturæ hauriendus.*

At Veritas & Salutis *ratio ex unico Dei ſermone in Scripturis comprehenſo, petenda eſt. Ergò &c.*

III. ARGUMENT.

A Præcepto Pauli & perpetuâ *interpretationis regulà, quam ſancit*, Roman.12.verſ.7. *Ubi vult Prophetiam, ſecundum rationem fidei inſtitui & exerceri.*

Hinc

Hinc Syllogiſmus.

Omnis Prophetia *ſeu interpretatio, ſecundum rationem fidei inſtitui debet.* Ratio fidei *eſt ipſa Scriptura, ſeu verbum in Scripturis comprehenſum.* Ergò, *omnis Prophetia ſeu interpretatio, ſecundum Scripturam inſtitui & exerceri debet.* Bellarmin. lib. 3. Cap. 10. de verbo Dei, reſpondet 1. *Prophetiam ibi non accipi pro interpretatione, ſed pro dono interpretandi.*

At nos inde contra Bellarminum *argumentamur. Si donum Prophetādi juxta Scripturæ normam examinari debet, multò magis interpretationes.*

Deinde ad Minorem reſpondet, *Analogiam ſeu rationem fidei non de Scriptura, ſed de fide Catholica* (hoc eſt, Pontificiâ) *intelligi debere: contra cuius ſenſum Scriptura non ſit interpretanda.*

Reſp. *Nos, quod de fide Catholicâ dicit, concedimus, ſed Pontificiam eſſe Catholicam, negamus. Nam fides Catholica eſt fides Apoſtolorum, ipſis ſacris litteris propoſita & deſcripta. At fides Pontificia in ſacris litteris non ſcripta eſt.*

IV. ARGUMENT.

Ab Effecto & adjuncto, Rom. 10. ver. 17. *Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergò fides ex auditu: Auditus autem per verbum*

Dei

Dei vel Chriſti. Ex quo loco duo argumenta duci poſſunt pro veræ ſententiæ confirmatione, de interpretatione legis.

Primò ab adjuncto ſeu Correlato *interpretationis, quod eſt auditus, qui ad verbum Dei penitùs adſtringitur: Iisq; & veritas & auditus adimitur, qui ex verbo Dei concionem & interpretionem ſuam non deducunt.* Indè ergò argumentamur.

Ad cujus auditum omnes, *in acquirenda fide & agnitione Dei, promiſcuè remittuntur, eius intellectus & ſententia non aliunde, quàm ex ipſis verbis propoſitis petenda erit.*

At in agnitione Dei, *ac fide acquirenda ad verbum Dei in Scripturis comprehenſum omnes promiſcuè remittuntur. Ergò &c.*

Secundum argumentum ex eodem loco.

Unde fides, *inde etiam verus intellectus & ſenſus Scripturarum petendus.* Fides enim ſine intellectu verbi nunquam eſt. Imò fructus eſt, & conſequens intellectus.

At fides ex ipſis verbis Scripturarum eſt. Ergò & intellectus ex ipſis etiam petendus.

V. ARGVMENTVM.

Ab Exemplo fidelium *in Vet. Teſtamento & Apoſtolorum mandato. Vnde fideles in primitiva Eccleſia Scripturarum ſenſum & intel-*

intelligentiam hauſerunt, & ab Apoſtolis haurire juſſi ſunt, inde etiam nobis ac univerſæ Eccleſiæ eadem petenda & haurienda erit.

At illi ex ipſis Scripturarum verbis. *Ergò & nos. Connexio Maioris certa eſt. Minör probatur teſtimonijs & Exemplis manifeſtis. 1. Eccleſia Judaica, quæ libros Vet. Teſtamenti ſine Commentarijs legit, & Codex Bibliorum Regib. traditus eſt, ut inde normam fidei & vitæ diſcerent; Sic libri N. Teſtamẽti integris Eccleſiis nuncupati ſunt, & eâ ipsâ de cauſſa lecti & propoſiti.* Johan. 20. Epheſ. 3. verſ. 4. 1. Corinth. 1. verſ. 13. 2. Petr. 1. 1. Johan. 5. verſ. 13. Coloſſ. 4. verſ. 16. 1 Corint. 14. verſ. 37. *Ubi Paulus Judicium de Epiſtola & ſententia ſua omnibus fidelibus committit,* atque ex ipſo Scripto illud peti vult dicens, *Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata: ex quo loco denuò argumentamur:*

Auditores Prophetarum & *Apoſtolorum ex ipſis Apoſtolorum verbis & ſcriptis de mẽte & ſententia doctrinæ Apoſtolicæ cognoſcere debuerunt. Ergò, Ex ijsdem verbis, & non aliundè, de mente & ſententia doctrinæ & Apoſtolicæ nobis quoq;, & Eccleſiæ ſemper ſtatuendum & cognoſcendum eſt. Huc etiam facit Exemplum* Berrhoĕnſium, *qui ex ipſis Sacris Vet. Teſtamenti literis cognoverunt, & judi-*

judicârunt, an Pauli Conciones ijs conſonarent. Actor. 17.

VI. ARGVMENT.

Anteà probavimus Scripturam *verbis ipſis claram & perſpicuam eſſe. Ergò, ſenſus verus ex ipsâ Scripturâ elici, eaq; per ſeipſam explicari & intelligi poteſt, ac debet.*

VII. ARGVMENTVM.

Ab Abſurdo. *Si aliunde ſenſus & intelligentia Scripturæ, quàm ex ipsâ Scripturà petenda eſſet, nempè ex* Papæ *arbitrio & expoſitione, ſequetur, fidem noſtram non ipſo Prophetarum & Apoſtolorum fundamento, ſed* Papæ *arbitrio niti.*

At Poſterius abſurdum. *Exſtructi n. ſumus, non ſuper* Papam *aut Eccleſiam ſed unà cum Eccleſià ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, hoc eſt, *doctrinam eorum ſacris litteris comprehenſam,* ad Epheſ. 2. *Ergò &c.*

VIII. ARGVMENT.

Bellarminus ipſe ait: *Eum eſſe verum ſenſum Scripturarum, & à Spiritu ſancto intentum, qui ex ipſis verbis immediatè colligitur:* ex quo ſolo efficacia argumenta duci poſſunt. Libr. 3. Cap. 3. de verbo Dei. *Vnde concludimus:*

Senſus Spiritus ſancti, *eſt ipſe Scripturæ ſenſus, & vera eiuſdem interpretatio.*

At ſen-

At ſenſus Spiritus ſancti *verus is eſt*, qui ex verbis Scripturæ immediatè colligitur. *Verum autem ſenſum ex verbis immediatè colligere eſt, Scripturam ex ſe ipſa & per ſe ipſam interpretari. Ergò, vera & legitima Scripturæ interpretatio eſt, quæ ex ipſis verbis immediatè colligitur.*

IX. ARGVMENTVM.

Ab ordinatione Spiritus S. *Ibi quærendus eſt ſpiritus intelligentiæ & cognitionis ſcripturarum, ubi certiſſime inveniri & conſuli vult ac poteſt.*

At in Scripturis & per *verbum Scripturarum & inveniri & conſuli vult: Vnde doctrina ſpiritus dicitur,* 1.ad Cor.2.verſ.13. *Et Paulus unitatem ſpiritus ad unam Euangelij doctrinam adſtringit,* Philip.1.verſ.27.Gal.3. verſ.25. *Ergò.*

X. ARGVMENTVM.

A Πράξει *& exercitio, in autorum & dictorum interpretatione omnibus uſitatio & obſervato.* Is enim ſolus *veram autoris mentē & dictorum ſenſum tenere omnib. videtur, qui eum ex ipſis verbis & circumſtantià textus eruit. Ergò, idem in verbo Dei, ſeu ſcripturis locum maximè habere debet: Aut dicendum eſt: Deum in verbo ſuo, quod ſalutis noſtræ cauſſa edidit (abſit dictis Blaſphemia) non*

tam amantem ſalutis noſtræ fuiſſe, ut inde de mente ſuà nos cognoſcere voluerit.

XI. ARGVMENT.

A dictis & teſtimoniis Patrum. Clemens Papa Diſtinct. 37. Cap. *Relatum eſt &c.* Non enim ſenſum extrinſecùs alienum & extraneum debemus quærere, ut quoquo modo ipſum ex Scripturarum autoritate confirmetis: *Etſi verò ibidem traditionis veterum meminit: eam tamen his ipſis verbis ad expreſſa Scripturæ fundamenta reſtringit, quomodo nos etiam eandem traditionem, & conſenſum Patrum plurimi facimus.*

Ambroſius *in Comment. in Pſal. 118. Serm. 8. à fine:* Multa obſcuritas in Scripturis Propheticis, ſed ſi manu quadam mentis tuæ Scripturarum januam pulſaveris, & ea, quæ ſunt occulta, diligenter examines, paullatim incipis rationem colligere dictorum: & aperietur tibi non ab alio, ſed ab ipſo Dei verbo. *Baſil. lib. 2. de Baptiſ. Quæſt. 4. & Hilar. lib. 1. de Trinit.* Optimum eſſe lectorem, ait, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit: neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerat intelligendum.

II.

CONFIRMATIO II.

DE

Dè Norma ſeu judicio Scripturæ: Scripturam nempè ſeu Spiritum ſanctum ſupremum interpretationis Judicem eſſe.

Quod Scriptura ſit *omnium Controverſiarum & Cultus divini unica norma, & vox Judicis Spiritus Sancti, qui per eam ſententiam fert & pronunciat, id ſuperiùs* Propoſitione 26. *demonſtravimus: quà eâdem hæc ipſa etiam Quæſtio, de Judice & normâ interpretationis, ac regula verum Scripturæ ſenſum cognoſcendi, expedita eſſe videtur, præſertim cùm jam firmiſſimis teſtimonijs & argumẽtis evictum ſit, ſcripturam per ſeipſam explicandam eſſe, eamq́ veram interpretationem eſſe, quæ ex verbis ſcripturæ eruitur. Falſum contrà, quicquid in eam aliunde ingeritur & intruditur.* Colligimus ergò indè.

I, Scriptura eſt *omnium Controverſiarum fidei, & Religionis Chriſtianæ unica norma, & Judex. Ergò, & veræ intelligentiæ unica norma & Judex erit.*

II. Veritas interpretationis *ex ipſis Scripturæ verbis eruenda & cognoſcenda eſt, teſte ipſo etiam* Bellarmino, *qui ait:* Eum Spiritus ſancti ſenſum eſſe, qui ex verbis immediatè colligitur. *Ergò, Scriptura unica interpretationis regula ac norma eſt. Nam unde de Veritate rei cognoſcendum, illud utiq́ cognitionis & judicij regula eſt.*

III. Is ſolus verus eſt, *ſupremus & infallibilis interpretationis ſcripturarũ Judex, qui à ſententiâ ſcripturarum aberrare non poteſt, ſed ſenſum Dei penitùs novit. ac propterea, nec fallere, nec falli poteſt.*

Atqui ſolus Spiritus ſanctus, *qui autor eſt Scripturarum, à ſententiâ Scripturæ aberrare non poteſt, ſed ſenſum Dei penitùs novit,* 1.Cor.1. verſ. 10. *Ergò, ſolus ſpiritus verus & ſupremus & infallibilis eſt interpretationis Scripturarum Judex.*

IV. Si Spiritus ſanctus *in cognoſcendà veritate & agnitione Dei ſalutari ad ſcripturam unicè nos remittit, inquè eà unicè conſuli & quæri vult, ſequitur, Spiritum ſanctum unicè per Scripturam omnis interpretationis & Cõtroverſiarum judicem eſſe, vel omne Judicium Spiritui ſancto in Scripturis loquenti deberi.* At prius. *Ergò & poſterius.*

Connexio Majoris probatur: *nam judicis hoc proprium officium eſt, unde Judex eſt & dicitur, quòd in negocijs dubijs & Controverſis conſulitur, litis determinandæ cauſſa.* Minor *teſtimonijs Scripturæ conſtat.* Eſa. 8. *Ad legem & teſtimonium.* 1. Timoth. 1. v. ſ. 3. *Paulus hoc præceptum præſcribit, ne permittatur, ut aliqui aliter doceant, quàm ab ipſo Paulo edocti eſſent,* Rom. 16. verſ. 17. *Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendi-*

ſendicula præter doctrinam, *quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*, Gal. 1. *Anathemate ferit omne id*, quod præter Euangeliũ, ab ipſo annunciatũ, *proponatur*. Joh. 14 verſ. 14. *Ait Chriſtus, ſe omnia nota feciſſe diſcipulis, quæ à Patre audiverit*, & verſ. 26. *ait: Paracletum iis in memoriam revocaturum*, quæ dixerit illis.

V. Nulla eſt inter nos & *Põtificios Controverſia, cujus deciſio ex ſententia Spiritus ſancti in ſcriptura revelata, aut petenda non ſit, aut peti non poſſit. Ergò, ſolus Spiritus ſanctus omnis intelligentiæ & Controverſiarum per ſcripturam ultimus & infallibilis Judex eſt.* Antecedens *probatur*, *Nam* Papa (*à cuius autoritate omnia ſua dogmata ſuſpendunt Põtificij, quorum fundamenta expreſſa in Scripturis oſtendere nequeunt*) *ſuam autoritatem ex dictis Scripturæ probare neceſſe habet, ac idcircò adducit teſtimonia*, Matth. 16. 18. Johan. 20. & 21. *Si ergò cognitio autoritatis Papalis ad Spiritum ſanctum in ſcripturà decernentem devolvitur: Omnes itaque Controverſiæ fidei inter Noſtros & Pontificios, ad judicem Scripturam devolvendæ ſunt.*

V I. Judex certus & *infallibilis ab omni partium ſtudio liber eſſe debet.*

At talis eſt, ſolus Spiritus ſanctus, *Scripturæ verbis ſuam ſententiam exponens. Ergò*

ſolus Spiritus ſanctus per ſcripturam certus & infallibilis Judex eſt. A partium autem ſtudio ſeſe ſegregare & liberare Papa *propterea non poteſt, quia is ipſe eſt, qui erroris & violatæ Veritatis reus agitur, & cùm ipſe etiam fateatur, ſibi autoritatem ſuam ex ſcripturâ adſtruendam eſſe, ſequitur, ſcripturam Judicium in ipſum etiam* Papam *obtinere.*

VII. Spiritus S. clarè edicit, *nil eſſe accipiendum, quod ultrà Scripturam affertur in Eccleſia, neque ulli Chriſtiano aut miniſtro verbi concedendum, ut plus ſibi ſumat, quàm quod ſcripto docere poteſt.* 1. Corint. 4. verſ. 6. *Ne quis ſapiat,* ſuprà id quod ſcriptum eſt: *Ubi Paulus de ſuo & omnium Eccleſiæ miniſtrorum officio loquitur,* illudq; ad Scriptum Dei verbum *penitus aſtringit.* Concludimus itaque:

Si Scriptura eſt *norma officij Doctorum Eccleſiæ, nec quicquam accipiendum eſt, quod ſupra id, quod ſcriptum eſt, aliquis ſibi arrogat: ſolum utiq; ſcriptum verbum ſuprema & certiſſima Judicij regula erit.* At prius. *Ergò & poſterius.*

VIII. Exemplo tandem Berrhoënſium *idem manifeſtiſſimè docetur & confirmatur.* Actor. 17. Berrhoënſes *enim Pauli doctrinam, interpretationem & explicationem vaticiniorum, eorundem ad Chriſtum applicationem*

tionem, ex Scripturis examinàrunt, indeq́ judicij normam acceperunt. Actor. 17. *Omnis ergò doctrina juxta normam ſcripturæ Veteris & Novi Teſtamenti rectè examinatur & judicatur.*

PROPOSITIO XXXII.

NON ergò Eccleſiam, pro ratione officii, & conditione ordinum, ab omni judicii dignitate & facultate dejicimus, ſed unanimem eius conſenſum plurimi facimus, ſi cum Scripturæ ſententia conveniat, atque ab eadem, tanquam regula, dirigatur.

EXPLICATIO.

QUIRITANTUR Pontificii & odioſè *nobis objectant, quòd Eccleſiæ autoritatem planè nihili faciamus, & cuilibet Idiotæ, ac anui plus poteſtatis in ſcripturas concedamus, quàm univerſæ antiquitatis Judicio, indè à tempore Apoſtolorum ducto & probato. Huic indignæ accuſationi hæc theſis oppoſita eſt, in quâ ſententiam noſtram quantũ, & quid Eccleſiæ tribuendũ ſit, perſpicuè ꝓponimus, ad cujus pleniorẽ cognitionẽ hæc obſervanda ſunt.*

I. Quid nomine Eccleſiæ intelligamus. *Magna enim in uſu huius vocabuli, inter nos & Pontificios eſt diſcrepantia. Pontificij Eccleſiæ nomine, cui Judicium de Scripturis, & Controverſiis Religionis committunt, ſolam*

Romanam intelligunt, eamq́ non univerſam, nec Doctores aut Epiſcopos univerſos, ſed ſolum Papam, *in cuius perſonam & pectus, omnẽ tandem judicij poteſtatem recondunt. Quando ergò ipſi dicunt ſolam Eccleſiam Romanam habere poteſtatem interpretandi ſcripturas, ac Controverſias dijudicandi ac dirimendi,* per ſolam Eccleſiam Romanam *intelligunt* ſolum Pontificem Romanum: *Hic enim, tãquam Caput, inſtar omnium eſt, univerſam Eccleſiam repræſentans.* Gregorius de Valentia *analyſi fidei Catholicæ,* pag. 146. *Et* Eccius *in Enchiridio de Eccleſia,* Propoſition. 1. *Prælatos, ait, & potiores congregatos, eſſe Eccleſiam repræſentativé patet.* Bellarm. libr. 3. de verbo Dei, cap. 3. fol. 215. *ait: Eccleſiam eſſe Pontificem cum Concilio. Et* lib. 4. cap. 1. *de Pontifice Romano ait: Vltimum Iudicium eſt ſummi Pontificis. Ita ergò univerſa Ecclſia ad unicam tandem perſonam Pontificis redigitur.*

Hanc ſignificationem *vocis Eccleſiæ Pontificiam, nos in Contemtum Chriſti & Eccleſiæ vergere, ac ſummæ arrogantiæ Pontificiæ argumentum eſſe dicimus: qui Eccleſiæ nomine non* Papam, *non Prælatos aut Sacerdotes tantùm, ſed univerſum fidelium cœtum in his terris, profeſſione fidei & uſu Sacramentorũ, Chriſti doctrinam & inſtitutionem ſequentium;*

tium, intelligimus: Juxta Symbolum Apoſtolicum, & dicta Chriſti & Apoſtolorum eius. Matth.16.verſ.18.ad Epheſ.1.ver.23.& 5.ver. 27.1.ad Timoth.3.verſ.15.

II. Judicii dignitatem *toti huic Cœtui tribuimus: eam, inquam, judicij dignitatem, ut videant & examinent, quid cum Veritate doctrina & ἀναλογίᾳ fidei in ſcriptura comprehenſa conſentiat, aut ab eadem diſſentiat, & noſcant, quæ ſit vox Chriſti Paſtoris ſui eiusq; Apoſtolorum, quam ab alienorum voce diſcernere, ac Pſeudoprophetas cum ſuis impoſturis & pernicioſis erroribus cavere &* *fugere diſcant.* Johan.10.verſ.14.verſ.4.5.27. 2. ad Corinth. 11. Philip. 3.

III. Non tamen parem *omnium in hac cauſsâ facultatem aut peritiam arbitramur: idcircò in θέσει adjunximus*, id accipi debere pro ratione officii & diſtinctione Graduũ, ac Conditione Ordinum, in Eccleſia divinitùs conſtitutorum. *Etſi enim cuilibet ſuæ fidei ratio reddenda eſt, aliæ tamen ſunt hujus, aliæ illius, aliæ Miniſtri & Doctoris, aliæ auditoris partes: & inter auditores etiam ingens eſt expediendi judicij huius diſcrimen.* Miniſtrorum partes publicæ ſunt, *qui non tantùm ſibi, ſed & univerſo gregi commiſſo, attendere debent, quorum eſt, doctrinam Evangelij publicè proponere, in via veritatis alijs*

Z 5 præire;

præire; ab omni errorum ſpecie dehortari, & ut Paulus ait ad Titum. 1. *fidelem amplecti ſermonem, qui ſecundum doctrinam eſt, ut potens ſit exhortari, in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contra dicunt, arguere: hoc ratione officij omnes facere, nec debent, nec poſſunt; ſed tantùm Miniſtri. Ac quamvis iſti donis impares ſint, & idcircò alius alio, per Dei gratiam, plus præſtare poſſit, nullus tamen altero, vel poteſtate & officio judicandi, vel Scripturas interpretandi ſuperior aut dignior eſt. Sed omnes eandem poteſtatem, & idem mandatum prædicandi, admonendi, inſtituendi, & redarguendi à Chriſto acceperunt.*

Auditores autem vel ſunt literati, *& in meditatione Sacrorũ probè exercitati; vel illiterati & rudes. Illis etſi Cathedram Moſis, aut Apoſtolorũ non licet conſcendere, nec in officio Paſtoribus & Doctorib. aliquid præſcribere, tanquam ſi ſervi, & mancipia ipſorũ eſſent, & non Dei ſervi (id quod Politicis quibuſdã noſtri ſeculi haud infrequens eſt, qui è reb. Theologicis ferè decreta Curiæ facere, & ad ſuos conſultationũ labyrinthos omnia pertrahere conãtur) quin tamen de Controverſiis judicent, & fidei fundamenta ipſi ex Scripturis (quod probè poſſunt) eruant, aliosq; pro fraternà Charitate in veritate confirment, & hæreſibus obſtent, prohibendi minimè ſunt, ſed optandum*

potius

potius, ut omnes Prophetent. Sic ergò omnes promiſcuè etiam rudiores, ac ſimpliciores ſuæ fidei rationem tenere debent, ſibiq́; attendere, utrum recto vel ſiniſtro talo incedant, & an uni illi fundamento ac lapidi angulari JESU CHRISTO, *in doctrina Prophetarum & Apoſtolorum depoſito ac demonſtrato, innitantur, vel ab eodem deflectant: Vtrum firma & perſpicua fundamenta habeant in verbo Dei, quæ credunt & in Concionibus quotidiè proponi audiunt, an verò tanquam aliena ipſis fugienda ſint.*

Horum ergò qui privati ſunt, *privatæ etiam ſunt Partes, nempè ut quilibet ſibi & ſuis attendat, ac Scripturæ explicatione data, aq́; Doctoribus dogmate allato, judicet, an id Scripturæ conſentiat, vel non: Sic Magiſtratus defenſor eſt, & Nutricius veræ Eccleſiæ, ac fidei in territoriys ſuis &c.*

IV. Modus etiam ſeu ratio judicii *huius declaratur, nempè,* quòd non ſit arbitrariū, abſolutum, aut prætorium: *ſed limitatum, & ad Regulam verbi Prophetarum & Apoſtolorum, in Scripturis comprehenſam, reſtrictum. Nam verbum Dei materia eſt, & fons omnis interpretationis, nulla igitur eſt interpretatio, nec ullo in reſpectu habenda, quæ inde, ceu rivulus ex fonte, non derivatur & deducitur.* Quo ipſo Bellarmini criminatio de

privato

privato Spiritu in fumum abit: *Nam ſi Scripturæ* regulâ eſt ſtandum, privatum arbitrium jam exſpiravit, & penitùs condemnatum eſt. *Hinc etiam ulteriùs perſpicere licet, cur Pontifici & ſuffragatoribus ipſius partes, officium, & Titulum Interpretis denegemus.* Nam qui ex arbitrio voluntatis pronunciat, *non Interpres*, ſed Dictator eſt, & ex privato Spiritu pronunciat, ideò, quia proprio arbitratu agit. *Dictatorem verò ex arbitrio decernentem, Chriſtiana Religio, nec novit, nec ferre poteſt. Patet etiam inde, quid Patrum expoſitionibus & Scriptis tribuendũ ſit: quòd ſcilicet ea ipſa ad Scripturæ normam examinari & probari debeant. Nunc ad Confirmationem.*

PRIMO, JUDICIUM, De Fide &

Interpretatione Scripturæ, ad omnes pertinere.

I. ARGUMENTUM.

AB expreſſo Teſtimonio *Scripturæ*, 1. Corinth. 2. verſ. 15. *Spiritualis judicat omnia. Ergò vel ſolus* Papa *Spiritualis erit, ſi ſolus Judex erit, vel nemini fidelium judicium de fide & Religione erit denegandum.*

Non loquimur *autem hîc, de ullo* Judicio definitivo, *quo alij etiam ad credendum ſimplici-*

pliciter obligentur. Cujuſmodi judicium Paulo hic in mentem non venit, ſed loquimur de judicio, quo quis rem ſecum rectè perpendit, & judicat ut veritatem à falſitate dignoſcere, illisq́ firmis Argumentis deductæ, tranquillâ Conſcientiâ aſſentiri poſſit.

II. ARGVMENTVM.

Ab exemplo & πράξει *Eccleſiæ tùm Propheticæ, tùm Apoſtolicæ Vet. ac Novi Teſtamenti.* 3. Reg. 18. verſ. 21. 22. & 25. *Elias popupulum inter ſe & Prophetas Baaliticos judicẽ conſtituit.* Eſa. 5. verſ. 3. *Deus ipſe Iſraëlitas inter ſe & vineam ſuam,* hoc eſt, *Iudæos ipſos in propriâ cauſſà judices conſtituit: Nunc habitatores Ieruſalem, & viri Iuda,* JUDICATE *inter me & vineam meam.* Actor. 17. verſu 11. *Laudantur Theſſalonicenſes nobiliores, quòd verbum Dei ſuſcipiebant cum omnĩ aviditate, quotidiè ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* 1. Cor. 10. verſ. 15. *Vos ipſi* JUDICATE, *quod dico.* 11. verſ. 13. *Vos ipſi* JUDICATE. 14. verſ. 29. *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri* DIJUDICENT. *Quod dictum ſivé de ſolo judicio Collegarum & Miniſtrorum accipiatur, ut ij ſcilicet mutuâ ſeſe operà juvent, alterq́ alterum admoneat, ac in via Veritatis detineat, & confirmet: ſivé de universâ Concione piorum, ut ij* judicent, *& advertant, quid ſibi ſecundum*

Scriptu-

Scripturas credendum ſit, ne quovis doctrinæ vento circumferantur: Manet tamen Judicium de doctrinâ, pluribus in Eccleſia cõmune eſſe, nec ad ſolum Papam *eſſe transferendum.*

Priora autem dicta, & *loca adducta ſecundum expreſſam literam de univerſâ Concione auditorum accipienda ſunt: quorũ induſtria* in judicandis *fidei, & doctrinæ fundamentis, requiritur & laudatur.* Hinc ergò argumentamur:

Quos primitiva Eccleſia *Veteris & Novi Teſtamenti judices in doctrinâ fidei & interpretatione Scripturarum, à Prophetis & Apoſtolis propoſitâ, adhibuit, ijs nec nunc quidem facultas illa cognoſcendi & dijudicandi, deroganda eſt.*

At univerſum Ordinem *fidelium, & ſingulorum auditorum judicem adhibuit. Ergò &c.*

Ad hoc *Argumentum* Bellarminus, cap. 10. lib. 3. *nihil reſpondet, ſed ſe magis magisq; implicat, ait: Inquiſiviſſe* Berrhoënſes *in doctrinam Pauli, quia nondum conſtiterit de autoritate & veritate doctrinæ* Paulinæ, *Probationes ergò vel ex miraculis, vel Scripturâ deducendæ erant: Et licere doctrinam Eccleſiæ examinare, modò id ſtudio Veritatis fiat &c. Pro quâ Confeſſione nos* Jeſuitæ *gratias tias ipſo dignas agimus, ſiquidem aliud non eſt, quod cupimus aut volumus.*

Quod

Quod autem diſtinguit inter eos, *qui Chriſtianam fidem nondũ agnoverunt* (*quibus annumerare conatur* Berrhoënſes) *& inter hæreticos, qui ab eâ cognitâ defecêrunt: vanum eſt & putidum effugium, ipſi hiſtoriæ Actorum contrarium: ſiquidem hoc expreſſum teſtimonium* Lucas Berrhoënſibus *perhibet, quòd fideles & credentes fuerint, ac doctrinam Pauli jam receperint, cum omni aviditate, Scripturas nihilominùs quotidiè ſcrutantes.*

III. ARGUMENT.

A Communi noticiâ, *gratia & privilegio omnium Chriſtianorum,* Iohan. 10. verſ. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Verſ. 4. 5. *Oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Iohan. 7. verſ. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo, an ego à me ipſo loquar.* Hinc Concludimus:

Quibus vox Chriſti *ita cognita & perſpecta eſt, ut eam à quavis aliâ diſcernere, dignoſcere & dijudicare poſſint, ÿs judicium de voce & doctrinâ Chriſti, ac de ſententia & mente doctrinæ ſeu vocis denegari non poteſt.*

At omnibus Chriſti ovibus &c. *Ergò &c.* Bellarminus *ad hoc argumentum, quod ſexto loco propoſuit, tantum reſpondet, quantum*

Phari-

Phariſæi Chriſto, de Baptiſmo Iohannis quærenti, Matth. 21. verſ. 25. *Dicit, Non excludi his verbis Vicarios & Miniſtros Chriſti, ſed hoſtes. Id & nos dicimus. Quærendus verò nobis eſt, ſitne* Papa Vicarius, *an hoſtis Chriſti? Vicarius certè ſuam operam & vocem ad nutum Domini ac Principis ſui dirigit.* Papa *autem ex proprio agit arbitrio. Adverſarius ergò eſt Chriſti, non Vicarius.*

IV. ARGUMENT.

A ſingulari mandato. 1. Theſſal. 5. ver. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* 1. Corinth. 10. verſ. 15. *ut prudentibus loquar, vos ipſi* IUDICATE, *quod dico.* 1. Iohan. 4. verſ. 1. *Chariſſimi nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint, quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Hinc inferimus:

Quibus examen Spirituum *& doctrinarum demandatum eſt, ad cavendum ſibi, illis judicium etiam de Spiritibus & doctrinis illis denegari non poteſt.*

At omnibus fidelibus &c. *Ergò &c.*

Reſp. Bellarminus Objectione 11. *Iudicium committi* non omnibus, ſed aliquibus, ad quos pertinet, ſcilicet Papę & Concilio.

Reſp. *At Paulo nec cum* Papâ, *nec cum delegatis ipſius, ſed cum auditoribus Theſſalonicenſibus & Corinthijs res eſt, Iohanni verò*

cum

cum filiolis ſuis, omni Ordine Chriſtianorum, Patribus, adoleſcentibus, infantibus, juvenibus, quos ad Concilium nunquam admittit Papa.

Reſp. Secundò Bellarminus: *Solum doctrinam dubiam eſſe examinandam.* Papæ *autem & Conciliorum doctrinam eſſe apertè bonam.* Reſp. *At hoc probandum eſt* Ieſuitæ: *Si apertè falſam dixiſſet, haberet nos ſuffragatores.*

V. ARGUMENTUM.

A Contrario mandato, *omnem* ἑτεροδιδασκαλίαν *fugiendi & anathematizandi,* Galat. 1. verſ. 9. *Si quis vobis Euangelizaverit prater id, quod accepiſtis, anathema ſit.* 2. Iohan. verſ. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.*

Qui ergò fugere *debent omne alienum à Scripturâ dogma, ij de ſententia Screpturæ, & diſcrimine dogmatum judicare poſſint, oportet.* At omnes Chriſtiani &c. *Ergò &c.*

VI. ARGUMENT.

Ab officio & donis Spiritus *S. in credentibus.* 1. Ioh. 2. verſ. 20. 27. *Sed vos Unctionē habetis à Sancto, & noſtis omnia. Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos. Et vos unctionē quā accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio*

Aa eius

eius docet &c. Eſa. 54. verſ.13. Iohan.6.verſ. 46. *Omnes erunt docti à Deo,* Ierem.31.verſ. 33. & 34.

Quicunq; Spiritum Sanctum *Magiſtrũ & Doctorem in ſe habent, illi de fide & doctrinà Spiritus ſancti in Scripturis comprehenſa, pro modo inſtructionis illius, judicare poſſunt.*

At omnes fideles & credentes &c. *Ergò &c.*

Notandum autem, *quòd inſtitutio & unctio illa Spiritus, prædicationi verbi nequaquam opponatur; quia per ipſum verbum Apoſtolorum, quod in Eccleſia ſemper ſonat, Spiritus ſanctus, fideles docet & ungit, ac de veritate fidei inſtituit.*

VII. ARGUMENTUM.

A Teſtimonio Patrum. *Sic Patres ſua omnia Lectorum & auditorum judicio ſubjecerunt.* Hieronymus in Cap.2. Micheæ dicit: *Videtur mihi ſic poſſe ſenſus reddi, ſi tamen prudens Lector noſtræ rationi acquieverit.* Epiſt.11.ad Auguſtin. Operum Auguſtini, Tom.2. *Ego in parvo taguriolo cum Monachis,* id eſt, *cum compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenuè confiteri, me Maiorum Scripta legere, & in Commentarijs, ſecundum omnium conſuetudinem varias ponere explanationes, ut è mul-*

tis ſe-

tis ſequatur unuſquiſq; quod velit: Ambroſ. libr.6. Epiſtolarum, Oration. 32. 33. *contra* Auxentium Arianum. *Videatur etiam* Chemnicius part.1.exam.Concil.Trident. pag.137. *de Interpretatione Scripturæ.*

II.

Eccleſiæ, Patribus, Pontifici tantum credendum, quantum fidei ex Scripturâ merentur: Vel Judiciũ Eccleſiæ non abſolutum, ſed ad præſcriptum verbi alligatum eſſe oportet.

Huc referantur *Argumenta Propoſitionis* 17.& 18. *quòd Eccleſia Scripturæ nec plus autoritatis largiri, nec librum aliquẽ Canonicum facere poſſit, ſed id tantum doceat & declaret, quod Scriptura ex origine & dignitate ſua meretur ac obtinet.*

Qui ergò dogma aut librum *Canonicum edere non poteſt, eius verbis ſimpliciter ſtare ac credere, nec debemus, nec poſſumus.*

At nec Papa, *nec Patres, nec Eccleſia librum edere Canonicum poteſt: Et ſi* Papa *non poteſt, de Eccleſia non pugnant Pontificij. Ergò, Eorum verbis ſimpliciter ſtare aut credere nec debemus, nec poſſumus.*

Minor Confeſſione *ipſorum etiam Pontificiorum conſtat: Nam* Gregorius de Valentia *Analyſi fidei*, part.8. pag.333. & 334.

expreſſè,ait : Pontificum definitiones ab ipſis conſcriptas Sacram Scripturam *nec eſſe , nec eſſe debere. Vnde negari non poteſt , maiorem eſſe autoritatem Scripturarum , quàm Eccleſiæ & Pontificis. Solum enim Scripturarum verbum Canonicum eſt , cum Eccleſia Canonicum non ſit.*

II.

Scripturæ creditur *per ſe & ꝓpter ſeipſam, abſq; interpretatione Eccleſiæ,non contra. Ergò, Iudicium Eccleſiæ abſolutum non eſt , ſed Scripturæ regulà limitatum & determinatũ.*

Qui enim parem cũ Scripturâ *autoritatem,eandemq; veritatis & fidei certitudinem non habet , illi abſolutum de Scripturâ Iudicium committi nequit.*

At nec Papa , *nec Patres aut Eccleſia Pontificia hanc Veritatis certitudinem & autoritatis æqualitatem habent. Ergò &c.*

III.

Paulus ait , *Omnem Prophetiam fieri debere, ſecundum Analogiam fidei,*Roman.12. *Ergò , Nec* Papæ *credendum eſt Prophetiæ , aut interpretationi verbi , niſi ſecundum Analogiam illam fidei in Scripturis comprehenſæ, ſe loqui & judicare , aut peculiari Privilegio , quidvis pro libitu ſtatuendi & dicendi , donatum ſe eſſe demonſtret.*

Are-

IV.

A relàtis. *Eccleſia eſt Serva & miniſtra & interpres Scripturæ, ad quã obligata eſt. Ergò omnia dicta & facta Eccleſiæ juxta Scripturæ tantum ſententiam accipi & judicari debent. Valet enim hîc regula* Auguſtini, Epiſt. 19. ad Hieronymum dicentis: Ego ſolis illis Scriptoribus, qui jam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, ut nullum eorum ſcribendo aliquid erraſſe audeam credere. Aliâs autẽ ita lego, ut quantalibet Sanctitate, quãtáve doctrinâ præpollentes ſint, non ideò verum eſſe putem, quia ita ipſi ſenſerunt, ſed quia mihi vel per ipſos autores Canonicos vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt. *Idem teſtatur etiam* Epiſt. 23. ad Paulinum: & ad Bonifacium contra 2. Epiſtolas Pelagii, lib. 4. Capite 8.

V.

Ab Analogia ſeu *Collatione, qua Paulus Eccleſiam ædificio, Scripturam fundamento comparat,* Epheſ. 2. verſ. 20. *Unde fit, quod Eccleſia omnem ſuam autoritatẽ ex Scripturæ principijs docere cogitur,* Matth. 16. verſ. 18. 1. Timoth. 3 verſ. 15. Ergò Concludimus:

Unde omnem firmitatem *accipit Eccleſia, & ſuæ autoritatis argumenta prima pro-*

fert, ad id etiam tanquam ſua luce clarum in omnibus dictis & factis ſeſe accommodare. nec ullum Judicij abſoluti poteſtatem in id ſibi ſumere poteſt.

At Eccleſia ex Scripturâ *omnem accipit firmitatem, indeq; prima autoritatis ſuæ argumenta profert. Ergò &c. Connexio maioris probatur. Nam omnis probationis veritas, nequaquam ex ingenio & ſententia probantis, ſed ex ſententia verborum genuinâ ſeu inſitâ accipitur.* Sententia enim & expoſitio probantis non argumẽti, ſed quæſtionis locum & vim habet, *de quà ex ipſis verbis in teſtimonium adductis cenſura & judicium faciendum eſt.* *VI.*

A mandato & *Exemplo*, Deuter. 17. verſ. 10. & 11. 18. & 19. Eſa. 8. verſ. 20. Galat. 1. verſ. 9. *Pontificibus in Veteri Teſtamento omnibusq; alijs ſub pœna maledictionis mandatum & preceptum fuit, ut juxta legem & teſtimonium de Cultu Dei & doctrina fidei docerent & pronunciarent. Ergò, Omne judicium de fide ad legem & teſtimonium dirigendum eſt.*

Quòd verò Bellarminus reſpondet; *illud* Deuter. 17. *non eſſe conditionem, ſed promiſſionem, etſi vanum eſt effugium, quod & & ratione caret, & adverſus perpetuam Scripturæ ſententiam pugnat: tamen ex eâ ipſâ* Jeſuitæ *reſponſione ſequitur pro nobis, quod quicquid abſq; & extra fundamenta ac expreſſa*

preſſa teſtimonia legis pronunciatur, præter & contra promiſſionem illam fiat, ac idcircò tanquam erroneum rejiciendum ſit.

VII.

A Majori. *Apoſtoli univerſæ ſuæ doctrinæ ſententiam ad Scripturæ præſcriptum accommodârunt: nec quicquam nec unquam ſimpliciter, & pro arbitrio de fide in Chriſtum, vel docuerunt vel ſtatuerunt.* Actor.24. verſ.14. Cap.26.verſ. 22. *Ergò, &* Papæ *& univerſæ Eccleſiæ doctrina, Confeſſio, Fides & Judicium de fide ſecundum eandem regulam dirigendum eſt. Idq; eò magis, quia Nov. Teſtamentum ad Vetus nunc acceſſit.*

VIII.

A contrariis adjunctis. *Eccleſia & Pontifex errare poſſunt. Imò Pontifex in hæreſin etiam labi, cum contrà Scriptura ſola omni errore vacet. Ergò, Judicium de doctrina & fide in Eccleſiâ abſolutum non eſt, ſed ad Scripturam reſtrictum. Abſolutus enim & infallibilis Judex hoc habere debet privilegium, ut errare non poſſit.*

Antecedens ſuperius jam probatum eſt, Propoſit.27.& *alibi. Memorabile etiam eſt dictum Gerſonis in Tractatu de Examine doctrinarum*, parte 1. Conſil.1. *Qui ait, oportet eſſe in Eccleſiâ regulam infallibilem, pro fide ſervanda, & terminandis dubijs emergenti-*

bus. Non autem reperiri in terris aliam talem regulam infallibilem, niſi generale Concilium legitimè congregatum. Quamlibet enim perſonam ſingularem de Eccleſia cuiuscunque dignitatis etiam Papalis, *circumdatum eſſe infirmitate, ut fallere poſſit & falli. Et* Bellarminus *uni Scripturæ hoc tribuit, quod ea nihil ſit notius nihil certius.* pag 4.

IX.

Ab abſurdo. *Si* Papæ *pro arbitrio judicare de ſententiâ Scripturæ liceret,* Papa *ſupra Scripturam eſſet.*

At poſterius abſurdum. *Ergò & prius.*

Reſpondet Bellarm. Object 14. *Papam non judicare de Scriptura, ſed de Scripturæ interpretatione & ſententiâ. Atqui hoc modo* Papa *nihilominùs ſupra Scripturam elevatur. Nam cuius ſententia ad meum arbitriũ dirigi & redigi poteſt ac debet: illud ipſum meo arbitrio ſubjectum eſt.*

At ſententia & interpretatio *Scripturæ, teſte* Bellarmino, *arbitrio* Papæ *regitur & dirigitur.* Ergò, Scriptura Papæ arbitrio ſubjecta eſt. *Et publicæ ſunt Pontificiorum Blaſphemiæ, qui dicunt, ſe credere Scripturæ propter Eccleſiam, quia Eccleſia credere juſſit. Et* Bellarmini *ſe Scripturæ per ſe plus non credere, quam Alcarano Mahumeti,* pag 264.

X.

Si à judicio Eccleſiæ & Papæ *interpretatio*

tio Scripturæ ac fides noſtra dependet, tum Eccleſia in ſeipſam exſtructa ſuiq; ipſius fundamentum erit. Et fides noſtra ab arbitrio hominum planè pendebit.

At hoc abſurdum. *Ergò & illud.*

Bellarminus Objectione 15. reſpondet: *Verbum Eccleſiæ non eſſe omninò verbum hominum, ſed quodammodo Spiritus ſancti verbum. At hoc ipſi probandum eſt. Nam nos negamus, quod Eccleſia, vel* Papa *ex arbitrio & voluntate abſolutè pronuncians, verbum Dei loquatur.*

XI.

Papa eſt altera pars litigans. Ergò judex Controverſiarum abſolutus & ſupremus eſſe nequit. Hoc enim in omni judice requiritur, ut nullo partium ſtudio ducatur. A quo vitio dum ſe purgabit Pontifex, mundus labetur.

XII.

Patrum Conſenſus *univerſus in plurimis fidei Controverſiis & Scripturæ exlpicationibus dubijs haberi non poteſt. Ergò, ex Patribus de Fide & ſententiâ Scripturæ decerni ac ſtatui abſolutè nihil poteſt. Labore probandi antecedens* Bellarminus *nos ſublevavit ſuis Tomis, in quibus tot diſſentientes Patrum opiniones & Scripturarum interpretationes numerabis, quot ferè ſunt Capita & argumenta à Patrum autoritate ducta.*

Ut ex hoc labyrintho ſeſe Pontificii *extricare poſſint, ad Pontificis ſui ſcrinium ſeſe recipiunt, & quæ ille probavit* Patrum teſtimonia, *reliquis omnibus præferunt, etſi unus tantùm, atq́; alter à parte Pontificis ſtet.* Sic Sotus ait: Satis probari Conſenſum Eccleſiæ teſtimonio duorum vel trium, de jud. Eccleſiaſt. Cap 65. *Et* Bellarmin. lib. 4. cap. 9. fol. 294. ait: *Exemplum ſecundi vix invenitur, ſi debeant omnes penitus Patres, qui ſcripſerunt, aliquid dicere.* Tamen videtur ſufficere, ſi aliquot Patres magni nominis aliquid aſſerant, reliquis non cõtradicentib.

Atqui abſurdum eſt, *univerſæ Eccleſiæ fidem, & Conſenſum unius, atq́; alterius opinione æſtimare.*

XIII.

Ab expreſſo interdicto Chriſti &ç. *Quibus interdictum eſt, Magiſterium & Imperium in fidem ac Scripturam, illorum nemo Judex Fidei, Controverſiarum & ſententiæ Scripturæ abſolutus eſſe poteſt.*

At omnibus Chriſtianis & *univerſæ Eccleſiæ id interdictum eſt. Ergò &ç.*

Minor probatur, Matth. 23. verſ. 8. *Nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim Magiſter veſter. Omnes autem vos fratres eſtis.* & verſ. 10. *Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.*

Nihil

Nihil hîc Bellarminus, Object.3.reſpondet, *niſi quod dicit, nomen & officium Magiſtri, non aliter prohiberi, quàm Patris: ut ſcilicet ambitio & nimius affectus vitetur.* Sed *reſpondemus, hanc ipſam eſſe ſupremam ambitionem, abſolutum ſeſe judicem fidei conſtituere, qui honor, & quæ autoritas Judicij ac magiſterij ſoli Chriſto competit.*

XIV.

Urbanus Papa Canone 25. *In quibus Romano Pontifici licet condere novas leges. Sunt, quidam, ait, dicentes: Romano Pontifici, ſemper licuiſſe novas condere leges, quod & nos non ſolum non negamus: ſed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt, & quod inde novas leges condere poteſt, unde Euangeliſtæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, eosq́ ſequentes* Sancti Patres, *ſententialiter aliquid definiverunt: Ibi non novã legem Romanus Pontifex dare: ſed potiùs,* Quod prædicatum eſt, *usq́ ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere, quod abſit, niteretur, non* Simoniam *dare ſed magis errare convinceretur.* Hinc nos Concludimus:

Qui ad ea defendenda *cum ſanguinis etiam & vitæ profuſione adſtrictus eſt, quæ Apoſtoli*

poſtoli & Propheta, aliiq́; Sancti Patres, *ſecundum Prophetarum & Apoſtolorum definitionem prædicarunt, ei de rebus fidei liberum & abſolutum judicium permiſſum non eſt. At* Papa, *teſte* Papa &c. *Ergò &c.*

Hâc eadem Conſequentia *utitur etiam Gloſſator ad marginem, qui indè, licet timidè, colligit.* Matinum Papam, *quod circa* Bigamiam: & Concilium Gangrenſe, *quod in fornicatione Sacerdotum diſpenſavit, non rectè feciſſe. Etſi enim per diſtinctionem crimē iſtud diſpenſationis excuſare conatur:* Papam *ſcilicet contra Apoſtolum non poſſe diſpenſare in Articulis fidei & interpretatione Eccleſiæ,* poſſe tamen diſpenſare in aliquo regulari ſtatu Eccleſiæ, *hoc eſt,* in vitâ: *Eam ipſam tamen reſponſionem Exempla præſentia planè reſpuunt, ſiquidem in* Bigamiâ *& ſcortatione diſpenſare, eſt contra Apoſtolum & Chriſtum circa expreſſum mandatum Dei diſpenſare.*

XV.

A teſtimonio Patrum, *qui neminem ad ipſorum interpretationes ſuſcipiendas adſtringunt, ſed unicuiq; Veritatis Examen & Judicij libertatem inter legendum permittunt. Quin etiam ſub neceſſitate credendi nihil accipi volunt, niſi quod ex Canonicâ autoritate Veteris & Novi Teſtamenti adductum eſt.* Auguſtin. libr. 10. contra Fauſtum Manich. Cap. 5. Tom. 6. Uta-

XVI.

Utamur argumento Jeſuitarum in Colloq. Ratisbonenſi, Seſſion. 9. fol. Palatinæ Edition. 214. *Vbi ex eo, quod Scriptura argumenta Partium nec audiat, nec ſententiam ferat, explicando ſenſum legis, nec cogat tranſgreſſores ad obediendum* PER SE, *negatur ab ipſis Judex eſſe.* *Hinc ergò nos contra* Papæ *Judicium concludemus:*

Papa non poteſt *compellere Partes ad obediendum per ſe. Ergò non eſt Judex.*

Antecedens probatur: *Quia ut tranſgreſſores in cauſſa Fidei ad obediendum* per ſe *compelluntur, neceſſum eſt, eos & ad internã Cordis obedientiam, & ad externam Corporis adduci & compelli: Illud fit monendo, regendo & ſubigendo Cor. Quod ſi ad obedientiam pertractum eſt, Corporis externa, ſine ullâ normâ & vi, ultrò ſequetur. Hoc dum præſtare non poteſt* Papa, *cùm Corpus ligat & exurit, atq; hoc modo,* per carnifices ſuos, nõ per ſe, *ad ſilentium,* Antichriſti *in morem, bonos & Cordatos viros adigit, Judex utiq; competens & abſolutus eſſe non poteſt.*

CONTRA.

Exod. 18. verſ. 13. *Altera die ſedebat Moſes, ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moſi à mane usq; ad veſperam,* & verſ. 26. *Quicquid gravius erat, referebant ad eum: facilio-*

ra tan-

ra tantum judicantes. Hoc dictum & exemplum Moſis, quod adducit Jeſuita, *ſi ad cauſſam præſentem aliquid facere debet, in hunc modum concludi debet:*

Quale ſuit judicium *Moſis de Controverſiis Religionis in Veteri Teſtamento, tale etiam* Papæ in *Eccleſia Novi Teſtamenti eſt, & perpetuò eſſe debet.*

At tale fuit judicium *Moſis, ut ipſe unum haberet Commune Tribunal, à quo omnes peterent divinæ Legis interpretationem, eique ſimpliciter acquieſcerent. Ergò* & Papæ judicium *in Eccleſia Novi Teſtamenti unicum & abſolutum eſſe oportet.*

Reſpond. 1. Ad Majorem per inficiationem. *Nam judicium Moſis de fidei & Religionis Controverſiis Propheticum erat, Dei indubitatâ revelatione conſtans: Quale Pontificis, nec fuit, nec eſt, nec erit unquam. Nam ut æqualitatem, vel fidem judicij æqualem cũ Moſe, obtineat Pontifex, neceſſum eſt, eum iiſdem argumentis divinitus inſtructum eſſe, quibus Moſes inſtructus fuit, tantamq́ſibi apud univerſum populum autoritatem conciliavit; ut ſunt vocatio immediata, Colloquium cum* DEO, *miracula &c.*

Deinde neq; opus eſt, *ut in Eccleſia ſemper eiuſmodi ſit judicium, ſeu tribunal judicij in cauſſa fidei & Religionis, quale fuit illud Moſis,*

Moſis, qui ex Dei ore populo omnia denunciavit, ac denunciata in literas poſteà retulit. Nam nec in Veteri Teſtamento forma iſta judicij continuata fuit, fatente ipſo Jeſuita, *qui ait:* Moſen caruiſſe Succeſſoribus, nec fuiſſe Ordinarium Pontificem, cui ſuccederetur, fol. 218. Cap. 4. lib. 3. *Vt ergò inter prima initia Eccleſiæ Moſaicæ, quæ per Moſen Leges & Statuta Dei primùm accepit: & poſteriorum ſeculorum Eccleſiam, reſpectu adminiſtrationis iſtius, accuratè diſtinguendum eſt, ita nec adminiſtratio Eccleſiæ Novi Teſtamẽti, cum illis initijs Moſaicis eſt comparanda.* Prima enim initia & Eccleſiæ & Verbi, revelationib. divinis ſternebantur, nunc verò Eccleſia verbo jam antè revelato & ſcripto nititur, ad quod à Deo ipſo & Prophetis & Apoſtolis alligata eſt. *Eſa. 8 Epheſ. 2.*

Neque verò Minor ſimpliciter vera eſt. *Nec enim Moſes ex ſcrinio pectoris ſui ſententiam de fide dictavit, ut Pontifex Romanus, ſed ex immediatà revelatione & abſoluto Dei mandato. Quare Judæi quidem à Moſe Legis interpretationem petierunt, eiusq́ judicio ſteterunt, ſed non ſimpliciter & ſine fundamẽto, ut* Papa *ſibi credi vult: ſed propter autoritatem & revelationem, quâ divinitùs inſtructus erat, omnibusq́ innotuerat Moſes, ut antè dictum. Hanc autoritatem doceat* Papa *de ſe, & ad credentum ultrò nos offeremus.*

II. OB-

II. OBIECTIO.

Lex eſt generalis, *qua omnes ad Judicem vivum*, id eſt, *ſummum Sacerdotem remittuntur*, Deuter. 17. verſ. 9.

Judex talis vivus & *ſummus Sacerdos eſt Pontifex Romanus in Novo Teſtamento. Ergò ad Pontificem Romanum omnes remittuntur, non verò ad Spiritum ſuum.*

Reſp. Majorem habere *manifeſtam loci adducti depravationem.* 1. *Non enim de ſummo Sacerdote tantum, ſed magiſtratu etiam, & univerſo ordine Senatorio loquitur.* 2. *Ad præſentem quæſtionis ſtatum nihil facit. Quia de judicio Civili, non verò de judicio fidei, aut novis Religionis Articulis condendis* (ut Papiſtæ hoc fidei judicium interpretantur) *loquitur. Textus enim manifeſtus eſt. qui merè forenſibus vocabulis conſtat, & de inſpectione lepræ agit, nec ullius prætereà negotij mentio fit: quidquid contrà* Bellarminus *dicat.* 3. *Judex iſte ſivè Politicus ſive Eccleſiaſticus ad Legis ſententiam ipſe adſtrictus erat, juxta quam pronunciare tenebatur: quo fine tàm Regi, quàm ſummo Sacerdoti Codex Bibliorum perpetuò legendus tradebatur, ne deflecteret, vel ad ſiniſtram, vel ad dextram eidem nihil adderet aut detraheret. Quare ſi maximè ad cauſſam Religionis & fidei pertineret, nihil tamen ad autoritatem* Papæ *abſolutam*

ſolutam ſtabiliendam faceret. vide Bellarm. pag.3.*Pronunciet enim* Papa *juxta Legem & Scripturam , habebit nos ad obſequendum quàm promtiſſimos.* Minor eſt falſa.

III. OBIECTIO.

Sententiæ datæ à ſummo *Sacerdote in Veteri Teſtamento acquieſcendum fuit, nec quicquam ulteriùs inquirendum aut diſputandum ,* Eccleſ.12. verſ.11.

At Papa Romanus eſt ſummus Sacerdos *Eccleſiæ Novi Teſtamenti, qui multò Majores habet promiſſiones , quàm Sacerdos Vet. Teſtamenti. Ergò multò magis* Papæ *ſententiæ nobis acquieſcendum , nec ulteriùs quicquam inquirendum &c.*

Reſpon. *In hoc argumento, neq; pes , neq; manus ſuum facit officium.* Primò *enim in Majore committitur fallacia* διαιρέσεως. *Verba enim à* Bellarmino *allegata (verba Sapientum &c. his amplius fili mi ne requiras) avelluntur à præcedentibus ,* verſ. 8.9.& 10. *tanquam prædicatum à ſuo ſubjecto : In iis enim quis ſit Paſtor ille unus, docetur, nempè Eccleſiaſtes* Salomon *ipſe , vel* Deus , *à quo tanquam à Paſtore & Patre omnium* Salomon *ſua excepit: in quâ ſententiâ eſt* Hieronymus *in Commentario in hoc Caput.*

II. Nihil hîc agitur de abſoluto judicio, *& poteſtate decernendi in Controverſiis Fidei*

& Religionis. At hoc eſt in Quæſtione, non illud, an ſcilicet fuerit unus ſupremus Sacerdos in Vet. Teſtamento. Minorem tum probabit Jeſuita, *quando* Scarabæus *mel faciet.*

IV. OBIECTIO.

Is eſt interrogandus de lege, *eiusq́; eſt judicare de ſententiâ Legis, ſententiamq́; Dei ex officio explicare, qui eſt Angelus Dei, & nuncius Dei,* Haggæi 2.verſ.12. Malach.2.verſ.7.

At Angelus & nuncius Dei, *qui de lege interrogandus eſt, eſt ſolus* Papa *Romanus. Ergò &c.*

Reſp. *Ad Maiorem, quatenus ea, juxtà ſenſum dictorum Propheticorũ, de officio docendi, & ſacra tractandi ordinario loquitur, per Conceſſionem. At ſi ea latiùs extendatur ad prohibendos & arcendos Laicos à lectione & cognitione & intelligentia ſacrarum Scripturarum, diſcretioneq́; ſpirituum, ſecundum regulam Scripturarum, Connexionem penitùs negamus. Nec enim ad id confirmandum, vel ad judicium abſolutum* Papæ *probandum, dicta illa Scriptura quicquam faciunt.*

Minor eſt purum putum Jeſuitæ Commentum. *Nam* Haggæus *non de uno, ſed de pluribus Sacerdotibus loquitur.* Malachias *omnibus curam & cuſtodiam legis ex officio commendat & imponit.*

V. OBIECTIO.

Quicquid in Vet. Teſtamento ad *Pontificem*

ficem ſummum pertinuit, Regibusq; prohibitum fuit, id in Novo Teſtamento ad Papam, *ſummum Pontificem etiam pertinet.*

At ſoli Pontifici *Veteris Teſtamenti tribuitur Judicium de dubijs Legis.* 2. Paral. 19. verſ. 5. 8. 11. *cùm Regi alia tribuantur. Ergò ad ſolum etiam* Papam *in N. Teſtamento judicium de dubijs Religionis pertinet, in quo ſimpliciter acquieſcendum, idq; pro regula fidei & interpretationis Scripturæ accipiendum eſt.*

Reſpond. *Vtraq; præmiſſa tàm vera eſt, quàm verum eſt,* Papam *ſimul eſſe Servum ſervorum, & Dominum dominantium. At, inquis, Nihilominùs in Vet. Teſtamento Præſes aliquis Religionis & Sacrorum fuit. Ergò in N. etiam Teſtamento talis eſſe debet, isq; eſt* Papa.

Reſpond. Connexio majoris falſiſſima eſt. Papam *enim ſummum Pontificem eſſe Eccleſiæ Novi Teſtamenti, falſiſſimum eſt. Non ergò cum* Papa, *ſed cum* CHRISTO, *ſummus veteris Eccleſiæ Sacerdos, tanquàm typus cum antitypo conferendus eſt. Præſes enim Sacrorum in N. Teſtamento eſt Chriſtus, cuius typum geſſit Pontifex ſummus Veter. Teſtamenti. Qui autem Chriſto alterum adjungit præſidem, religionis, more Veteris Teſtamenti, is umbram corpori,*

 typum

typum, antypo ſubſtituit. Deinde ſæpius *inculcatum eſt, quod Præſes ſacrorum in Veteri Teſtamento, non ex arbitrio egerit, ſed ſecundum præſcriptũ Legis, id quod ipſi cum Collegis in verbis adductis diligẽter inculcatur. Agite diligenter, ait Rex, & erit Dominus vobiſcum in bonis &c. Adjicitur & expreſſè limitatio Judicij illius, nempè ut judicium & cauſſam Domini populo judicarent. At* Papa *abſolutum ſibi Judicium arrogat, à quo ne ad Deum quidem appellare ſeu provocare ullo modo licitum ſit.*

Tertiò, quod Domini *cauſſam & judicium Sacerdotes Vet. Teſtamenti populo judicare debuerunt: Poteſtas novos fidei Articulos procudendi, ipſis ſimpliciter prohibita fuit. At* Papa *hoc imprimis de plenitudine poteſtatis ſuæ eſſe autumat. Non ergò Domini, ſed ſuam cauſſam populo judicare ſolet.*

VI. OBIECTIO.

Quicunq; habet poteſtatem *Clavium ſolvendi & ligandi ille eſt ſummus Judex, qui omnes nodos, ſeu legum diſpenſando, ſeu peccatorum & pœnarum relaxando, ſeu dogmatum & Controverſiarum explicando,* diſſolvere & explicatione ac ſententia ſuâ regulam fidei conſtituere poteſt, *omnibus ſine Cunctatione, tanquam veram tenendam.*

At

At ſolus Pontifex, *Petri Succeſſor, Claves illas habet*, Matt.16. *Tibi dabo &c. Ergò &c.*

Reſp. Majorem & Minorem negamus. *Habet n. Major craſſam & evidentem verborum Chriſti*, Matt.16. *depravationem: ſiquidem Claves nequaquam ſunt abſoluta poteſtas interpretandi Scripturas, decidendi Controverſias Religionis, & pro arbitrio peccata retinendi & condonandi, ſupra & contra ſcripturas diſpenſandi: neq; ſunt etiã imperium fidei: ſed ſunt poteſtas prædicandi Euangelium Chriſti, in univerſo orbe, ſecundum promiſſionẽ & fundamenta Scripturarum Propheticarum, & diſtribuendi* Sacramenta, *ac juxtà præſcriptum Chriſti peccata pœnitentibus remittendi, impœnitentibus retinendi. Quæ Claves non ſoli Petro aut* Papæ, *ut falſiſſimè Minor ſubſumit, ſed omnibus Apoſtolis, iiſq;, qui Apoſtolos in Miniſterio Verbi ſubſecuti ſunt, data ſunt*, Matth.18. Johan.20.

VII. OBIECTIO.

Id judicium, *cuius contemtu inobediens pro Ethnico & Publicano eſt habendus, ultimum eſt, & abſolutè pro regula fidei, & interpretationis ſcripturarum accipiendum.*

At Paſtorum judicium eſt id, *cuius Contemtu inobediens ut Publicanus & Ethnicus haberi debet*, Matth.18. *Dic Eccleſiæ* &c. *Vbi Eccleſia nomine, vel Prælatus, vel Præ-*

latorum congregatio intelligitur. Ergò &c.

Reſpon. *Extrà Oleas vagatur* Jeſuita, *qui, cum de ſupremo & abſoluto* Papæ *Judicio concludendum erat, de Eccleſiæ & Miniſterij judicio Ordinario concludit. Licet in Concluſione iſta conſtituenda timidiſſimùs ſit: ſiquidem videt, ea omnem* Papę *Monarchatum deſtrui, & æquum Jus, in componendis injurijs, & diſſidijs Chriſtianorum (de his enim agit Textus) omnibus Paſtoribus,* immò quibusvis fidelibus in nomine Domini *congregatis tribui: Hoc enim Epiphonemate Concionem ſuam ibi Chriſtus concludit: Quod ubicunq; duo aut tres ſint congregati in nomine ſuo, ipſe medius inter illos ſit futurus, & ratum habiturus, quicquid à Patre petendum decreverint.*

Eccleſia ergò ibi non aliquem *Supremũ Ariſtarchum & Prælatum, nec ſeorſim hanc aut illam in ſpecie congregationem, ſivè Sacerdotum, ſivè Cardinalium, ſive Epiſcoporum nec univerſalẽ Eccleſiam omnium terrarum,* ſed quamcunq; fidelium congregationem, quovis in loco, ſeu particulari aliquâ Eccleſiâ, *ſignificat, ad quos nomine totius Eccleſiæ loci illius, cognitio cauſſæ, ſeu offenſæ alicujus, ab eo, qui reconciliationem quærebat, deferebatur. Nec abſimile eſt, in ipsâ Concione, ſeu Congregatione Eccleſia, eiuſmodi perti-*

nacem Adverſarium, ab altera parte publicè accuſatum, & nomine omnium, ut Publicanum declaratum eſſe.

II. Ad ipſam Majoris Conſequentiam, *per inficiationem reſpondemus. Nam ut ultimum Eccleſiæ Judicium eſſe concedamus id, ad quod aliquis pro Ethnico & Publicano declaratur; abſolutum tamen & inſtar infallibilis regulæ fidei, ac normæ authenticæ interpretationis Scripturarum id idem eſſe, nunquam probabitur.*

II. Nemo non videt Pontificios, *hoc dicto propria ſua vineta cedere, & in extrema abſurda plabi. Nam ſi vera eſſet cõſequentia, jam non* Papa *tantũ & Romana Eccleſia, ſed qualibet Eccleſia particularis, cum ordine ſuo Eccleſiaſtico, hanc poteſtatẽ, quidlibet audendi & ſtatuendi in Articulis fidei, haberet, cui nemo contradicere quocunq; prætextu auderet. At hoc abſurdum eſſe, & maieſtati* Papæ *maximè adverſum, ipſi Pontificij agnoſcunt. Ergò &c.*

VIII. OBIECTIO.

Quæ obedientia Scribis & *Phariſæis ſuper Cathedram Moſis ſedentibus debebatur, ea etiam Romano Pontifici, ſuper Cathedram Petri ſedenti, debetur.*

At hæc obedientia Scribis & *Phariſæis ſuper Cathedram Moſis ſedentibus debebatur, ut quæcunq; in cauſſa fidei, & interpretanda*

Scriptura, dicerent ac decernerent, tanquam regulæ quædam fidei, ſervanda & facienda erant auditoribus & Eccleſiæ illius temporis, Matth.23. Ergò hæc *obedientia etiam Pontifici Romano debetur, ut quicquid dicat in cauſſa Fidei & decernat, tanquam rectum & verum & authenticum accipiendum & faciendum ſit.*

Reſp. Ad Majorem: *Quærendum primùm nobis eſſe* Jeſuitam, *quid intelligat per Seſſionem ſuper Cathedram Moſis & Petri. Nobis enim Cathedra Moſis & Petri eſt eius Doctrina: & ſedere in Cathedra Moſis & Petri, eius doctrinam tradere: Juxta* Heronymum in Cap.Matth.23. *Hoc ſenſu Maiorem Concedimus.* Probet autem Jeſuita, Papæ *cum Moſe & Petro in Doctrina convenire. At hoc non vult* Jeſuita: *Sed ita locum intelligit,* quod quicquid Prælati, aut Papa credendum decreverint, id pro regulâ fidei ſit accipiendum, ita ut nemini ulteriùs inquirere liceat, verúmne ſit quod dicat Papa, vel non. *At hoc purũ puum eſt Commentum: ſiquidem Chriſto in mentem nunquam venit, Phariſæis eiuſmdi autoritatem abſolutam aſſerere: Quin potius fidem eis derogat, Si non ex Moſe doceant, ſed fermentum ſuum admiſceant:* Math. 5. & 16. ac 15. & in hoc ipſo 23. Cap. *reprehendit eorum*

tra-

traditiones & ſuperſtitiones, quibus populum, tanquam ſub onere importabili detinebant, eosq́; duces cæcos vocat, verſ. 16.

Quòd porrò fingit Jeſuita. *Petrum fuiſſe Epiſcopum Romanum, & Monarcham Eccleſiæ, ac* Papam *in dignitate iſta ei ſucceſſiſſe: tàm verum eſt, quàm verum eſt, Petrum triplicem Coronam auream, inſigne* Papalis *dignitatis, geſtaſſe, eâdemq́; ab Angelis coronatum eſſe: ut habet pictura noſtri Altaris*. Petri Paulini *in Templo Cænobij juxtà* Sacellum Heydeccianum.

IX. OBIECTIO.

Is, cui oves paſcendæ, *hoc eſt, omnes Chriſtiani docendi commiſſi ſunt, eſt Summus Judex Controverſiarum fidei & interpretationis Scripturarum, qui conſtituere ac decernere totique Eccleſiæ pro imperio imponere poteſt, quid ab omnibus credendum ſit.*

At is, cui Oves paſcendæ *Commiſſæ ſunt, eſt Petrus cum Scceſſore* Papa *Romano*, Johan. 21. *Ergò Petrus cum* Papa *Romano eſt ſummus &c.*

Reſpon. *Ad Maiorem: univerſales Eccleſiæ Doctores Apoſtoli, quibus ſingulis univerſæ Oves Chriſti paſcendæ commiſſæ ſunt*, Matth. 28. *Judices verè ſunt, & qui ipſos in doctrina & officio Paſtorum ſequuntur.* Minor falſa eſt, *quòd uni tantùm Petro cura ac*

officium univerſam Eccleſiam paſcendi demandatum ſit. Papam *autem eſſe Succeſſorē Petri inprimis falſum eſt: nam nec Doctrinâ, nec officio Apoſtolatus & Miniſterÿ univerſalis, neq; loco & ſede officÿ,* Papæ *cum Petro cōvenit, ut alibi demonſtratum eſt.* Deinde, *paſcere Oves, non eſt conſtituere & decernere, aliisq; Prætoria autoritate & ex arbitrio dictare, ac imponere, quid credendum ſit: ſed eſt docere & prædicare, quæcunq; à Chriſto præcepta ſunt,* Matth. 28.

At Papa non prædicat aut concionatur. *Ergò, Oves non paſcit, adeoq; nihil reſtat, quo Petro in Succeſſione officÿ reſpondeat.*

X. OBIECTIO.

Pro quocunq; rogavit Chriſtus, *ne fides eius deficeret, is ex Cathedrâ errare non poteſt, ſed ſummus Controverſiarum Iudex eſt, cuius iudicio ſimpliciter acquieſcendum eſt.*

At Chriſtus pro Petro, & Succeſſoribus *Petri, Romanis Pontificibus oravit, ut fides eorum non deficeret.* Luc. 22. *Rogavi pro te, ne deficeret fides tua. Ergò, Petrus cum Succeſſoribus Romanis Pontificib. errare non poteſt, atq;* &c.

Reſp. Majoris Connexio falſa eſt. *Minor, quò ad poſterius membrum, de Succeſſione Pontificum & precibus pro ÿs factis, Cretenſis eſt veritas, de quâ loquitur Paulus* ad

Titum. 1.

Titum.1. verſ.12. Porrò, *ſi ſtaret Connexio Maioris, ſequeretur, omnes, pro quorum fide oravit Chriſtus, ut in ea non deficerent, in fide errare non poſſe, omnes Controverſiarum Judices ſupremos & abſolutos eſſe.*

Oravit autem pro *omnibus credentibus*, Johan.17. *Ergò &c.*

Sed quid preces Chriſti pro *finali perſeverantiâ Petri & omnium Electorum ad ſtabiliendum Monarchatum* Papæ & jus *dictandi Fidei articulos, ac Scripturam pro arbitrio interpretandi facere poſſunt? Aliud enim eſt tentationibus Satanæ non ſuccumbere. & in fide omnes tandem inſultus Diaboli ſuperare ac ſalvari (de quâ conſtantiâ Chriſtus in precibus pro Petro fuſis loquitur) Aliud verò eſt Dictatura illa, quam* Papa *ſibi in univerſam Eccleſiam eiusq; fidem arrogat: quam tamen Petrus nec habuit, nec arrogavit ſibi unquam. Erravit enim Petrus poſt preces Chriſti fuſas. Sed converſus eſt iterum. Imperium autem in Eccleſiam Prætorium, & ſibi & omnibus Miniſtris derogavit.* 1. Petr.5.

XI. OBIECTIO.

Quæ fuit forma decidendarum *Controverſiarum Fidei in primitiva Eccleſia obſervata, ea adhuc hodiè, & meritò & tutiſſimè obſervatur.*

At ea fuit forma. *Non ut quisq; ad ſpiri-*

tum ſuum remitteretur, ſed Concilium eſt habitum, præſidente Petro, cuius Iudicio & Decreto omnes ſimpliciter acquieverunt, neq; ulli conceſſum fuit de ſententia Concilij judicare, Actor.15. *Ergò, ea forma decidendi Controverſias fidei adhuc hodiè obſervari debet. Obſervatur autem cum Pontifex, Petri Succeſſor, Concilium convocat, eidemq; praeſt. Ergò Pontificis ſententiæ ſimpliciter omnes acquieſcere debent, nec ulli conceſſum eſt de ea judicare.*

Reſpon. *Proſyllogiſmum cum limitatione Minoris, promtè largimur. Nam ſi ita intelligatur Minor: quod non cuivis, ac temerario quidem auſu, & ſine ulla cauſſa, dicta & placita Maiorum, ex fundamentis Scripturarum eruta, exagitare, elevare, contemnere ac repudiare liceat, Vera ſane eſt, & Anabaptiſticæ cõfuſioni rectè oppoſita: At quod nemini omnino in ſententiam Concilij inquirere, aut de ea ſecundum Scripturas judicare licuerit: ſed ei, ſine omni ratione ſimpliciter & tanquam autoritate prætoriâ promulgatæ obtemperandũ fuerit, id verò nuſpiam legitur, quin imò praxi Apoſtolicæ ac Hiſtoriæ* Berrhoënſium, Act.17. *manifeſtè adverſum eſt. Alterum autem Syllogiſmum tanquam putidam principij petitionem rejicimus.*

XII. OBIECTIO.

Sine cujus Confirmatione Eccleſia *non credi-*

credidiſſet Paulo, neq; etiam nunc alicui creditura eſt, aut credere poteſt, illius ſolius eſt de doctrina fidei judicare, ac pro imperio ſtatuere, quid credere, & quomodo Scripturas intelligere debeamus.

At ſine Cõfirmatione Petri Eccleſia *non credidiſſet Paulo, neq; nunc ſine Confirmatione* Papę Succeſſoris Petri, *ulli creditura eſt, aut credere poteſt.* Galat.2. *Ergò Petri & Succeſſoris illius* Papæ *tantum eſt; judicare de Doctrinâ ac pro imperio ſtatuere &c.*

Reſp. Ad Majorem per diſtinctionem. *Si ab alterius Judicio abſolutè veritas & Fides, ac deciſio Cõtroverſiæ alicuius dependet, tũ ille Supremus Judex eſt, ſine cujus nutu & decreto nihil quidquam credendum.* Minor autem eſt falſiſſima. *Neq; etiã Paulus à Judicio Petri Euangeliũ ſuum ſuſpendit, negat enim hoc ipſe,* Galat.1.verſ.12.16.17.18. Galat.2.verſ.6.9.10.11.16. *Profectus autem eſt Hieroſolymas ad Petrum, ad confutandas Calumnias diſſidiorum, quæ Paulo à Pſeudo-Apoſtolis objiciebantur, quaſi in doctrinâ cum Petro & reliquis Apoſtolis ipſi non conveniret. Sed quid hac ad* Papam?

XIII. OBIECTIO.

Ibi judicium & norma, interpretationis *Scripturarum quærenda eſt, ubi Spiritus interpretationis certiſſimè invenitur.*

At

At non invenitur apud ſingulos *privatos fideles: ſiquidem alij hoc, alij aliud donum datur*.1.Corinth.12. *Neq; uni omnia dantur, in eo autem certiſſimè inveniuntur, qui præeſt universæ Eccleſiæ, & per quem tanquam per os ſuum, Eccleſia loquitur, qui eſt* Papa & Concilium, *cui præſidet* Papa. *Ergò, apud* Papam *ſolum &* Concilia *ipſius judicium interpretationis Scripturarum quærendum eſt.*

Reſp. Conceſsâ Majore ad Minorem: *Fatemur donum interpretationis omnes & ſingulos non habere: fatemur etiam cum* Luthero, illud ordinariè in Eccleſia, *quæ per Paſtores & Doctores ſuos, de Doctrinâ & Fide ſua, ſecundum Scripturæ normam, universo mundo teſtatur*, certò & tantùm inveniri: *Sed quid hoc ad* Papæ *Prætoriam autoritatē, & Eccleſiæ imperium, ac Jus, decernendi de Articulis Fidei, ac pro arbitrio præcipiendi, quid alijs credendum ſit? aut quid hoc ad deſtruendam intelligentiam & cognitionē Scripturarum, quantum cuilibet pio ad ſalutem neceſſarium eſt? Nihil quicquam.* Deinde Bellarminus, *in exegeſi huius Objectionis, ſe ipſum evidenter confutat.* Ait enim Sapientiam ad ſalutem neceſſariam omnibus dari pœnitentibus.

At hæc eſt Sapientia neceſſaria, *fundamenta ſalutis ex ipſis Apoſtolorum dictis habere*

bere & cognoſcere. Omnibus ergò Piis in cognoſcendis & intelligendis Scripturis tantùm datum eſt, quantum ad ſalutem cuilibet neceſſarium eſt: adeò ut ab alieno arbitrio & Pontificis ſententia, nemini hac in parte pendendum ſit.

Donum autem interpretationis *etiam in Eccleſia omnibus fidelibus datum non eſſe, ultrò concedimus. Sed an proptereà habet Pōtifex, quia omnibus datum non eſt? Et num is proptereà eſt Controverſiarum Judex, atq; errare non poteſt, quia donum hoc habet? Atqui multi donum interpretationis habuerunt, qui tamen errarunt: ut ex Patrum hiſtoria & Commentariis manifeſtum eſt: in quibus ipſi etiam Pontificii non paucos errores agnoſcunt.* Papa *verò quomodo donum interpretationis habebit, cùm officio interpretis nunquam fungatur? In Scripturis autem ex verbo Dei lecto, ac prædicato, rectiſſimè & certiſſimè quæritur, ac invenitur.*

XIV. OBIECTIO.

Ille Spiritus, qui ꝓbari debet, *non poteſt eſſe Judex Controverſiarum, & regulam fidei ac interpretationis præſcribere: nam Judex eſſe non poteſt, de quo ipſo adhuc judicandum eſt.*

At Spiritus hominum *privatorum probari debet,* 1. Johan. 4. verſ. 5. *Ergò nullus privatus Judex Controverſiarum eſſe poteſt, & regulam fidei præſcribere.*

Reſp.

Reſp. Majoris Cõnexio falſa eſt: *Siquidem ex hoc ipſo loco & præcepto* Johannis *contrarium colligitur: is enim omnibus fidelibus, licet privatis, mandat, ut Spiritus probent, imò omnia probent, & quod bonũ eſt, teneant. Ergò,* etiam privati, quisq; pro ſua vocatione, ordine & loco, judices Controverſiarũ ſunt: *qua de re jam ſuperiùs eſt dictum.* Quòd verò ait Jeſuita, *eum, de quo judicandum eſt, non poſſe eſſe Judicem; id quoq;* falſum eſt. *Siquidem Spiritus ſanctus etiã per Apoſtolos & Prophetas ſuos ad Judicium fidelium provocat,* eiq; ſeſe quaſi ſubmittit, qui tamen nihilominũs ſupremus & abſolutus judex manet, *cuius verbis ſimpliciter eſt credendum.*

Minor eſt manifeſtiſſima *verborum Iohannis depravatio:* neq; enim de hoc aut illo homine tantùm privato, ſed de Spiritibus in univerſum loquitur, *& vult, ut Pij eos probent, & ad Spiritus Sancti regulam examinent. A quo ne* Papæ *quidem Spiritus exceptus eſt. Et Paulus univerſali etiam particula expreſſè utitur.* 1. Theſſ. 5. *Omnia probate &c. Iudicio ergò fidelium omnis Spiritus, & inprimis Pontificis (de cuius immunitate nihil unquam conſtitit Apoſtolis) ſubjectus eſt.* Deinde *ita concludit* Jeſuita *ex eodem loco.*

De cujus ſententia dubitatur, *illud regula judicij, & probationis eſſe non poteſt. At de*

ſenten-

ſententia Scripturæ dubitatur : ut Exempli cauſſa de ſententia verborum Cenæ. Hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Sanguis meus. Ergò, Scriptura norma probationis & judicij eſſe non poteſt.

Reſpond. Commiti fallaciam Accidentis: *Nam major vera eſt de rebus, & verbis* per ſe dubiis & *ambiguis: Ex his enim nullum veritatis Judicium peti, vel fieri poteſt. At talis non eſt Scriptura. Nam etſi indociles quidam & Scioli, eius ſententiam & verba, ad conceptos errores ſuos detorqueant, eamq́ pervertant: Pij tamen ſenſum Spiritus Sancti, in ipſis Scripturis expreſſum ſibi adimi & interverti nunquam patiuntur. Lites ergò & rixæ, ac contentioſorum perverſa ratio, non Scripturæ, ſed vitio perverſorum iſtorum hominum eſt imputanda. Neq́ opus eſt, ut propterea, ad Prælatos Pontificios, & Concilia ipſorum confugiatur, quaſi ex Scriptura res expediri nequeat. Nam licet prælatorum ſententiam obtinuerimus, Controverſia tamen propterea non definita erit, ſiquidem nondum conſtabit, quis ſit verus Scripturæ ſenſus, ſed dubitatio nihilominus manebit, niſi ea ipſa, ex ipſis verbis Scripturæ diluatur.*

Etſi ergò Doctores Eccleſiæ & Concilia *audienda cenſemus, ſemper tamen limitatio hæc adjicienda eſt :* Audienda ea, quantum

ex Scriptura deducant & demonſtrent. *Quòd verò de ſuis Prælatis & Pontifice dicti-tat* Jeſuita, *quaſi is ex Cathedra docens nunquam errare poſſit, & idcircò ſententia illius abſq; omni Conditione, & abſolutè arripienda ſit, ſomnium eſt, uno Monachorum Ordine dignum.*

XV. OBIECTIO.

Caput 6.7.& 8. Bellarmini, *ubi de Praxi Eccleſiæ & teſtimoniis Patrum agit, uno hoc Syllogiſmo comprehendimus.*

Quæ fuit inde à primis ſeculis, Eccleſiæ *obſervata conſuetudo, in determinandis dubiis & Controverſiis Religionis, ea ipſa nunc quoque ab omnibus meritò obſervanda eſt.*

At hæc fuit perpetua conſuetudo *Eccleſiæ obſervata, ut judicio Romani Pontificis & Epiſcoporum, qui quovis tempore erant, nova dubia determinarentur: & qui non acquieſcerent, Hæretici haberentur: nec ullum exemplum diſſimile oſtendi poteſt. Sicuti & nullus pro hæretico eſt habitus, niſi prius à Cōcilio fuerit damnatus. Ergò eadem Conſuetudo, & nunc quoque ab omnibus meritò obſervanda eſt.*

Reſp. Ad Majorem. *Eccleſiæ conſuetudinem, ex divina Legis præſcriptis promanantem, omninò obſervandam eſſe.*

Ad Minorem. *Saluberrimum omninò eſſe re-*

ſe remedium contra hæreſes invaleſcentes, congregationem, & Concilia Epiſcoporum, juxta Scripturæ normam decernentium. Quod autem propter quamlibet diſſenſionem, aut propter quemvis errorem & hæreſin, ſit Conciliū congregandum, ut opinatur Bellarminus, *id nec operæ precium, nec conſultum eſt, ſicut etiam nec ab Eccleſia primitiva, hoc ita frequentatum eſt*, teſte Auguſtin. lib. 4. ad Bonifac. Cap. 12. Tom. 7. *Falſum igitur eſt, quod annectitur in Minore*, nullum Errorem pro hæreſi habitum eſſe, niſi de ſententia Concilii prius congregati. *Quod autem porrò de Pontifice & Epiſcopis Romanis, dicit* Bellarminus, *non minus falſum eſt, neq; ullius laboris eſt, diſſimilia exempla producere. In Actis enim Euangelicis non niſi de uno Concilio legimus Apoſtolorum, cùm tamen multò plures fuerint hæreſes, quæ ſola Concione, & ſcriptis Apoſtolorum confutatæ, ac damnatæ ſunt: Vt hæreſis* Ebionis & Cerinthi, *item hæreſis* Hymenæi, Alexandri, Phileti, *& ſimilium, qui reſurrectionem mortuorum negarunt. Judicium verò* Papæ *Prætorium, & ad definiendas Controverſias ac damnandas hæreſes abſolutè neceſſarium, penitus ignorat Vetus Eccleſia. Vt Concilium* Antiochenū, teſte Euſeb. lib. 7. Cap. 22. 23. & 24. *In quo Primæ* Firmiliano *Cæſareæ Epiſcopo tribuuntur*;

tur; & Dionyſii Alexandrini *ſententia inſtar omnium fuit primumq́ rogata.* Dionyſio *verò Romano Epiſcopo per Epiſtolam Concilij denunciatur tantum, quid* Antiochiæ *actũ ſit.*

Rem univerſam Bernhardus dilucidè *explicat*, Epiſt. 7. p. 208. Col. 2. & 4. *ubi ait: Opponi & anteponi poſſet Pontificis Romani, tãnquã gravior autoritas &c. talis potiùs proferatur, cuius autoritati*, omninò fas non ſit contradicere. *Certè ſummus ille Pontifex, qui per ſanguinẽ proprium ſolus, & ſemel introivit in ſancta &c. nec dico à ſubdito mandata præpoſitorum eſſe dijudicanda*, ubi nihil deprehẽditur divinis contrarium inſtitutis, ſed neceſſariam aſſero & prudentiam, qua advertatur, ſi quid adverſatur & libertatem, quâ ingenuè contemnatur.

Nullo modo ergò etiam Bernhardi *tempore, ita abſoluta fuit autoritas, Pontificis & Præpoſitorum poteſtas judicandi, ut ei ſimpliciter acquieſcendum fuerit:* Siquidem prudentia & libertas iſta in Piis tanquam neceſſaria laudatur & requiritur, *ſi doctrinarum Collationem cum divinis Scripturis inſtituant, & quid eis conſonum ſit, quidvé adverſum advertant.*

Quam eandem prudentiam & *libertatem, ſine omni privati judicij temeritate cum* Bernhardo *nos etiam requirimus & propugnamus.*

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

Tandem ſumma eſt Scripturæ perfectio. Quamvis enim, eodem numero literarum & verborum, phraſis & dictio Eccleſiæ, non ſemper in Scripturis exarata ſit ab Apoſtolis, ſicut in Eccleſia fidei Articuli proponuntur & explicantur, res tamen ipſa adeò ſufficienter expreſſa eſt, ut nihilomninò, quod ad ſalutem creditu neceſſarium eſt, omiſſum, nec quicquã prætereà, quod inde autoritatem non habet, pro verbo Dei accipiendum, aut tanquam neceſſarium ad ſalutem credendũ ſit.

EXPLICATIO.

IN Quæſtionibus *Catecheticis Pontificiorum hæc à fronte ſtatim poſita eſt.* Quis ſit Chriſtianus Catholicus? *cum annexâ reſponſione: Eum eſſe Catholicum, qui omnia credit, quæ Romana Eccleſia credit, ſivé ea in Scripturis exſtent, ſivé non. Qua quæſtione, Romana ſeu Pontificia Eccleſia clarè & perſpicuè teſtatur, ſe in ſola Scriptura minimè acquieſcere, ſed prætereà multos habere fidei articulos, de quibus ne jota quidem, aut apicem in Scripturis oſtendere, & demonſtrare poſſit.*

Imò ſatis eſſe Chriſtiano *ad Fidei ſuæ probationem & defenſionem, ſi omnes articulos ad*

unius Eccleſiæ Romanæ Judicium, & ſententiam referat: ſiquidem quod illa credat, ſtatuat, decernat, hoc omnibus ſine omni ulteriore diſquiſitione credendum ſit. Verùm quod fidei norma non ſit Eccleſiæ Romanæ fides, ſed Scriptura, ſuperiùs demonſtratum eſt, pag. 250. 288. 346. *Videndum igitur nunc*, num aliqui ſint fidei articuli, qui norma iſta Scripturæ non ſint comprehenſi & explicati. *Pontificij ajunt: nos negamus.* Notandum autem, *etſi Pontificij Articulos iſtos ſuos, Scripturæ autoritate minimè fulciant, quod nihilominus tamen eos ad Apoſtolos autores, ut plurimum referant, quos ita docuiſſe & ſine Scripto Eccleſiæ Doctoribus, tanquam ſecretiorem aliquam doctrinam, tradidiſſe & reliquiſſe dicunt.* Hinc ergò nomen Traditionum in Papatu ortum duxit, adeò ut nomine iſto, non tàm Ceremonias ab Eccleſia in Sacris peragendis libera poteſtate introductas & conſtitutas intelligant, quàm Articulos fidei Pontificiæ plurimos, *quorum fundamenta è Scripturis deduci, aut demonſtrari nequeunt*, ſed ſola autoritate & teſtimonio Eccleſiæ Romanæ, *hoc eſt* Papę & Prælatorum nituntur: *Hæc enim eſt Bellarmini Traditionum definitio*, libr.4. Cap.1. fol.251. Traditio eſt doctrina non ſcripta, non quod nuſpiam ſcripta ſit, ſed quod à primo

primo autore ſcripta non ſit, ac comprehendit præcepta, cùm fidei tùm vitæ Chriſtianæ, ad perfectionem & plenam abſolutamq; cognitionem Doctrinæ Catholicæ neceſſaria. *Dividuntur porrò* in divinas, Apoſtolicas & Eccleſiaſticas: *Divinæ & Apoſtolicæ ſunt, quæ acceptæ ſunt à Chriſto & Apoſtolis, & nuſpiam in divinis literis inveniuntur, vel quarum autor, origo & principium in Sacris literis oſtendi nequit.* Eccleſiaſticæ ſunt conſuetudines, quæ in Eccleſia *tacito conſenſu paulatim vim legis obtinuerũt. Eſt autem in recenſione Traditionum iſtarum ſumma Pontificiorum inconſtantia, ſiquidem ab aliquibus inter Traditiones numerantur, quas alij ex Scripturâ probare nituntur, adeò, ut nec unus ſit, qui in recenſendis ijs cum altero conſentiat: Vnde de Conſtantia & Concordia fidei inter Pontificios, de qua tantopere gloriantur, promtum judicium facere poſſumus: Colligamus tamen eas ex opinione præcipuorum, ut* Petri à Soto, Lindani, Mich. Pereſii, Bellarmini, Nicolai Cuſani, Cochlæi, Andradii &c.

DE SCRIPTVRA.

1. Scripturam eſſe divinam & *Canonicam.* 2. *Libros qui continentur in Biblijs eſſe Canonicos, & nec plures nec pauciores.* 3. *Nullum aliud præterea eſſe verbum Dei.* 4. *Euangelium Matthæi, Marci &c. eſſe verè & unius*

Marci & Matthæi purum, & incorruptum Euangelium. 5. Senſus & intellectus, & interpretatio Scripturæ. 6. Deciſio controverſiarum in Articulis fidei. 7. Quatuor tantum eſſe Euangelia. 8. Symbolum Apoſtolorum eſſe Apoſtolorum &c,

II. DE DEO.

1. Trinitas. 2. Æqualitas perſonarum divinitatis. 3. Patrem generaſſe Filium, ſeipſum intelligendo. 4. Spiritum ſanctum per mutuum Patris, & Filij amorem produci. 5. Spiritum ſanctum eſſe Deum.

III. DE CHRISTO.

1. Duas eſſe in CHRISTO *naturas. 2. Duas voluntates. 3. Duas operationes. 4. Vnionem Verbi non in Natura, ſed in perſona factam eſſe. 5. Deſcenſus Chriſti ad inferos. 6. Chriſtum eduxiſſe Adamum, & ceteros Patriarchas ex inferno.*

IV. DE SACRAMENTIS: Baptiſmo.

1. Septem eſſe Sacramenta. 2. Baptiſmus parvulorum. 3. Hæreticos non eſſe rebaptizandos. 4. Baptiſmum hæreticorum eſſe ratum. 5. Sacramentum initiationis pro fœminis in Veteri Teſtamento. 6. Pro Maſculis ante octavum diem mortuis. 7. Pro gentibus converſis in Veteri Teſtamento. 8. Trina immerſio aquæ in Baptiſmo. 9. Renunciatio

ciatio Satanæ. 10. Aquæ Baptiſmi benedictio & Conſecratio. 11. Baptiſmum non niſi aqua iſta eſſe adminiſtrandum. 12. Conſecratio Olei in baptiſmo. 13. Ceremoniæ in Baptiſmo, ut ſignum Crucis, inunctio Olei benedicti ac ſputi. 14. Baptiſmus Campanarum.

V. DE COENA.

1. Euchariſtiam merũ habere Jeſu Chriſti Corpus, ſeu Tranſubſtãtiatio. 2. Mixtio aquæ cum vino in Calice. 3. Euchariſtiam eſſe Sacrificium. 4. Oblatio Sacrificij altaris. 5. Aſſervatio Euchariſtiæ. 6. Adoratio Panis conſecrati. 7. Communio ſub una ſpecie. 8. Verba invocationis in oſtenſione Euchariſtiæ, & poculi benedicti. 9. Canon Miſſæ.

VI. DE RELIQVIS SAcramentis.

1. Materia, forma, Elementa, Verba & Effectus reliquorum quinq; Sacramentorum. 2. Sacramentum Confirmationis. 3. Sacramentum Ordinis. 4. Sacramentum Matrimonij. 5. Sacramentum pœnitentiæ. 6. Sacramentum extremæ unctionis.

VII. DE PAPA ET HIERARchia Eccleſiaſticæ, ac Votis.

1. Primatus Romani Pontificis. 2. Pontificem à nullo eſſe judicandum. 3. Petrum fuiſſe Romæ. 4. Diſtributiones officiorum in Eccleſia, Fraternitates, & ordines Monachorum,

Canonicorum, Regularium, Irregularium, Exorciſtarum, Tonſoriſtarum, Sacrificulorũ, Stationariorum, Terminariorum, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Oſtiariorum &c. Cælibatus Sacerdotum.

VIII. DE INVOCATIONE.

1. *Invocatio Sanctorum.* 2. *imaginum adoratio & cultus.* 3. *Ad orientem ſolem eſſe orandum.* 4. *Orationes pro defunctis.* 5. *Oblationes pro defunctis.* 6. *Roſaria.* 7. *Vigiliæ.* 8. *Reliquiæ Sanctorum.* 9. *Anniverſaria.* 10. *Peregrinationes ad ſtatuas & reliquias &c.*

IX. DE PECCATO.

1. *Omnes nos peccato illo originali naſci coinquinatos.* 2. *Nec niſi Baptiſmo expiari &c.*

X. DE JUSTIFICATIONE.

1. *Merita operum.* 2. *Neceſſitas ſatisfactionis.* 3. *Enumeratio peccatorum in confeſſione Sacerdoti facienda.* 4. *Indulgentiæ.*

XI. DE JEJUNIIS & FESTIS.

1. *Jejunium Quadrageſimale.* 2. *Jejunium quatuor temporum.* 3. *Celebratio diei Dominicæ.* 7. *Jubilæus.* 5. *Feſtum Corporis Chriſti.* 6. *Aliorum Feſtorum celebratio.* 7. *Matutinæ.* 8. *Nocturnales & tumultuoſæ.* 9. *Sepulcrum Crucis.* 10. *Elevatio imaginis Chriſti.* 11. *Dejectio ignis & aquæ die adſcenſionis Domini.* 12. *Demiſſio ligneæ columbæ in feſto Pentecoſtes.*

XII. DE APPARATV Sacrificulorum.

1. Conſecrationes ſalis. 2. Aquæ. 3. Cinerũ. 4. Cereorum. 5. Ignis. 6. Placentarum. 7. Altarium. 8. Templorum. 9. Statuarum. 10. Candelæ. 11. Veſtes. 12. Tabulæ. 13. Altaria. 14. Campanæ. 15. Cruces. 16. Vexilla. 17. Corollæ. 18. Herbæ. 19. Palmæ. 20. Aſinus Palmarum. 21. Ornatus ſtatuarum. Altariũ &c.

XIII. Purgatorium &c.

XIV. Signum Crucis in fronte pingendũ.

XV. HISTORICA.

1. Tres Magos veniſſe itinere tredecim dierum Hieroſolymam. 2. Fuiſſe Reges. 3. Vnum Æthiopem &c.

Ut videmus, magnus eſt *Traditionum cumulus, ſed quæ ita comparatæ ſunt, ut quædam nihil minus ſint, quàm Traditiones, quas Pontificij præter & extra Scripturã jactant: Habent enim certiſſima ſua fundamenta in Scripturis, quemadmodum ſuo loco docetur. Quædam verò ad claſſem rituum & Ceremoniarum, libero Eccleſiæ uſu introductarum & obſervatarum pertinent. Atqui de his inter nos & Pontificios, non eſt quæſtio, utrinq; enim fidei Articulos iſtos acceptamus, & Ceremonias, quæ ad εὐσχημοσύνην, & ædificationem pertinent, ac cultui divino faciẽdo non obſunt, quandiu ex uſu Eccleſiæ eſt, liben-*

libenter obſervamus, ſed de genere Traditionum eo eſt quæſtio, quas inter fidei Articulos Pontificij referunt, & tamen earũ in Scriptura nulla fundamenta oſtendere poſſunt: nempè an ſint quidam Articuli fidei, & doctrinæ Chriſtianæ, nomine Traditionum neceſſariò credendi & obſervandi, etiamſi nullo Scripturę teſtimonio probari poſſint aut debeant. *Huc dirigere debent ſua argumenta Pontificij: ſiquidem nos præter ea, quæ ex Scripturæ fontibus hauriuntur, fidei, & doctrinæ Chriſtianæ Capita neceſſaria, & ſalvifica nulla agnoſcimus.*

Bellarminus ſtatum Controverſiæ *non ſine fraude, & corruptela proponit: Cùm ait, Pontificios aſſerere, in Scripturis non contineri,* expreſsè totam doctrinam neceſſariam ſivé de fide, ſivé de moribus: & proinde præter verbum Dei ſcriptum, requiri verbum Dei non ſcriptum, *id eſt*, divinas & Apoſtolicas Traditiones. Nos verò docere in Scripturis omnia contineri, ad fidem & mores neceſſaria, & proinde, non eſſe opus ullo verbo non ſcripto, *libr. 4. cap. 3. fol. 253.* Non enim docemus omnia ſecundum apicem literarum, quæcunq; docentur, & dicuntur in Eccleſia, & eodẽ modo Scripturis expreſsè exarata eſſe: ſed de probationibus, argumentis & fundamentis dogmatũ expreſ-

expreſſis, ac evidentib. eſt quæſtio: utrum ſcilicet omnium Articulorum fidei Chriſtianæ neceſſariorum in Scriptura fundamenta perſpicua & expreſſa exſtent, *velut largius agamus*, utrum ipſi Articuli in Scripturâ quantum ad rem ipſam attinet, expreſſi & exarati ſint; *hîc nos affirmamus Papiſtis negantibus, & Scripturam tanquam imperfectam accuſantibus.*

Porrò ritus & Ceremonias *Eccleſiæ, quibus in peragendis Sacris utitur, hic longiſſimè ſeponimus, Liberam enim hac in parte Eccleſiæ poteſtatem permittimus Ceremonias, & ritus conſtituendi, modò ad ædificationem, & absq; confuſione fiat, neq; opus eſt ex Scripturæ ſpeciali præſcripto omnia ſingulatim deducere & derivare: Satis enim eſt ſi genus exſtet, & ad regulam omnium rituum & Ceremoniarum communem reductio & accommodatio, non abſurda fieri poſſit. Nempè: Ceremonias eſſe debere liberas, paucas, utiles, quæ ipſi cultui Divino faciendo inſerviant, & ad Majorem reverentiam, & ordinem obſervandum faciant.*

CONFIRMATIO I.

Scripturam omnia fidei neceſſaria dogmata continere.

I. ARGVMENTVM.

Ab expreſſo epitheto Scripturæ, Pſal. 19. verſ. 8.

verſ 8. *Lex Domini perfecta, convertens animas, teſtimonium Domini fidele, Sapientiam præſtans parvulis: In Hebræo eſt* Themímah: à Tham, *quod ſignificat perfectum.* Geneſ.6. *Legis autem vox generaliter accipitur, pro toto Veteri Teſtamento, indè ergò à Minori ad Majus argumentamur:*

Vetus Teſtamentum *perfectũ eſt, cui ad convertendos, & ſapientia inſtituendos, ac beandos homines nihil deeſt.* Pſal. 1. *Ergò multò magis tota Scriptura perfecta eſt.*

II. ARGVMENTVM.

Ex eodem genere *argumentationis, quod Scriptura dicitur Teſtamentum.* 2.Corint.3. ℣ſ.14. *Vſq; in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione Vet. Teſtamenti manet non revelatum.* Gal.3.verſ.15. *Fratres, ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum Teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuper ordinat: ubi notandum, quod Scriptura non ſimpliciter Teſtamento qualicunq; comparatur, ſed eiuſmodi, quod per mortem Teſtatoris ſine omni ulteriori additione, aut mutatione eſt confirmatum.* Syllogiſmus.

Omne Teſtamentum *legitimè factum, plenam Teſtatoris voluntatem comprehendit, præter & extra quod nihil fidem meretur, præcipuè ſi Teſtatoris ea fuit ſapientia, ut omnia rectè & perfectè meditari, ac Teſtamento cõprehendere potuerit.* At

At Scriptura eſt Teſtamentum, *quod Teſtatorem habet ipſum Filium Dei omniſcium. Ergò Scriptura perfecta eſt.*

III. ARGVMENT.

Ab expreſſo Mandato Dei, *quo ad Scripturam omnes alligamur, & remittimur in fide & vita.* Deuter. 4. verſ. 1. & 2. *Et nunc Iſrael audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te, cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Deuter. 12. verſ. 32. *Quod præcipio tibi*, hoc tantum facito, *nec addito quicquam nec minuas.* Deuter. 28. verſ. 1. & 18. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atq; cuſtodias, omnia mandata eius: niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius*, quæ ſcripta ſunt in volumine. Joſu. 1. verſ. 8. *non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* Joſuæ. 23. verſ. 6. *Tantùm confortamini, eſtote ſolliciti*, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moſis, *& non declinetis ab eis neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram. Obſervandum in his dictis primò, quod ea de Vet. Teſtamenti volumine loquantur, 2. quod tàm Sacerdotes, Reges, Duces, quàm populus omnesq; à Deo ordines, ad libros iſtos, in cultus Divini exercitio & vitæ inſtituto adſtringantur.*

Quod autem Bellarminus, lib. 4. cap. 10.

Ob-

Objection. 1. *oggerit dicta iſta de Verbo Dei tàm ſcripto, quàm non ſcripto in genere agere, atq; idcircò ad Scripturam falsò à nobis referri.* Reſpond. *Ipſum nebulas veritati offundere, & ſibi aliquod non ſcriptum fingere verbum, quod nuſpiam eſt. Nam hoc probandũ eſt* Jeſuitis, *quod poſt Scripturæ Canonem conſtitutum, aliud ſit verbum Dei non ſcriptum. Verbum enim Dei omni veneratione, dignum eſt, idemq; ſemper manet ſivè ſcriptũ ſit, ſivè non ſcriptum.* Deinde *Collatio dictorum ipſum manifeſtè confutat: ſiquidem ex locis adductis videmus, Spiritui ſancto prorſus ἰσοδυναμοῦντα & συνώνυμα* eſſe librum legi s, atq; legem ipſam, verba legis præcepta & mandata Dei, atq; ſcripta in libro legis, ſeu volumine. *Non ergò aliud eſt Lex, aut alia doctrina, quàm liber legis &c.* Hinc ergò concludimus.

Si Scriptuta legis *ſeu Veteris Teſtamenti, tàm perfecta fuit & plena, ut cultus Divini unica norma fuerit, multò magis Bibliorum Codex eius plenitudinis & perfectionis erit.* At prius. *Ergò & poſterius.*

IV. ARGVMENT.

Ab interdicto divino, *quo expreſſè prohibetur, ne ullo prætextu à Scripturâ recedatur, vel eidem aliquid addatur aut detrahatur.* Deuter. 4. verſ. 2. *Non addetis ad Verbum*

bum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eodem, cuſtodite mandata &c. Deuter. 12. verſ. 32. Joſuæ 23. verſ. 6. Dicta ſunt manifeſta, quæ non tantùm depravationi Scripturæ oppoſitæ ſunt, ut Bellarminus contendit, ſed etiam omni peregrino & alieno dogmati, quod in ea comprehenſum non eſt: *Siquidem ferre non poteſt Deus, ut vel latiſſimum unguem à præſcripto verbi, in Cultu ipſi⁹, rec: datur, aut declinetur, ſed nos ſolo eius verbo & legis divinæ præſcripto contentos eſſe vult.* Nam etiam leviſſima declinatio, Scripturæ contraria eſt: *ita ut etiamſi ponamus dicta iſta tantum de Scripturæ depravatione loqui nihil tamen obtinere poſſit* Bellarminus: Quod ſi enim Scriptura unicus Canon eſt, & unica norma Cultus divini, profectò Scripturæ vim infert, eiq; plurimum detrahit, *qui ab ea recedit, & aliquid aliud ſequitur.* Canon enim nullam declinationem ferre poteſt. *Porrò* Jeſuitarum *gloſſema, de Contrarijs dogmaſi, ipſa dictorum evidentia confutat. Contraria enim dogmata, non ſunt additio, ſed everſio Scripturarum, & plenaria apoſtaſia, ſeu abnegato.* Sit igitur Syllogiſmus:

A quo nullo prætextu *in fide & cultu Dei declinare licet, aut ei aliquid addere vel adimere, illud perfectam & plenam cultus Divi-*

Dd *nis do-*

ni doctrinam complectitur. At Scriptura &c. *& quidem Scriptura Veteris Teſtamenti: unde ſemper argumentum à Minore ad Majus, à parte ad totum validiſſimè nectitur.*

Ergò &c.

V. ARGUMENTUM.

A maledictione & pœna *anathematis, quo omnes ij percutiuntur, qui aliquid ſequuntur, & arripiunt verbum præter id quod in Scripturis eſt traditum.* Deuter. 27. verſ. 22. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius, nec eos opere perficit.* Galat. 1. verſ. 9. *Si quis vobis Euangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*, & verſ. 8. *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo Euangelizet vobis, præterquàm quod Euangelizavimus vobis, anathema ſit.* 2 Johan. verſ. 9. 10. Omnis qui recedit, & non permanet *in doctrina Chriſti, Deum non habet. Si quis venit ad vos,* & hanc doctrinam non affert, *nolite recipere eum in domum, ne ave dixeritis.* Apocalyp. 22. verſ. 18. & 19. Si quis appoſuit ad hæc, *apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto,* & ſi quis diminuerit &c. *Auferet Deus partem eius, de libro vitæ. Omnium dictorum eadem eſt ſententia. Nam dictum* Deuter: *eſt inſtar generalis Concluſionis, omnium legum & præceptorum Domini, per Moſen in literas relatorum, id quod, & ini-*

nium

tium huius Capitis, & totum 28. ſatis oſtendit. Paulus & Johannes univerſam regulam & doctrinam Miniſterij ſui cõplectuntur, omneq; id damnãt, quod ab ipſis non annunciatum & exceptum non eſt. Hæc enim eſt vis vocabuli, παρὰ præter, apud Paulum in Epiſtola ad Galatas, quemadmodum id in eodem Textu, per alia duo vocabula, τὸ ἕτερον καὶ τὸ ἄλλο, declaratur & exponitur. Quod autem Bellarminus *ait, Paulo illud*, Præter, idem eſſe, quod contrà & proindè non nova dogmata, & præcepta prohiberi: ſed prohiberi dogmata, & præcepta contraria & aliena. *Etſi hoc ita eſſet, nihil tamen cauſſam Pontificiam juvaret. Nam Traditiones* Papiſticæ *omnes ita comparatæ ſunt, ut Verbo Dei è diametro adverſæ ſint: qui etiam eo ipſo verbo Dei contraria ſunt, quod ſub normâ Scripturarum unica non comprehenduntur: & quia contraria dogmata prohibentur, neceſſariò etiam Traditiones ipſæ damnantur & prohibentur.*

Quicquid enim pro parte Cultus *divini, & Apoſtolici venditatur, nec tamen ſub normâ Cultus unica comprehenditur, id adulterinum, ſuppoſiticium & contrarium eſt verbo Dei: ſiquidem & veritatem, & perfectionem normæ unicæ violat ac corrumpit. At Traditiones* Papiſticæ *omnes eiuſmodi ſunt.*

Adulterina ergò & contraria Verbo Dei ſcripto.

Syllogiſmus hic ex ipſis *Apoſtoli Pauli verbis eſt ſumtus*. Galat. 1. verſ. 6. *Contendebant enim Pſeudo-Apoſtoli ſuum Euangelium non eſſe Apoſtolorum doctrinæ*, & Euangelio contrariũ, ſed potius eam ſupplere & perficere, *Contra quos objicit Paulus, eorúmque dicta in ipſos retorquet, dicens:* Eo ipſo quod non eſt idem, non eſt perfectio, ſed perverſio, ſeu converſio Euangelii Apoſtolici.

Sed quid verbis opus? *Falſum eſt, quod ait* Bellarminus, *à Paulo ibi contraria tantùm dogmata damnari, ſiquidem vocabula,* τὸ ἕτερον καὶ τὸ ἄλλο *quæ ſunt* ἐξήγησις *particulæ* παρὰ *longè aliud oſtendunt.* Deinde *ipſum Pauli inſtitutum hoc non fert: diſputat enim ibi contra eos,* qui pro defenſione ſuorum dogmatum ipſorum Apoſtolorum autoritatem allegabant, *& nihil magis eſſe, aut videri cupiebant, quàm ſe ſummis Apoſtolis* ὁμοψήφους *eſſe, & conſona dicere:* Cap. 2. verſ. 6. *Diſputat etiam contra Ceremonias quaſdam externas, quæ ſua natura verbo Dei ſcripto contrariæ non ſunt, ſi pro temporis ratione liberè obſerventur. Hinc ergò pro defenſione Veritatis, & perfectionis Euangelij ſui generaliter concludit, nec aliud Euangelium, præter id, quod ipſe Euangelizaverat, & Galatæ*

ſata ab ipſo acceperant, agnoſcere aut ferre cupit.

Quâ evidentiâ literę & verborum *adducti Patres hunc locum aliter non intellexêre, teſte* Bellarmino, fol. 299. *ut* Chryſoſtomus, Oecumenius & Theophylactus, Cap. 10. lib. 4. *Quibus adjice* Auguſtin. lib. 3. Cap. 6. *contra literas* Petiliani, Tom. 7. *ubi ait: Sive de Chriſto, ſive de eius Eccleſia, ſive de quacunq; aliâ re, quæ pertinet ad fidem vitámque noſtram, non dicam ſi nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, licet ſi nos, ſed omninò quod ſecutus adjecit: Si Angelus de Celo vobis annunciaverit, præterquàm quod accepiſtis in Scripturis legalib. & Eccleſiaſticis anathema ſit: Ubi obſervandum,* quod Auguſtinus hunc locum de Scripturis intelligit, extra quas aliud, ſeu Verbum, ſeu Euangelium Chriſti non agnoſcit.

Locus, Apocalyp. 22. *Corruptioni quidem libri iſtius in ſpecie opoſitus eſt. Atqui ea præcipua eſt librorum Scripturæ corruptio, ſi aliquid pro Apoſtolico venditetur, quod tamen libris Apoſtolorum exaratum non eſt. Quemadmodum is Apocalypſeos peſſimus corruptor, & depravator eſſet, qui aliam viſionem* Johanni *aſſcriberet, ab ipſo Apoſtolo in Apocalypſi ſua non deſcriptam.* Concludimus itaq;.

Quicunq; alia Apoſtolis *affingit & ſequi-*

tur dogmata, quam quæ in Scripturis exarata ſunt, ille eſt depravator Scripturarum, & maledictioni ſubjectus.

At Pontificii per ſuas Traditiones, *Apoſtolis alia affingunt, & ſequuntur dogmata, quàm quæ in Scripturà exarata ſunt. Ergò &c.* Et iterum.

Extra quod nullũ *aliud dogma fidei ſine maledictione accipi poteſt, aut debet iſtud abſolutũ, & perfectũ eſt, omnia omninò fidei dogmata neceſſaria comprehendens. At extra Scripturam nullum aliud dogma fidei. Ergò* &c.

VI. ARGVMENT.

Ab effecto: *quod eſt cognitio Chriſti & ſalus, unicus fidei noſtræ finis, quem omnes appetimus, nec quicquam præterea ex noſtrâ parte deſideramus, aut deſiderare debemus.*

Johan. 20. verſ. 31 *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus Chriſtus Filius Dei, & ut credentes, habeatis vitam per nomen eius.* Johan. 5. *Scrutamini Scripturas &c.*

Syllogiſmus.

Unde fidem & *cognitionem Chriſti eam habere poſſumus, quæ ad obtinendam ſalutem, & vitam æternam ſufficiens eſt, illud ipſum plenum & perfectum eſt, ac omnia fidei dogmata neceſſaria complectitur.*

At ex Scriptura fidem, *& cognitionem Chriſti eam &c.* Ergò &c.

Bellar-

Bellarminus exiſtimat locum Johan. 20. *non rectè à nobis ad cauſſam præſentem accõmodari, ſiquidem ibi de ſolis Chriſti miraculis, & ſignis agatur, non etiam de doctrina. Sed hoc falſum eſt. Etſi n. præcedentibus de miraculis loquitur, hæc tamen totius Euangelicæ Hiſtoriæ generalis eſt Concluſio.* Deinde *verbum iſtud,* FECIT, *& de miraculis, & de verbis, ac doctrina Chriſti, neceſſariò accipiendũ eſſe monſtrat Concluſio Capitis, 21. ubi eodem verbo,* FECIT, *utitur, cùm tamen ibi non de miraculis, ſed de inſtitutione Miniſterij agatur.* Auguſtinus *certè de dictis, & factis Chriſti locum Johannis accipit,* Tract. 49. in Johan. *dicens. Sanctus Euangeliſta teſtatur Dominum Chriſtum, & dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, electa ſunt autem, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur,* ita Cyrillus in Joh. lib. 12. Tertiò, *ineptum eſt, quod* Bellarminus *exiſtimat, ſi ſolũ Euangeliũ Johannis ſufficeret, reliquos Scripturæ libros ſupervacaneos, & inutiles fore: cùm potiùs contrarium inde concludi poſſit, hoc modo: Si ſolum Euangelium Johannis ſufficiens eſſe poteſt ſaluti noſtræ procurandæ: multò magis ergò univerſa Scriptura ſufficiens eſt.*

Ita tamen loquitur Johannes de ſuo *Euangelio, ut reliquos libros Vet. & N. Teſtamenti non excludat, ſed ſimul potiùs compre-*

hendat. Hoc enim Apoſtolorum perpetuum inſtitutum eſt, ut ad priores Scripturarũ libros ſemper reſpiciant, eoſdemq́; ſuo teſtimonio, & doctrinâ comprobent. Quemadmodum hoc ipſum Johannes in ſuo Euangelio ſtudioſiſſimè obſervavit, qui teſtimònia Prophetarũ nullibi non adducit, ac tandem his verbis Capit. 20. *univerſum Scripturarum Corpus tùm editum colligit. Quapropter verba iſta nequaquã* excluſivè, *de ſolo iſto Johannis libro accipienda ſunt*, ſiquidem vel Vetus tantùm Teſtamẽtum, *toties ab Euangeliſta allegatum excludi nequit.* Deniq́; *hunc verborum ſenſum (ut ſcil. excluſivè de ſolo Euangelio Johannis non intelligantur) ipſa etiam temporis ratio exigit. Poſtremus n. omnium ſuum Euangelium ſcripſit Johannes, lectis prius reliquis Euangeliſtarum opuſculis. Concluſione igitur Euangelij ſui, omnia dicta & facta Chriſti à reliquis Euangeliſtis perſcripta reſpexit, & ita generale Epiphonema ſuo teſtimonio adjecit.*

VII. ARGUMENTUM.

Ejuſdem generis argumentum *ab Effectis ductum eſt*, 2. Tim. 3. verſ. 14. 15. 16. 17. *Tu verò permane in ijs, quæ didiciſti & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris; & quia ab infantia Sacras literas nôſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigen-*

gendum, ad erudiendū in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.

Hic locus præcipuus eſt, *qui ad Scripturæ perfectionem, & ſufficientiam aſtruendam facit: cui ferè tot inſunt argumenta, quot vocula.* Primò *n, Scripturæ expreſſa fit mentio, quæ in univerſo ſermone* ſubjecti locum obtinet. 2. *Quin imò ferè de Scripturis tantum Veteris Teſtamenti ſermo eſt. Loquitur enim de ijs Scripturis Paulus, quas ab infantia Timotheus didicerat. 3. Cui adjunge eas quæ tempore ſcriptæ huius Epiſtolæ N. Teſtamenti editæ erant. 4. Harum ergò Scripturarum effectus recenſetur: qui eſt ſalus per fidem in Chriſtum Ieſum. Fidem ergò eam conferunt Scripturæ, ex qua certa ſalus ſequitur. 5. Quin imò per membra ſingulatim exponit Paulus, quid Scriptura in tradēda fide, & inſtitutione Chriſti conferat: primò doctrinam, ſecundò confutationem, tertiò Correctionem, quartò inſtitutionem in juſtitia; quibus quatuor effectibus omnia ea comprehenduntur, quæ homini Chriſtiano ſcitu & factu neceſſaria ſunt: Necquicquam prætereà reſtat. 5. Hos effectus ita operatur Scriptura, ut hominem Chriſtianum in ijs ſingulis perfectum facere queat: Ita enim ſonant verba:* Ut perfectus ſit Dei homo ad omne opus bonum perfectè inſtructus. 7. *Id inprimis ad rem præſentem*

facit, quod non de qualicunq; Chriſtiani hominis inſtitutione agit, ſed de perfectiſſima Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ inſtitutione & eruditione. Nam Timotheo Epiſcopo Epheſino, hoc præceptum de Scriptura legenda & cognoſcenda proponit. Nec exiſtimo, vel pietate, vel doctrina Theologica hoc Timotheo ullũ Papam *ſuperiorem fuiſſe, aut futurum eſſe: Atqui eum Paulus nihilominus ad Scripturarum aſſiduam meditationem adſtringit; ex qua ipſi omnia ea, quæ Epiſcopo in officio rectè, & fideliter obeundo, ſaluteq́; acquirenda neceſſaria ſunt, promittit. Hæc igitur nos ad ſex ſequentes* Syllogiſmos *breviſſimè redigimus.*

I. Si Scriptura Veteris Teſtamenti, tàm *perfecta eſt, ut Epiſcopum in fide Chriſti ad ſalutem ſufficienter inſtituere queat: Scriptura univerſa ſufficientiſſima & perfectiſſima erũt.* At prius teſte Paulo. *Ergò & poſterius.*

II. Si Scriptura ad Epiſcopum & *Doctorem Eccleſiæ perfectè, in officio ſuo inſtituendo utilis eſt, Scriptura ad omnium omninò Chriſtianorum uſum, & inſtitutionem ſufficientiſſima & abſolutiſſima erit.* At prius teſte Paulo. *Ergò & poſterius.*

III. Si nullum eſt Caput Doctrinę *Chriſtianæ, quod ex Scriptura addiſci non poſſit, & ita quidem addiſci, ut indè ad nos perfectio in*

omni

omni opere bono, & ſolida, ac vera fidei ſalvificæ Sapientia redeat. ſequitur, Scripturas abſolutiſſimas, & perfectiſſimas eſſe. At prius teſte Paulo. *Ergò & poſterius.*

IV. Si Scriptura non tantum ad *inſtitunẽ veritatis plenam, ſed inſuper etiam ad falſarum opinionum Confutationem perfectam utilis eſt. Scriptura perfectiſſima & ſufficientiſſima erit. Nam ea eſt abſolutiſsima ſcientia quæ non tantum ad veritatis cognitionem, ſed etiam ad plenariam falſitatis detectionem, & refutationem facit.* At prius, teſte Paulo. *Ergò & poſterius.*

V. Si Scriptura norma eſt & vitæ *& fidei, in qua cùm quò ad theſin, tùm quò ad antitheſin, non cuivis tantum Chriſtiano, ſed etiam Doctori Eccleſiæ perſiſtendum, permanendum eſt, ut ità perfectus ſit Dei homo in omnibus, Scriptura ſufficiens, & perfecta erit.* At prius, teſte Paulo. *Ergò & poſterius.*

VI. Quod ad omnia utile eſt, *in fide, & vita tùm quod ad inſtructionem, & gubernationem, tum quod ad refutationem, & correctionem attinet, illud plenam & perfectam doctrinæ, ac vitæ Chriſtianæ normam complectitur. Ratio conſequentiæ:* Nam cujus uſus univerſalis eſt, *ab eo nihil excipi poteſt, cujus indigentiæ non medeatur.*

At Scriptura ad omnia utilis eſt, *quæcũq;*

inſt-

in fide & vita Chriſtiano homini, ac imprimis Doctori, tenenda & repudianda, facienda & fugienda ſunt. Ergò plenam & perfectam &c.

Hæ manifeſtę, & abſolutiſſimæ ſunt, *pro Scripturæ perfectione, & plenitudine demonſtrationes, contra quas Adverſarijs præter vana effugia nihil reliquum eſt.*

Cavillatur autem primò Bellarminus *in Vocabulo*, omnis, *quod non Collectivé pro integro Scripturæ Syſtemate, ſed diſtributivé, pro omnibus & ſingulis Scripturarum libris vult accipi; unde hoc ſibi videtur colligere abſurdum: Quod qualibet Epiſtola ſufficiens foret, ut* Epoſt. 2. Johan. *annectitq́ꝫ conſectariũ vulgare: Reliquos propterea libros omnes ſupervacuos & inutiles fore.*

2. Cavillatur in vocabulo Utilis, *utilem ſcilicet eſſe Scripturam ad dictos effectus, producendos*, ſed non ſolam: *qua inſtantia hoc vult*, nos Categoricam perversè in excluſivam commutare, *vel nos ex cauſſa adjuvante facere ſolitariam, cùm tamen rei unius plures cauſſæ adjuvantes eſſe poſſint. Eſt igitur* Bellarmino *utilis Scriptura ad ſalvandum hominem, veluti panis ad nutriendum.*

Reſp. Ad primum. *Vocabulum* Omnis, *omninò Collectivè intelligendum eſſe, ſiquidem Apoſtolus de integro Scripturarum Vet. Teſtamenti Corpore, quod Timotheus didicerat, loquitur. Syſtema ergò Scripturarum conjun-*

ctim, tanquam Timotheo cognitum, ſibi Apoſtolus propoſitum habet. Præterea effectus ipſe arguit particulam iſtam Collectivè accipiendã eſſe. Nam ait utilem eſſe Scripturam ad hoc, ut homo Dei ſit perfectus ad omne opus bonum inſtructus, ut ſalvus fiat, id verò uni alicui breviſſimæ epiſtolæ, ut ſecũdæ Johannis, aut cuivis periodo, & ſentẽtiæ adſcribi nequit. Ergò &c.

Quod alterũ attinet de *Vocabulo* Utilis, *reſpondetur, uſum ſeu utilitatẽ iſtam* planiſſimè pleno & abſoluto effectu ab ipſo Apoſtolo Paulo definiri: *Cùm ergò Scriptura ita utilis ſit, ut inde perfectus fiat Dei homo, ad omne opus bonum inſtructus, utique hæc non eſt* particularis, ſed univerſalis utilitas, *quæ Scripturæ ſufficientiam, in omnibus neceſſarijs arguit, adeòut ex parte Dei nullum aliud nobis ſalutis noſtræ mediũ ſit deſignatum. Quando a. ſcriptura unica ſalutis noſtræ, & ſufficiens regula dicitur: id nequaquam cauſſæ efficienti, aut organo fidei*, ſed ejusdem generis cum Scripturâ cauſſis, quæ fingi & excogitari poſſunt, opponitur. *Concidit ergò ſimilitudo* Bellarmini, *à cibo petita: Cibus n. utilis eſt ad nutriendũ, ſed non ita utilis, ut nutritionẽ abſolvat, & perfectam ac plenam perficiat, quod tamen Paulus de Scripturæ uſu, & utilitate claris verbis aſſerit.* Ab effectu ergò perfecto, & abſoluto perfectio cauſſæ firma demonſtratione colligitur.

VIII. AR-

VIII. ARGUMENT.

Iterum ab effectu, 2. Pet. 1. verſ. 19. *Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in Cordib. veſtris.* Undę cõcludimus. Quod eſt lumen, ad *Chriſtũ & vitam æt. viã ad id unicè attendentib. demonſtrans, id plenum & perfectum eſt.* Scriptura tale lumen eſt. *Et quidẽ obſervandũ eſt, quod de Scriptura Prophetica, Petrus loqtur, unde ſemper à minori ad majus argumẽtari poſſumus. Ergò &c.*

IX. ARGUMENTUM.

Ab effectu, *qui eſt vita Deo grata, & conſcientia ſine offendiculo,* Act. 24. verſ. 14 15. 16. *Confiteor a. hoc tibi, quod ſecundum Sectam, quam dicunt hæreſin, ſic deſervio Patri Deo meo credens omnibus,* quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt: *Ubi notandum, quod Paulus hæreſin ſive doctrinã Euangelij definiens, eam doctrinam appellat, quæ Scriptis Prophetarũ & Moſis comprehendatur, ita enim,* Act. 26. verſ. 22. *etiam ait. Se nihil extra doctrinam Moſis & Prophetarum, unquam docuiſſe aut dixiſſe.* Concludimus igitur.

Si Paulus Apoſtolus credens iis, *quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt, per fidem iſtam, ſine offendiculo Conſcientiæ, Deo verum Cultũ exhibere potuit, & ſpem ſalutis æternæ certam*

fove-

fovere, Scripta Moſis & Prophetarum; adeoq́; multò magis Apoſtolorum etiam, omnibus ad omnia ſalutis, & fidei neceſſaria dogmata erunt ſufficientia. At prius. *Ergò &c.*

X. ARGVMENTVM.

Ejuſdem eſt generis, Luc. 16. vſ. 29. & 31. *Audiant Moſen & Prophetas &c.*

Syllogiſmus.

Per quod unum æternam *damnationem effugere poſſumus, & ſalvi fieri, illud perfectũ & abſolutum eſt.* At per Scripturã. *Ergò &c.*

XI. ARGVMENT.

A fine Scripturarum peculiari, *qui eſt certitudo doctrinæ & fidei Chriſtianæ;* Luc. 1. verſ. 4. *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Eſa. 30. verſ. 8. *Nunc ergò ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo, in teſtimonium uſq́; in æternum.*

Syllogiſmus.

Quæ ſcripta ſunt, *ideò ſcripta ſunt, ut de eorum Veritate, quàm certiſſimi ſumus, eaq́; inviolata perpetuò cõſervemus: Vel is finis eſt Scripturarum, ut de fidei doctrina certum perpetuumq́; habeamus teſtimonium.*

Omnia igitur de quibus *certi eſſe debemus, ab Apoſtolis ſcripta ſunt.*

XII. AR-

XII. ARGVMENT.

Ab antecedente & Cōnexo, *quod Apoſtoli aliud Euangelium non prædicarint, quam quod à Prophetis prædictum, & pronunciatum fuit,* Rom.1.verſ.2. *Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio Dei.* Actor.2. verſ.3. Rom.16.verſ.25. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare juxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum revelationem myſterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum.* Quibus dictis Paulus pro iiſdem utitur, & æquipollentibus terminis (Euangelium, prædicatio Euangelii, patefactio myſteriorum, Scripturæ Propheticæ.) *Hinc ergò concludimus, & nullum aliud eſſe verbū Salutis præter Scripturam, & ſcriptum hoc verbum omnibus numeris abſolutum & perfectum eſſe.* Paulus *enim in miniſterio ſuo Euangelium & Conſilium Dei univerſum de Ieſu Chriſto filio eius, prædicavit. At id univerſum promiſſum & exaratum eſt in Scripturis Propheticis, teſte eodem Paulo. Ergò in Scripturis Propheticis, univerſum Euangeliū Chriſti eſt comprehenſum: & quia in Scripturis Propheticis, idcircò eò illuſtrius & abundantius in univerſa Scriptura.*

His reſpondet locus, Luc.24.vſ.26.&27.

Vbi Chriſtus diſcipulos ſuos in declaratione Articuli Paſſionis & reſurrectionis Dominicæ, ac de Perſona & officio Chriſti, ad Scripturas Propheticas remittit.

XIII. ARGVMENTVM.

Ab Antecedenti. *Quod Scriptura eſt fundamentum, quo univerſa Eccleſia nititur*, Epheſ.2.verſ.20. *Eſtis Cives Sanctorum & domeſtici Dei, ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Jeſu Chriſto, præter quem illud fundamentum poni nequit.* 1. Corint.3. *Quem locum de Scripturis intelligendum eſſe præcedentia argumenta evincunt: non tantum, quia doctrina Prophetica non niſi ex Scriptura ab Apoſtolis demonſtrata eſt, ſed quia Apoſtoli de nullo alio Euangelio & Verbo Dei ſciunt, quàm quod Scriptum eſt.* Concludimus igitur:

Si Scriptura eſt fundamentum, *quo univerſa Eccleſia nititur, tum erit Eccleſia ad omnia ſufficiens.* At prius. *Ergò & poſterius.*

XIV. ARGVMENTVM.

A teſtimonio Euangeliſtarum & *Apoſtolorum expreſſo, quo teſtantur, ſe omnia ſcripſiſſe, ad Chriſti agnitionem ſalutarem neceſſaria.* Actor.1.℣ſ.1. *Primum quidem ſermonem feci* de omnibus ô Theophile, quæ cæpit JESUS facere & docere. Actor.20. *dicit*

Ee *Pau-*

Paulus, ſe omne conſilium Dei annunciaſſe, *qui tamen teſtantur, ſe nihil extra Prophetas, aut Euangelium in Scripturis Propheticis revelatum dixiſſe*. Roman. 1. & 16. Actor. 26.

Syllogiſmus.

Si Scriptura *univerſam doctrinam & res geſtas Chriſti comprehendit, ea perfectiſſima eſt*. At prius, *teſte Luca*. *Ergò &c.*

II. Si omne Conſilium Dei *in Scriptura exaratum invenitur, ea perfectiſſima eſt.*

At prius. *Ergò & poſterius.*

XV. ARGVMENTVM.

Si Scriptura eſt unicus *Controverſiarum judex, ſeu vox Judicis, Scriptura erit perfecta & ſufficiens*. At prius, ut ſuperius. *Ergò & poſterius.*

Tandem *omnia argumenta*, quę pro unitate normæ & judicii Scripturarum ſuperiùs allata ſunt, huc referri volumus.

CONFIRMATIO II.

Traditiones Pontificias & inutiles & Scripturæ adverſas eſſe.

I. ARGVMENTVM.

SCRIPTURÆ perfectæ ſunt, ut probatum. Traditiones ergò & nullæ & inutiles.

II. Argum. Quicquid unitatem, *& conſtantiam Canonis turbat & tollit, illud Scripturæ adverſum eſt.*

Tradi-

Traditiones *unitatem Canonis Scripturarum tollunt. Ergò &c. Minor argumento quarto ſuperiùs probata eſt.*

III. Argum. Eſa.8. *Ad Legem & teſtimonium &c. Vbi Legis & teſtimonij nomine, Scripturæ Propheticæ intelliguntur, eaque omnia damnantur, quæ ex lege iſta non deducta ſunt.* Generale enim eſt præceptum Prophetæ. *Concludimus igitur:*

Nulla eſt Lex & Salus in ijs, quæ ſunt extra Scripturas.

Pontificiæ Traditiones ſunt extra Scripturas.
Ergò in Traditionib. Pontificijs nulla eſt ſalus.

IV. Argum. Galat. 1. verſ. 9. *Si quis vobis &c.* Syllogiſmus &c.

Qui aliud & diverſum habet *Euangelium ab eo, quod ab Apoſtolis acceptum & in Scripturis comprehenſum eſt, anathema eſt.*

Traditiones *Pontificiæ aliud & diverſum habent Euangelium ab eo* &c. *Ergò* &c.

II. Quicquid ab Apoſtolis non eſt, *illud de fide non eſt. At Traditiones Pontificiæ (vel Eccleſiaſticæ ſaltem) ab Apoſtolis non ſunt. Ergò de fide non ſunt.*

Major eſt Bellarm. lib. 4. cap. 9. fol. 292. *ubi ait*: Nihil eſt de fide, niſi quod Deus per Apoſtolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur: Non enim novis revelationibus regitur Eccleſia, ſed in iis permanet, quæ tradiderunt

illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis, *& propterea dicitur ædificata ſupra fundamentum &c.* Epheſ. 2. Quod autem ad regendam Eccleſiam non facit, illud de fide non eſt, & planè inutile eſt.

Traditiones Pontificiæ ad regendam Eccleſiam nihil faciunt. Ergò &c.

Minor probatur *ex verbis Bellarmini:* Quia ſunt novæ revelationes, quę Apoſtolis ignotæ fuerunt. *Siquidem Apoſtolis nihil aliud notum eſt, quàm quod per Prophetas in Scripturis prænunciatum eſt*, Rom. 1. verſ. 1. & 16. ℣ſ. 26.

V. Argum. Matth. 15. verſ. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei, propter Traditionem veſtram.* & verſ. 9. *Sine cauſſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Eſa. 29. verſ. 13.

Syllogiſmus.

Quicquid præter mandatum *Dei eſt, illud in Cultu Dei, & inutile & pernicioſum eſt.*

At Traditiones Pontificiæ *præter mandatum Dei ſunt: Mandatum n. & Lex Dei ſcripta eſt. Ergò &c.*

Poſteà obſervandum *eſt, de quibus Traditionibus loquatur Chriſtus: ijs nempè, quæ honeſtatis ſpeciem habent & per ſe Cultui Dei adverſæ non ſunt: ut ſunt lotiones, Oblationes ad Sacrificia &c. Damnantur autē à Chriſto,*

quia

quia velut Cultus neceſſarius urgebantur à Judæis. Unde Concludimus.

Si eæ Traditiones à Chriſto *damnantur, quæ per ſe honeſtæ, & mandato Dei adverſæ non ſunt, Cultui tamen divino adjiciebantur: nullæ Traditiones extra, & absque expreſſo Dei mandato in Cultu, & doctrina fidei recipiendæ erunt.*

At prius. *Ergò & poſterius.*

VI. Argum. Si Eccleſia partim Scripturâ, *partim Traditionibus nititur, Eccleſia ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum unicum, in quo imus Angularis eſt* CHRISTUS, *non erit exſtructa.*

At poſterius abſurdum. *Ergò & prius.*

Connexio Majoris probatur 1. *Eccleſiaſticæ enim Traditiones, nec ab Apoſtolis originē ducunt, nec à Prophetis, fatente ipſo* Bellarmino. *Atqui has pro Articulis fidei haberi volunt.* 2. *Fundamentum Prophetarum & Aopoſtolorum eſt doctrina ipſorum Scripturis comprehenſa, ut ſuperiùs probatum.*

VII. Argum. Si omne quod certo credendum eſt, *ſcriptum eſt, ſequitur, quod ſcriptum non eſt, illud & incertum, & credendum non eſſe. At omne quod certò ſtatuendum credendum eſt, ſcriptum eſt,* Luc. 1. *Vbi hic finis Scripturarum exprimitur, ut de dictis & factis Chriſti certò nobis conſtet, cùm*

contrà Traditiones Papiſtarum ſcriptæ non ſint.

Traditiones ergò & *incertæ & credendæ neceſſariò non ſunt.*

VIII. Argum. Sine quibus *ſalvari poſſumus, ea ad fidem & doctrinam Chriſti non pertinent. Nam Chriſtus de verbo ſuo ne jota quidem in dubium vocari aut perire vult. At ſine Traditionibus ſalvari poſſumus*, teſte Bellarmino ipſo, libr. 4.cap.11. *de verbo Dei*, fol.36. *Ergò Traditiones ad fidem & doctrinam Chriſti non pertinent.*

IX. Argum. Scriptura omnia ea *complectitur, quæ ad fidem omnibus neceſſaria ſunt. Ergò Traditiones neceſſariæ non ſunt, ac proinde de fide non ſunt. Antecedens eſt* Bellarmini, fol. 305.

X. Argum. Huc faciunt teſtimonia *Patrum*, Irenæi lib.3.cap. 1. *qui ait: Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos: quod quidem tùm præconiaverunt: Poſteà verò, per Dei voluntatē in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Vbi notandum.* 1. *quod ait, Apoſtolos id Euangelium in Scripturas retuliſſe, quod pronunciaverunt, non partem tantùm Euangelij. Aliâs enim non idem dixiſſent, quod ſcripſiſſent.* 2.

Ex

Ex fine, quem Irenæus *ſcriptioni Apoſtolicæ aſſignat, perfectio Scripturarum clariſſimè monſtratur: nam ideò ſcripſerunt, ut haberemus fundamentũ fidei. Traditiones ergò eo ipſo ad fidem non pertinent, quia Scripta non ſunt.* Baſilius *in libro de Confeſſ. fidei: Manifeſtum eſt infidelitatis & arrogantiæ crimen, vel rejicere aliquid, quod ſcriptum eſt, vel addere aliquid, quod non ſcriptum eſt. Quibus verbis* Baſilius *non tantum Contraria, & nova hominis privati inventa rejicit, ſed omnia peregrina, idq́ exemplo Chriſti, qui nihil aliud dixit, quàm quod à Patre in mandatis accepit, ſuaque omnia è Scripturis Prophetarum & Moſis demonſtravit.* Luc. 24. *Quicquid ergò ex mandatis Patris Celeſtis, quæ in Prophetis & Moſe ſcripta ſunt, non deducitur & demonſtratur, illud univerſum rejiciendum eſt.* Idem Epiſtola 80. *Non putamus æquum eſſe, ut quæ apud ipſos obtinuit loquendi conſuetudo pro lege & Canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam rectam doctrinam valet conſuetudo, licet & nobis omninò hac in re illos imitari.* Stemus itaq; arbitratu Scripturæ à Deo inſpiratæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis conſona, illis omninò veritatis adjudicetur ſententia. *Agit autem* Baſilius, *hoc loco, non de privatâ alicuius Ec-*

cleſiæ conſuetudine. ſed de graviſſimo fidei Articulo: nempè de tribus hypoſtaſibus in una divinitate: quem ex Scriptura, contrà quam Papiſtæ *faciunt, probari vult.* Papiſtę *enim hunc Articulum Traditionibus annumerant, ut ſuperiùs patuit.*

Auguſtinus Tractatu 49. *in Johannem ait: Ea ſelecta eſſe ab Apoſtolis in Scripturas, quæ ad ſalutem credentium ſufficere videantur.*

Simile dictum exſtat, libr. 2. *de Doctrina Chriſtiana, & Confeſſionem* Bellarmini *accipimus, qui ait: Ea omnia ſcripta eſſe,* quæ ſimpliciter omnibus neceſſaria ſunt, qualia ſunt quæ habentur in Symbolo Apoſtolico, & in Decalogo, lib. 4. cap. 11. fol. 305.

CONTRA.

PRIMA CLASSIS OBJECTIOnum, cap. 4. lib. 4. De verbo Dei non ſcripto.

I. Eccleſia bis mille annis ante *Moſen ſine Scriptura, ſola traditione, ſeu verbo non ſcripto gubernata eſt, & religio integra conſervata: & à tempore Moſis usq; ad Chriſtum, Gentes converſæ ſolam traditionem non ſcriptam habebant. Ergò & aliquod verbum eſt non ſcriptum, & porrò etiam Scriptura ſimplici-*

PACIFIC LUTHERAN THEOLOGICAL SEMINARY THE LIBRARY

pliciter neceſſaria non eſt, nec perfecta & ſufficens: ſed potuit doctrina Chriſti conſervari ſine Scriptura, per mille quingentos annos. Bellarmin.lib.4.de verbo Dei non ſcripto, Cap.4. pag. 259.

Reſp. *Ad primam antecedentis partem, eam ipſam ſecundum quid tantum veram eſſe: nam non ſola Traditione, ſed* IMMEDIATA *etiam* REVELATIONE *gubernata fuit Eccleſia Patriarcharum ante Moſen. Non autem valet conſequentia: Deus revelatione & Traditione rexit Eccleſiam ante Scripturam editam. Ergò & nunc quoque, poſtquam Scriptura edita eſt, eodem modo Eccleſia regitur.* Reſpon. *enim: Modus Eccleſiam gubernandi, non exemplis, ſed Dei voluntate & decreto definiendus eſt. Qui cum ad unam Scripturam omnes remittat, ut ſuperiùs probatum eſt: Scripturam utique nos unicè ſequi oportet. Siquidem hoc ita Deo viſum eſt, ut qui modo per Apoſtolos, Prophetas & Patriarchas, poſteà per Scripturas Prophetarum & Apoſtolorum, regere Eccleſiam voluit, & adhuc vult, ac volet usque ad ultimum Chriſti adventum. Unde patet, quomodo Scriptura neceſſaria, & non neceſſaria ſit. Non neceſſaria ſcil: abſolutè. Neceſſaria ex decreto & ordinatione Dei, qui hanc formam perpetuam eſſe voluit, ut Scriptura univerſalis fidei norma eſſet.*

Ee 5 II.Gen-

II. Gentes cõverſas à tempore Moſis, *ſola Traditione uſas, falſiſſimum eſſe unius Eunuchi exemplum docet.* Act. 8. verſ. 27. 28. *qui Eſaiam evolvit ac legit.*

III. Quod autem præstereà attexitur. *Deus aliquando & Prophetarum ac Apoſtolorum verbo, & Scriptura ſimul Eccleſiam gubernavit. Ergò adhuc hodiè partim traditione, partim Scriptura Eccleſiæ fides conſtabit, Scriptura non omnia continente.*

Reſp. *Temporum diverſa ratio, & Dei Conſilium, in conſtituenda perpetua & univerſali fidei norma, vitium conſequentiæ oſtẽdit. Officium enim Apoſtolicum, perſonis & ætati Apoſtolorum proprium, & ſingulare fuit: qua autoritate nemo poſt illos docere potuit, quia nemo parem vocationem cum ipſis habuit.* 2. *Quod Apoſtoli ore tradiderunt, id non aliud, ſed idem, cum ſcripto, verbum fuit.* Actor. 26. verſ. 22. Roman. 16. *Nihil ergò verbo Apoſtolorum tradito, cum Pontificijs traditionibus quidquam commune eſt.*

II. OBIECTIO.

Multi libri verè Sacri & Canonici perierunt. *Igitur non habemus, nec habuimus à M. D. annis ſufficientem Doctrinam, ſi tota ſit in Scripturis. Antecedens probatur:* 1. *Liber* Samuel *videntis.* 2. Nathan *Prophe-*

pheta. 3. *volumen* Gad *videntis.* 1. Par. 29. verſ.30. 4. *Libri* AhiæSilonitis. 5. *viſio* Addo. 2. Par. 9. 6. *Tria millia parabolarum* Salomonis. 7. *Quinq; millia* Carmina. 3. Reg. 4. 8. *Epiſtola* Pauli ad Laodicenſes. Coloſ. 4. 9. *adde* ad Cor. 1. 1. Cor. 5. 10. lib. Bellorum Domini. Numeri. 11. Librum Juſtorum. Joſu. 10. 13. pag. 261. 262.

Reſp. *Conſequentia à Librorum, ad Canonicæ Doctrinæ defectum & amiſſionem nulla eſt: Sunt n. diverſæ quæſtiones:* De numero librorum: & Perfectione doctrinæ, Scripturæ libris comprehenſæ. *Nam ideò, quia hos, quos nunc habemus, ſuperſtites eſſe voluit Deus, eos etiam, & non alios Canonis loco nobis eſſe voluit: Et quia illi non amplius exſtant,* ideò nec ad Canonem fidei univerſalis, *ex decreto Dei, referendi ſunt.*

2. Præterea etſi libri ſimilium & Carminum Salomonis, *liber etiam* Bellorum Domini, *Epiſtola item* 1. ad Corinth. *amplius non exſtat: reliqui tamen iidē prorſus eſſe videntur, cum libris* Regum & Parolipomenon, *qui non unius, ſed diverſorum auctorum, annotationes ſunt, & propterea iis Prophetis meritò inſcribūtur, qui quavis ætate vixerunt. Quæſtio autem de Epiſtola* Laodicenſium *imprimis dubia eſt, ut ex Patrum* Theodoreti, Theophylacti & Hieronymi, *alio-*

aliorumq́ monumentis videre eſt: Ver ũutur ſit, ſive exſtiterit aliqua, ſive non, nihil tamen perfectioni Canonis decedit, quia non de Numero *librorum (ſicut & non de numero Concionum, factorum ac dictorum Chriſti & Apoſtolorum eius)* ſed de numero Neceſſariorum Capitum & Dogmatum Chriſtianæ fidei agitur.

III. OBIECTIO.

Si Scriptura perfectus eſſet Canon, *in quem omne Dei verbum, Chriſto & Apoſtolis propoſitum fuiſſet, coarctare, & reſtringere, rem tanti momenti imprimis apertè præcepiſſet Chriſtus, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex Domini mandato ſcribere: quemadmodum ex Domini mandato, in toto orbe docuerunt.*

At id nuſpiam legimus. *Ergò Scriptura non omnia dogmata fidei complectitur:*

Reſp. *Ad objectionem iſtam tum majorem, tum minorem reſponſum eſt ſupra.* pag. 275. *De Scriptura norma & judice.* Object. 3. Prop. 26. & in Præfat. *ad Lectorem Mendacio* Jeſuitæ. 3. *quo Lectorem, ne actum agamus, remittimus.*

Teſtimonia autem Patrum *quæ adducuntur, nobiſcum faciunt, contrà* Bellarminum: *id quod Lector ex ipſis* Jeſuitæ *verbis animadvertit.* Matthæus *ideò ſcripſit, ut*

Me-

MEMORIALE DOCTRINÆ & Prædicationis *ſuæ auditoribus ſuis, Hebræis, quos corpore deſerebat, relinqueret.* Marcus, *precibus ROMANORUM compulſus Euangelium ſcripſit.* Lucas, *ut abſtraheret nos ab INCERTIS aliorum NARRATIONIBUS.* Johannes *compulſus ab ASIÆ* Epiſcopis *ſcripſit Euangelium contrà* Ebionis *hæreſin.* Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 24. & lib. 2. cap. 15. Bellarm. pag. 262. *Hinc. 6. colligimus contrà* Jeſuitàm.

1. Euangeliſtas juſſu & *MANDATO* divino ſcripſiſſe. *Quod n. voluit Eccleſia fidelium eius temporis, idq́ ex Zelo verbi Divini, id Deus ipſe per Eccleſiam voluit & inſtituit: ut Exemplo Cornelij patet.* Act. 10. *Mandato ergò Dei verbum in literas relatum eſt.*

2. Apoſtolis tam de ſcribendo, *quam de prædicando Euangelio cogitandum fuiſſe: quia de ſalute, & neceſſitate Eccleſiæ utrumq́ fuit, & præterea Apoſtolis non unius, ſed omnium ætatum, univerſæq́ Eccleſiæ, usq́ ad diem noviſſimum duratura, cura & ſalus commendata fuit.*

3. Scripturam omnia Capita *fidei & Doctrinæ Chriſti compendio complecti:* quia eſt memoriale doctrinæ, & prædicationis Apoſtolicæ.

4. Nihil certi eſſe extrà Scripturam

in cauſſa fidei: quia incertis narrationibus oppoſita eſt.

5. Eſſe normam ſanæ *certæq́ doctrinæ: ac hæreſium confutandarum. Quia Epiſcopis præſcripta, ad defenſionem fidei & confutationem hæreſeos.*

6. Falſum eſſe quod ajunt Jeſuitæ, *nullā unquam hæreſin Scripturis ſufficienter confutatam: quia hæreſis* Ebionis & Cerinthi *Euangelio Johannis confutata eſt. Ideò* Auguſtinus *ait*, Cap. 20. *de bono Perſeverantiæ: Didicimus ſingulas quasque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur divina Scriptura, quàm ſi nulla talis neceſſitas coëgiſſet.*

Inſtat Jeſuita: *Si Apoſtoli tàm deſcribendo quàm prædicando cogitaſſent, omnes Scriptam doctrinam Euangelicam edidiſſent, vel omnes ſimul congregati, antequam diſcederent in ſuas provincias, communem aliquem librum edidiſſent. At poſterius non factum. Ergò &c.*

Reſp. *De poſteriori membro majoris ſupra eſt reſponſum.* pag. 275. *At primum membrum quod attinet, id non minus male cohæret. Satis enim eſt ſi his, reliquorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcriptis conſpectis, acquieverunt: id quod Prophetis etiam & Do-*

& Doctoribus Veteris Teſtamenti uſitatum fuit.

IV. OBIECTIO.

Multa ignorari non poſſunt, *quæ in Scripturis non continentur. Ergò, & verbum aliquod præter Scripturam neceſſarium eſt: & Scriptura non omnia neceſſaria fidei dogmata complectitur.*

Reſp. *Ad antecedens reſpondet* Bellarminus *ſibi ipſi: Falſum eſſe iſtud ſimpliciter intellectum: Omnia enim eſſe comprehenſa in Scripturis, quæ omnibus ſunt ad ſalutem ſcitu neceſſaria, & quæ publica eſſe debuerunt.* pag. 306. *unde ſequitur: ea tantum Scripta non eſſe, quæ privata ſunt, & ſine periculo ſalutis ignorari poſſunt. At nos de communi, & publica univerſæ Eccleſiæ fidei & confeſſione agimus.*

Ad inductionem exemplorum quod attinet, *quibus antecedens* Jeſuita *probare voluit, ea omnia ita comparata ſunt, ut vel manifeſtè abſurda, vel ex Scriptura deducta ſint.*

I. Exemplum.

Tempore *Veteris Teſtamenti, non minus fœminas, quàm viros remedium aliquod habuiſſe, purgationis à peccato Originali. At hoc nuſpiam habet Scriptura: ſed tantùm Circumciſionis virorum meminit. Ergò &c.*

II. Ex-

II. Exemplum.

Maſculos ante octavum *diem morte extinctos, qui circumciſi non ſunt.*

III. Exemplum.

Gentiles converſos & ſalvatos: *De quorũ omniũ Juſtificatione à peccato originali alijsq; peccatis nihil legitur. Ergò Scriptura non omnia fidei dogmata neceſſaria complectitur.*

Reſpond. *Tria iſta exempla, una reſponſione expediri poſſunt. Quod fuit omnium fidelium, ante inſtitutam Circumciſionem, remedium, illud omnium fœminarum, maſculorum ante diem octavum morte extinctorũ, quos mandatũ Circumciſionis non obligabat, & Gentilium piorum, idq; non ἄγραφον, ſed ἔγγραφον remedium fuit. Maſculorum quidem, & fœminarum.* Geneſ. 17. Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te. *Gentilium verò converſorum: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Geneſ. 15. ℣ſ. 6. *Et hoc factum eſt in præputio.* Roman. 4. verſ. 3. & verſ. 9. & 10. *Dicimus enim, quia reputata eſt Abrahæ* FIDES *ad juſtitiam: Quomodo ergò reputata eſt? In Circumciſione an in præputio? Non in Circumciſione ſed in præputio? Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit* PATER OMNIUM *credentium, ut reputetur & illis ad juſtitiam: Et ſit*

Pater

Pater Circumciſionis,non iis TANTUM,qui ſunt ex Circumciſione : *Sed & IIS QUI* SECTANTUR *veſtigia fidei, quæ eſt in* PRÆPUTIO *Patris noſtri Abrahæ.*

Abſurdum autem eſt, *& in Dei promiſſionem,ac miſericordiam ignominiosè dictum;* *quod* Jeſuitæ *omnes maſculos ,qui 8.diem non attigerunt, & fœmellas,* & Gentiles *, ſine Sacramento aliquo , vicem Circumciſionis ſupplente, ſalvari non potuiſſe contendunt. Unde enim hoc probabunt? Nos Negamus. Nec enim abſoluta neceſſitate ,ſed voluntate & ordinatione Dei uſus Sacramentorum definiēdus eſt: Alioquin regula valet : ubi non eſt Lex, ibi non eſt prævaricatio.* Rom. 4. verſ. 15. *Et contemtus Sacramentorum damnat, non privatio.*

IV. Exemplum.

Neceſſe eſt noſſe *exſtare libros aliquos verè divinos.*

V. Exemplum.

Non ſatis eſt ſcire , *eſſe Scripturam divinam, ſed oportet ſcire,quæ ſit illa.*

At hoc ex Scripturis nullo modo haberi poteſt. *Ergò non omnia fidei dogmata in Scripturis continentur, ſed præterea etiam* FIDES *Traditione conſtat.*

Reſpond. *Ad iſta duo exempla jam ſuprà reſponſum eſt: Negatione Minoris,quòd*

ea, tanquam Fidei dogmata, in Scripturis non ſint comprehenſa : allatis contrà manifeſtis Scripturæ teſtimonijs, & argumentis internis, quibus autoritas divina & Canonica Scripturæ nititur. pag. 6. 7. & 67. Propoſit. 16. *item*, pag. 73. *& ſequentibus.*

2. Conceſſum eſt: *Teſtimonio, traditione & prædicatione Eccleſiæ, non tantùm in hoc, ſed in omnibus omninò Capitibus fidei Chriſtianæ opus eſſe : Atqui hac Traditione & prædicatione ſua non novum nobis fidei Articulum, extrà Scripturæ regulam & Canonem, proponit. ſed tanquam cauſſæ miniſtrans, præco & teſtis eſt eius, quod in Scriptura Canonica comprehenſum & exaratum videt, ac Hiſtoriæ perpetua & conſpicua documenta proponit: de quo Eccleſiæ officio dictum eſt.* pag. 84. *& ſequentib. item in vulgatam iſtam* Auguſtini *ſententiam : Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ moveret autoritas : qua officium Eccleſiæ univerſum, in proponenda Scriptura, & deducendo Hiſtoriæ teſtimonio, complexus eſt. Item in* Prop. 17. & 27.

Inſtat Jeſuita. *Etiamſi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe divinos, tamen* NON CERTO *I*D CREDAM, *niſi prius credidero Scripturũ, quæ hoc dicit, eſſe Divinam.* NAM etiam in ALCO-

RANO

RANO MAHUMETI paſſim legimus, ipſum ALCORANUM de Celo à DEO miſſum, & tamen ei non credimus.

Et iterum: *Proinde cum fides nitatur verbo Dei*, NISI habeamus VERBUM DEI NON SCRIPTUM, nulla in nobis erit fides.

Reſpon. *Ne univerſi quidem Regni Pontificij, taceo unius atque alterius* Jeſuitæ *& Sacrificuli, incredulitas veritatem Dei evacuare poteſt.* Rom.3. verſ. 3. *Obtrectent ergò* Jeſuitæ, *& plus fidei ſanè non tribuant Spiritus Sancti verbis, in Scriptura loquentis: ea tamen impietas auctoritati & Majeſtati Scripturæ apud fideles nihil quidquam detrahet, ſed manifeſtum potius apoſtaſiæ* Jeſuiticæ *& Pontificiæ ipſis argumentum erit. Itaque nec aliud huic voci* Bellarmini *reſpondemus, quã quod extremè eam blaſphemam eſſe agnoſcimus: qua Verbum Dei Scripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum, omni Veritate & efficacia, quàm à Deo ad fidem & ſalutem operandam habet, Spoliatur, & planè inutile ac in efficax eſſe pronunciatur. Qua de re vide plura, in Præfatione ad Lectorem.*

VI. Exemplum Jeſuitæ:

Oportet etiam *non ſolum ſcire, qui ſint libri Sacri, ſed etiam in particulari iſtos, qui*

ſunt in manibus, eſſe illos. Non enim ſatis eſt credere Euangeliũ Marci eſſe verum, Euangelium Thomæ *non eſſe verum: ſed oportet etiam credere, hoc Euangelium, quod nunc legitur nomine Marci, eſſe illud verum & incorruptum, quod ſcripſit Marcus: At hoc ex Scriptura haberi nequit. Ergò.*

Reſpond. *Iſta Objectio ſupra etiam diluta eſt:* pag. 85. & Propoſit. 19. *De libris Anonymis: ac demonſtratum, nominum cognitionem & notitiam pertinere non niſi ad hiſtoriam.*

2. Falſum verò eſt, *quod in minore* Bellarminus, *& cum ipſo reliqua* Jeſuitarum *turba ait: Hoc ex Scriptura non poſſe haberi, quod Euangelium Marci ſit Marci. Vnde enim habet Eccleſia? Num id abſq; Teſtimonio, vel juxtà Teſtimonium Scripturæ affirmat? utiq; juxtà Teſtimonium Scripturæ: Quia inſcriptio libri hoc idem oſtendit. Et unde primo Eccleſia cognovit hoc Euangelium eſſe Marci, Matthæi &c. & non alterius? An non ex ipſo Chirographo & Teſtimonio auctoris, quo hunc librum ſuum in lucem protulit & obtulit? Quapropter etiamſi fidei Articulus eſſet, credere Euangeliũ Marci, eſſe Marci: Is tamen ipſe non præter, ſed ſecundum Scripturam crederetur: adeoq; ad confirmandã opinionem* Jeſuitæ, *de Articulis*

culis Fidei ſola Traditione credendis, nihil quidquam faceret.

VII. Exemplum.

Scriptura in plurimis *locis eſt ambigua & perplexa, quæ ſine interprete, qui errare non poteſt, intelligi nequit. Ergò ſola non ſufficit.*

Reſpond. *Interpres qui errare non poteſt, eſt Spiritus ſanctus, quæ gloria nemini hominum competit. Reliqui interpretes, vel ex Scriptura explicationes deducunt, vel non: Si prius, interpretationis regula Scriptura manet: Sin poſterius, non interpres eſt, ſed corruptor ſenſus Scripturarum: Interpretatio enim (tanquam vocabulum πρός τι) ad aliud ſeſe refert: Itaq; interpretationi Scripturæ, cum Scriptura convenire debet. Qua de re* vid.Propoſit.31.pag.340.

2. Præterea hic non de *quavis interpretatione Textus, ad quam plura adminicula, ut Grammatices, Linguarum & artium neceſſaria ſunt: ſed de Capitibus & Articulis Fidei agitur. Oſtendendus eſt Pontificijs* FIDEI *A*RTICULUS *ad S*ALUTEM *N*ECESSARIUS, *qui Sacris literis non ſit comprehenſus.*

VIII. Exemplum.

Credendum eſt, *beatam Mariam ſem-*

per fuiſſe Virginem. At nullum hac de re Scriptum eſt Teſtimonium. Ergò &c.

Reſpond. *Per inficiationem Minoris. Vnum* Eſaiæ *teſtimonium ſit inſtar omnium.* Eſa. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius* IMMANUEL. Hinc Concludimus: *Si Virgo peperit: Ergò in & poſt partum Virgo manſit. Huc addantur reliqua:* Gen. 3. ℣ſ. 15. Matt. 1. ℣ſ. 23. Luc. 1. ℣ſ. 35. Ezech. 44. ℣ſ. 2. *Ex quib. dictis Patres virginitatem* MARIÆ *perpetuam contra Helvidium & Antidicomarianitas demonſtrarunt, & idcircò pro Articulo Fidei ἐγγράφῳ habuerunt.*

Poſteà ad Majorem *etiam reſpondere poſſemus: Quod multa neceſſariò credenda ſint, quæ tamen per ſe inter Articulos Fidei & Religionis Chriſtianæ minimè ſunt referenda: ut ſunt plurimæ hiſtoriæ Biblicæ. De ſententia* Baſilii, vid. Tom. 1. *in ſermone de humana Chriſti generatione,* pag. 389.

IX. Exemplum.

Credendum eſt in *Novo Teſtamento Paſcha celebrandum eſſe die Dominico.*

Reſpond. *Non eſt Articulus Fidei, ſed ad Hiſtoriam & ſtatuta Eccleſiæ pertinens. Quartadecimani verò hæreſeos damnati ſunt: quia ad Legem moralem obſervationem 14.*

dies

diei referebant, tanquam abſolutè neceſſariam, hoc modo Judæis Chriſtianam libertatem prodentes. Epiph. hær. 50.

X. Eyemplum.

Credere oportet *baptiſmum parvulorum eſſe ratum. At hoc non legitur in Scripturis. Ergò &c.*

Reſpond. *Per negat: Majoris. Contrarium enim docent dicta & exempla Scripturæ.* Galat. 3. verſ. 27. 1. Cor. 1 verſ. 16.

XI. Exemplum.

Credidit Lutherus *purgatorium eſſe.*

Reſpond. *Credidit primis initijs converſionis: Poſteà verò Scripturis melius edoctus, tanquam Pontificiam traditionem* (Bellarmino hîc non contradicente) *damnavit. At nos de Articulis Fidei veris & neceſſarijs agimus.*

XII. Exemplum.

Credunt hæretici *nullum eſſe verbum Dei, niſi ſcriptum. At hoc nuſpiam in Scriptura invenitur. Ergò &c.*

Reſp. *Per negat: Minoris, cujus contrarium ſupra demonſtratum.* Propoſit. 26. *& ex Collatione dictorum, imprimis* Joſuæ 10. verſ. 12. 23. verſ. 6. *Davidis*, 3. Reg. 2. verſ. 3. *Moſis*, Deuter. 17. verſ. 18. 19. *Probatum eſt*

dictum; Deuter. 4. *De illo ipſo Dei verbo loqui, quod prius pronunciatum, ac poſteà in literas relatum eſt: quo faciunt etiam*, Exod. 34. verſ. 27. Deuter. 31. verſ. 9. 10. 11. &c. *Et dictum Pauli*. Roman. 16. verſ. 25. 26. *dicentis: Myſterium ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus, Scripturis Prophetarum*, Secundum PRÆCEPTUM DEI, *revelatum & comprehenſum.*

ALTERA CLASSIS.

Prima Objectio, lib. 4. Cap. de Verbo Dei, 5. fol. 267.

SCriptura non continet omnia neceſſaria fidei dogmata. Ergò Traditiones neceſſariæ ſunt.

Reſpond. *Antecedens falſum eſſe, invictiſſimis argumentis jam eſt demonſtratū.* Secūdò. Bellarminus *ipſe fatetur, quod Scriptura ea omnia complectatur, quæ omnibus neceſſaria ſunt. Falſum ergò eſt, quod hic ait: aut eſſe* neceſſarium *aliquod verbum traditum: aut Deum non bene providiſſe Eccleſiæ. Sunt enim contradictoria manifeſta. Scripturam omnia neceſſaria continere. Et non omne neceſſarium Verbum Dei continere.* 3. *Sin verò Antecedens ex ſententia* Jeſuitæ *intelligatur, nempè Scripturam non omnia & ſingula dicta & facta cùm Chriſti, tùm Prophetarum*

tarum & Apoſtolorum comprehendere, habet nos ſibi ſuffragantes. Hinc verò nequaquam inſtitutum obtinebit. Nempè non omnes fidei Articulos neceſſarios in Scriptura exaratos eſſe. *Singularia enim facta & dicta Apoſtolorum, quæ ad pleniorem, pro cujusq; Eccleſiæ conditione & ſtatu, capitum fidei explicationem pertinuerunt, perfectioni in Scripturâ nihil detrahunt. Cõmittitur ergò fallacia plurium interrogationum: ſiquidem non de ſingularibus dictis & factis Chriſti, ſed de integris Capitibus & Articulis fidei Quæſtio eſt. Retorqueamus autem argumentum hoc modo:*

Si Scripturę ideò perfectę non ſunt, *quia ſingula dicta & facta cùm Chriſti, tùm Prophetarum & Apoſtolorum expreſſa non ſunt, tùm nec Scriptura, cum ipſis Traditionibus Pontificijs perfecta & ſufficiens erit. Etſi enim Pontificij magnos Traditionum cumulos colligunt, ſingula tamen dicta & facta enumerare non potuerunt, vel poterunt unquam. Sin verò doctrinam Eccleſiæ ſuæ, ideò imperfectionis & inſufficientiæ accuſari nolunt Pontificij, licèt omnia dicta & facta Chriſti enumerare non poſſint; nec Scripturæ aliqua proptereà imperfectionis culpa imputanda erit.*

Corrigatur autem argumentum: *Etſi Scriptura non omnia dicta & facta Chriſti &*

Apoſtolorum eius comprehendit, nihilominus tamen perfecta & ſufficiens eſt, quia quæ omnibus neceſſaria ſunt fidei dogmata comprehendit omnia.

II. OBIECTIO.

Johan. 16. verſ. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Johan. 21. verſ. 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit* JESUS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribẽdi ſunt, libros.* Idem argumentũ cum priori: *Multa ſunt, quæ dixit Chriſtus, & quæ ſingula ſcripta non ſunt. Ergò Scripturæ imperfectæ ſunt, & Traditionum ſupplementum neceſſarium.*

Reſpond. Euangeliſta Johannes ipſe ad *antecedens reſpondet, & Objectionem ſolvit, cùm ait: Non ſingula quidem dicta & facta Chriſti ſcripta eſſe, eſſe tamen ea ſcripta, quæ ad ſalutarem Chriſti agnitonem & vitam æternam conſequẽdam neceſſaria ſunt,* Johan. 20. verſ. 31. *Omnia igitur fidei ſalvifica dogmata ſcripta ſunt, præter quæ alia, nec quærere, nec deſiderare debemus. Quod ad Chriſti dictum attinet,* Johan. 16. *accipimus, quod* Jeſuita *ait*, fol. 268. *ea quæ à Chriſto hic promittuntur, poſt reſurrectionem dicta eſſe, illis quadraginta diebus, ante aſcenſionem ſuam in Cœlum.* Actor. 1. Probare autem *debet Je-*

ſuita

ſuita, *ea alia fuiſſe dogmata, quàm quæ in Scriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſa ſunt. Aliud teſtatur certè Euangeliſta,* Actor.1. *qui ait, Chriſtum diſcipulis ſuis locutum eſſe de regno Dei: Atqui hæc non nova, ſed Vetus eſt doctrina, contra pertinacē & veterem, ſed erroneam diſcipulorum opinionem de regno Chriſti mundano directa. Non ergò nova propoſuit Chriſtus, ſed ad evellendam diſcipulorum opinionem, veritatem cœleſtem pleniùs explicavit. Quam in ſententiam* Auguſtinus *ait:* Tract.96.in Iohan. *Quis eſt tam vanus & temerarius, qui cum dixerit etiam verba quibus voluerit, & quæ voluerit, ſine ullo teſtimonio divino affirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere voluit?*

III. OBIECTIO.

1. Corinth. 11. verſ. 2. *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicuti tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* & verſ. 16. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei.* Verſ.23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Verſ. 34. *Cætera autem, cùm venero, diſponam. Hîc inveniſſe ſe putat* Bellarminus, *quod puer in faba. Paulus dicit, quòd quædam tradiderit: Ergò non omnia ſcripta ſunt.*

Reſpond.

Reſpond. Scopæ ſunt diſſolutæ. *Primò enim probandum eſt* Jeſuitæ, *quod omne traditum ſit non ſcriptum. Peccat enim æquivocatione Vocabuli* Tradere. *Deinde probãdum eſt, quòd quæ ſemel tradita ſunt ab Apoſtolis dogmata, in literas poſteà non ſint relata ab Apoſtolis. Certè hîc de traditis Scriptis agit, cùm dicit: Ego enim accepi à Domino, & tradidi vobis. Tradidit inſtitutionem Cænæ, quam & ipſe ſcripto ſubjecit, & ſcriptis Euangeliſtarum jam ante inſerta erat.* Tertiò, *integer* verſ. 34. cap. 11. *clariſſimè arguit, Paulum non niſi de abuſibus & Ceremoniis quibuſdam, tùm abrogandis, tùm inſtituendis agere. Hoc autem nihil ad rem.* Non enim de Ceremoniis hîc eſt quæſtio, ſed de fidei dogmatibus. *Quin etiamſi hoc maximè obtinere poſſet* Jeſuita, *Paulum quædam de Articulis inter Corinthios diſpoſuiſſe, hoc tamen ei demonſtrandum eſt, diſpoſitiones illas alias fuiſſe à ſcripto Dei verbo, nuſpiam & à nullo vel Prophetarum vel Apoſtolorum in literas relatas. Argumentatur igitur* Bellarminus *à particulari ad univerſale. Non enim ſequitur: Tradidit aliquid Corinthiis Paulus, quod iiſdem non ſcripſit: Ergò nuſpiam id ſcripſit, nec alibi in Sacris literis id exſtat.* Quartò, *probandũ eſt hoc, quòd tradidit Paulus Corinthiis eſſe ex traditionibus Pontificiis.* At quo argumento?

IV. OB-

IV. OBIECTIO.

2. Theſſal. 2. verſ. 2. & 15. *Itaq; fratres ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſivé per ſermonem, ſivé per Epiſtolam noſtram.*

Argumentum eſt ejuſmodi.

Paulus præter *Epiſtolam Traditiones etiam quaſdam, ſermone propoſitas. obſervari vult à Theſſalonicenſibus. Ergò & alia plura tradidit Paulus Theſſalonicenſibus, quàm ijsdem ſcripſit.*

Reſp. Concedimus totum argumentum. *Longè enim plura docuit Paulus, quàm quæ aut una, aut utraq; ad Theſſalonicenſes Epiſtola complexus eſt. At non ſequitur, Theſſalonicenſibus non omnia ſcripſit: Ergò nuſpiam in Sacris literis ſcripta ſunt. Iterum enim* παραλογίσμῳ *à negatione eius, quod parti deeſt ad negationem totius peccatur.*

Sed inſtat Jeſuita, Paulum *quædam de* Antichriſto *tradidiſſe Theſſalonicenſibus, & tempus adventus eius, ipſis revelaſſe, & quæ ſit cauſſa diuturnæ moræ. Hoc autem nuſpiam ſcriptum eſt in Sacris literis. Sunt ergò Traditiones aliquæ, & Articuli fidei, præter Scripturam credendi.*

Reſpond. Minor falſa eſt, uti & major. *Certum enim articulum temporis adventus* Antichriſti *deſignaſſe Paulum, unde probabunt*

bunt Pontificij? Quod autem in genere attinet tempus adventus indeterminatum, illud hoc ipſo Capite ab Apoſtolo expreſſum eſt.

2. Præterea ſi maximè aliquid *tradidiſſet Paulus Theſſalonicenſibus ſuis de* Antichriſto, *id tamen ideò dogma fidei univerſale & neceſſarium non eſt, quia Scriptum non eſt. Manet enim hoc axioma certum & fixum. Quod ſcriptum non eſt, id de fide non eſt, in qua ſalus nititur.*

V. OBIECTIO.

1. Timoth.6.verſ.20. *O Timothæe depoſitum cuſtodi.* 2. Timoth.1. verſ.13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiviſti in fide & dilectione in* JESU CHRISTO. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in vobis.* Et 2. verſ.1.& 2. *Tu ergò fili mi confortare in gratia, quæ eſt in* CHRISTO JESU, *& quæ audiviſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Argumentum tale.

Paulus *commendat Timotheo depoſitum ſanæ doctrinæ, quam ab eo audierat. Ergò commendat & Traditiones aliquorum Articulorum fidei in Scripturis non comprehenſas.*

Reſpon. Conſequentia verè eſt Jeſuitica, *in qua neutra pars alteri cohæret. Nam hoc probandum eſt, quod depoſitum ſanorum*

Verbo-

Verborum ſit doctrina non ſcripta, & ea quidem Pontificia: id quod per petitionem principij, pro Confeſſo ſumit Jeſuita, quod tamen falſiſſimum eſt: Contrarium enim docet Paulus ipſe, 2. Timoth. 3. verſ. 15. & 16. *ubi mandat Timotheo, ut in Sacris literis, quas ab infantia didicerat permaneat. Depoſitum ergò hoc ipſa doctrina eſt Spiritus Sancti in ſcriptis Apoſtolorum & Prophetarum expreſſa: quam conſervare non tàm facilè eſt,* ut ſomniat Bellarminus, qui Codicis & membranarum aſſervationem cum puritate doctrinæ ac fidei confundit. 2. *Peccatur ignoratione Elenchi: depoſitum enim à Paulo profanis vocum novitatibus & erroribus in fide opponitur, non Scripturæ. Falsò ergò opponuntur à* Ieſuita, *quæ idem planè ſunt, nempè Scriptura, & depoſitum ſanæ doctrinæ.*

VI. OBIECTIO.

2. Johan. verſ. 12. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per Chartam & atramentum,* & 3. verſ. 13. *Multa habui tibi ſcribere, ſed nolui per atramentum, & Calamum tibi ſcribere.* Argumentum. Iohannes *non omnia ſcripſit ad Cajum. Ergò Scriptura imperfecta eſt, & aliqua ſunt fidei dogmata neceſſaria, quæ in Scripturis non continentur.*

Reſpon. Negatur Conſequentia. *Non enim*

enim ſequitur, ad Cajum omnia ſcripta non ſunt. Ergò nullibi ſunt. Iterum enim à negatione eius quod parti deeſt, ad negationem totius concluditur.

VII. OBIECTIO.

De regulis quinq; Bellarmini, lib. 4. cap. 9. de verbo Dei. *Iſtæ omnes in ultimâ concurrunt & conveniunt, quam de Eccleſia Romana tradidit: Conficitur autem inde argumentum hoc modo:*

Quicquid tenet Romana Eccleſia *tanquam dogma fidei Apoſtolicum & divinum, illud omninò tale eſt, licet in Scripturis non exſtet. At Romana Eccleſia multa tenet fidei dogmata, tanquam divina & Apoſtolica, quæ in Scripturis non exſtant. Ergò talia etiam ſunt &c.*

Majoris Connexionem probat *per integram & continuatam Succeſſionem* Paparum, *inde ab Apoſtolo Petro deductam, qui quod à Petro acceperunt, fideliter cuſtodierūt, nec ullus* Papa *oſtendi poteſt, qui novam Doctrinam introduxerit*. Bellarmin. fol. 295. 296. *Ergò ex huius Eccleſiæ teſtimonio, contra omnes alias Eccleſias, in doctrinâ & ritibus diſſentientes, firmum poteſt peti teſtimonium.*

Reſp. Omiſſa Minore, *quæ veriſſima eſt & turpis apoſtaſiæ in Pontificia Eccleſia argumen-*

gumentum. Ad Majorem, quæ cum proſyllogiſmo ſeu probatione ſua ne unius pili æſtimanda eſt. Primò *enim turpi paralogiſmo, norma fidei cum objecto & ſubjecto normæ confunditur, ſiquidem Eccleſiæ Pontificiæ fides pro norma Veritatis Apoſtolicæ venditatur, cum hoc unicè Scripturæ cõpetat, ut ſuperiùs dictũ eſt. Eccleſia cum ſua fide nequaquã norma ſeu regula & κανὼν eſt, ſed κανονιςὸν ſeu regulatum. Et abſurdum hoc eſt in omni diſciplina :* Auditoris & diſcipuli arbitrium, normam Artis conſtituere. *Non ergò quod multitudo hominũ credit, ſed quod Deus in Scripturis promulgavit, illud verbũ Dei eſt, & Chriſtiana Veritas. Quæ cauſa eſt, cur Apoſtoli & Chriſtus in probandis Concionibus ſuis ad Scripturam provocaverunt unicè: cùm, ſi Eccleſiæ vox norma veritatis ipſis fuiſſet, ad eam multò faciliùs provocare potuiſſent. 2. Peccatur fallacia cauſſæ. Non enim quod per Succeſſionem ab aliquo cœtu traditum & continuatum eſt, illud ideò verum eſt & divinum, ſed quod à Deo revelatum, & in Scripturis comprehenſum eſt. 3. Peccatur æquivocatione Vocabuli Eccleſiæ: quam Pontificij communi more ſuo, Perſonâ Pontificis vel ſola, vel conſortio & ſocietate Cardinalium definiunt. At non quicquid* Papa & Cardinales *dicunt, illud vel verum*

vel univerſæ Eccleſiæ imputandum eſt: quia Bellarminus *ipſe*, Reg. 4. *Traditionum ſuarum, fatetur, univerſalem Eccleſiæ Doctorum Conſenſum haberi vix poſſe. At ſi Doctorum Conſenſus in re ancipiti vix haberi poteſt, multò minus univerſæ multitudinis Eccleſiæ. Objectio ergò* Bellarmini, *hoc modo ad impoſſibile deducitur.* Quia ea re Articulos fidei definit, quæ nuſpiam haberi poteſt.

4. *Quòd de integra & Continuata Pontificũ Succeſſione inde à Petro jactat, imprimis incertum eſt. Nam ad Succeſſionem duo pertinent: Vnitas ſeu Conformitas Doctrinæ, & officij ejusdem propagatio. Quod ſi de peculiari aliqua provincia ſeu Civitate & loco eſt quæſtio, tùm etiam unitas loci ad ſucceſſionem requiritur: quæ tamen merum eſt accidens. Sed quid ſi neutrum horum de* Papis *ſuis demonſtrare poſſint Pontificij? hoc eſt*, nec doctrinæ, nec officii, nec loci, inde ab Apoſtolis non interruptam Succeſſionem? *Probent hanc unitatem, & quantivis illos faciemus.* Nos negamus. *Nam hiſtorias & Exempla introductorũ novorum dogmatũ non opus eſt conquirere: Scriptura eſt quæ loquitur, & Põtificios novitatis accuſat: quin Pontificij &* Bellarminus *ipſe hac in parte nobis Caiphas eſt, qui ſuos* Papas *novitatis accuſat: Calixtum fatetur eſſe jejunij quatuor temporum*

rum autorem, libr.4. cap. 3. fol. 257. *Dicit enim iſtum jejunium quartum adjeciſſe. Cur verò* Chemnicium *mẽdacÿ arguit, hoc ipſum dicentem? Similiter Teleſphorum ex jejunio Quadrageſimarum præceptum & legem feciſſe non diffitetur ibidem. At verò id antea liberum, & privatâ autoritate, ex quadam ſimplicitate obſervatum fuerat, ut loquitur* Euſebius, lib.5. cap. 23: Alexandri *inſtitutũ & præceptum eſſe, ut in Calice aqua vino miſceatur*, Platina *in vita eius & Durandus in Rationali divinorum officiorum*, libr.4.Cap. 30. *Item Petrus de Natalibus teſtis eſt.* Leo Tertius *primus Canonizavit Sanctos.* Bellarmin.Tom.1.Contr.7. Cap. 8.libr. 1. *de qua Canonizatione ſolemni ante id tempus Eccleſiæ nihil conſtabat. Similiter de alÿs quibuſdam* Paparum *novis inſtitutis & decretis in* Vitis Paparum *legitur, ut non immeritò* Bellarminum *Convitiorum in* Chemnicium *projectorum pudere debeat: quemadmodum in Præfatione oſtendimus.*

Nec quicquam juvat ipſum, *quod in inſtitutis iſtis, Patrum autoritas & Conſuetudo majorum nonnunquam allegatur à* Papis. *Nam hi cenſentur autores novorum dogmatum, qui quæ antea privata,* arbitraria & cõtroverſa ac dubia fuêre, publica & Canonica faciunt, atq; univerſæ Eccleſiæ neceſ-

 ſariò

ſariò oſervanda obtrudunt, id quod factū eſt à Papis iſtis in obſervatione jejuniorum, *mixtionis aquæ cum vino in Calice, aliisq; plurimis &c.*

Sic Primatus Papæ *autor eſt* Bonifacius VIII. *qui eum à* Phoca Parricida *impetravit.* Idololatriæ *ſeu adorationis imaginū Synodus Nicæna.* 2. Bellarm. lib. 4. cap. 9. *Cælibatus autor* Gregorius & Syricius Papa, *teſte Gloſſatore* diſtinct. 84. Cap. *cum in prætérito & ſequente. Mutilationis Cænæ Concilium Conſtantienſe. Nam antea erat hoc Cõtroverſum in Eccleſia Dei, & multi pii Viri contrarium contenderunt. Hæreſes quorundam* Paparum & ſchiſmata Antipaparū, *Hiſtoria item* Papiſſæ Johan. VIII. *notior eſt, quã ut prolixa cõmemoratione ſit opus. Cùm ergò tam cadaveroſa ſit* Bellarmini *probatio, ac in ipſo limine impingat, quilibet, quantum argumentationi tribuendum ſit, advertit.* 5. Infringimus *argumentum inſtantia. Si id omne verū & Apoſtolicum eſt, quod Præſules Eccleſiæ Pontificiæ tale eſſe adfirmant, tum idẽ etiam verum & Propheticū, quod Pontifices, Scribæ & Phariſæi in Vet. Teſtamento tale eſſe aſſeruerunt.* At hoc falſum eſſe, *ipſi fatentur Pontificii. Ergo & prius. Ratio connexionis utrinq; ex ſucceſſione non interrupta depẽdet.* 6. Abſurdo premitur. *Si Eccleſiæ vox*

& aſ-

& aſſertio cauſſa eſt Apoſtolici & Canonici dogmatis, tum Eccleſiæ vox ultimum erit & perfectum fidei Chriſtianæ Objectũ & fundamentũ. At poſterius abſurdum. Ergo & prius.

7. Retorqueamus argumentum. *Si ideò Romanæ Eccleſiæ credendum eſt, quia ſucceſſione in doctrina & ſede Apoſtolica integram & incorruptam demonſtrare poteſt: tum ei non abſolutè, ſed hoc tantum credendum erit, quod & quantum ex Apoſtolicæ doctrinæ ſucceſſione demonſtrare & certo deducere poteſt.* At prius, teſte Bellarmino. *Ergò & poſterius.* Faciant hoc Pontificii, *& habebunt nos obſequentes. Poteſt item retorqueri argumentum Exemplo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ nõ minùs integram Succeſſionem jactat, ac Eccleſia Romana: Neq; tamen majorem veritatis exiſtimationem propterea apud ipſos etiam Pontificios meretur.*

8. Corrigatur ergò *Error argumenti ex ipſis* Bellarmini *verbis, hoc modo. Etſi Pontificia Eccleſia aliquid affirmat, illud tamẽ credendum prius non eſt, quàm Apoſtolicum eſſe demonſtratum fuerit. Apoſtolicum autem eſt, quod in Scriptura comprehenſum eſt, ut ſuperius probatum. Ergò &c.*

VIII. OBIECTIO.

Ex Patrum Teſtimoniis &c. *Tandem, quod ad Patrum teſtimonia attinet, nihil id*

perfectioni Scripturarum detrahere poteſt, ſi quibuſdam nomine traditionum eſt impoſitũ, ut de Papia *refert Euſebius.* 2. Plurima *eorum dubia & adulterina ſunt, ut* Dionyſii & Ignatii, *quorum autoritatem adverſus* Lutherum Bellarminus *frigidiſſimè defendit. Habet n.* Dionyſiũ, *mille tantum annorum*, lib. 4. ca. 7. 3. Quædam *& ſuppoſiticia ſunt, & præterea de ritib. tantum externis quibuſdam agunt, ut* Baſilii & Auguſtini. 4. Quædam *Cuſtodem veritatis Eccleſiam cõmendant, quod ſcil: ea conſervet doctrinam ab Apoſtolis proditam & conſignatã, ut* Irenæus & Athnaſ. 5. Quædã *in genere loquuntur, de dictis, cõcionib. & factis Chriſti & Apoſtolorum, quæ etſi ſcripta ſingula non ſunt, ſi tamen haberi poſſent, non minori fide digna eſſent, quàm ea quæ ſcripta ſunt. Indefinitè ergò loquuntur Patres de dictis & factis Apoſtolorũ non ſcriptis, quæ Scripturarũ perfectioni circa Articulos fidei minimé opponũt, quemadmodum* Papiſtę *ſuas Traditiones. Nihil ergò* Papiſtis *Patres iſti patrocinantur, niſi demonſtrent eos de ſuis traditionibus in ſpecie locutos eſſe: Præſertim quia in cõtrariam partem, pro ſufficientia Scripturarum, multo major & dignior copia Teſtimoniorum è Patribus peti poſſit.*

Quantum autem aliâs *Pontificiorum traditionibus patrocinentur Patres, unus* Auguſtin. in Tract. 96. in Johan. Tom, 9. *ſufficiens teſtis*

teſtis eſſe poteſt. Ibi hanc Quæſtionem ita determinat: Fatetur Chriſtú & Apoſtolos multa dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, ſed ſimul nemini credi vult in iis deſignandis, niſi qui divino teſtimonio & autoritate Apoſtolicâ inſtructus ſit: alios omnes tanquam temerarios rejicit. Sunt autem hæc ejus verba: *Quæ cùm ipſe* (Chriſtus) *tacuerit, quis noſtrûm dicat iſta vel illa ſunt? aut ſi dicere audeat, unde probet? Quis enim eſt tàm vanus & temerarius, qui cùm dixerit etiam vera, quibus voluerit, ſine ullo teſtimonio divino adfirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere noluit? quis hoc noſtrum faciat, ac non maximã culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica nec Apoſtolica excellit autoritas?*

Cùm ergò Patres *de factis & dictis cùm Chriſti, tùm Apoſtolorum non ſcriptis, probationem & argumenta requirant ab iis, qui ea ſe proferre poſſe exiſtimant, cur Pontificii dedignentur argumenta traditionum ſuarum in medium adferre? Probent igitur, non adfirmẽt ſimpliciter, ſuas traditiones eſſe illa dicta & facta Chriſti & Apoſtolorum non ſcripta. Hoc dũ non faciunt, nos in unâ ſola Scripturâ magnâ fidei πληροφορίᾳ acquieſcimus, quam fidei πληροφορίαν, ut in nobis conſervet Deus, ardentibus precibus oramus.*

AMEN.

SOLI DEO GLORIA.

Errata.

Pag. 22. lin. 9. Sacrificij Miſſæ Oblatio. lin. 10. dele Oblatio. pag. 451.